185

CURSUS PHILOSOPHICUS THOMISTICVS

AD MENTEM DIVI THOMÆ Doctoris Angelici directus:

IN QVO

Philosophia universa ex ipsis planè fundamentis & principiis methodo hactenus arteque inusitatâ restauratur:

Conclusiones etiam singulæ ex principiis tribus expositis syllogisticè deductæ nervosè reducuntur:

ET PRO ELIDENDIS DIFFICULTATIBUS OBJECTIONES quælibet suis plenè instantiis evacuantur.

Cum Indice Quæstionum necessario.

AVCTORE

P. F. ALEXANDRO PINY,

Ordinis F F. Prædicatorum Sacræ Theologiæ Baccalaureo & Professore.

TOMUS I.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud WILHEL. & FRANC. METTERNICH, Bibliopp. An der hohen-Schmidt/ ANNO MDC. LXXXXIII.

Cum Privilegio Sac. & Cæs. Majestatis speciali.

Ex libris S. Mariæ in Campitello

[illegible]

Admodum Reverendo, Eximio, Sapientissimo Amplissimoque Viro ac Domino

D. CHRISTIANO NEWENDALL,

ELSIO, SS. THEOLOGIÆ DOctori profundissimo ac Professori ordinario, perinsignis Collegiatæ Ecclesiæ Divi Andreæ Apostoli intra Coloniam Canonico Capitulari, Decano ac Prælato dignissimo, antiquissimi Gymnasii Montis Regenti vigilantissimo, Archiepiscopali librorum Censori &c.

Domino Patrono ac Mecænati suo jugi observantia colendissimo. &c.

NOn immeritò vereremur, *Vir Amplissime*, cum Cursu hoc Philosophico ad Montem, id est Dignitatem tuam accurrere: nam difficilis in Monte Cursus, Lapsus facilis; nisi & Cognomenti tui authoritate, & innatá humilitate *Vallem novam* accessuris pandere consuevisses. In cujus quidem umbraculis ac morum suavitate complanatá superficie quàm tutum, quàmque amœnum currentibus sit stadium, quotusquisque est, qui ignoret, qui Te saltem non ignorat? Loquitur idipsum Alma hæc Ubiorum Universitas à Te nuper non minùs suaviter quàm magnificè administratá: Loquitur perinsignis Divi Andreæ Collegiatá Ecclesia, Tibi uti mansuetissimo Capiti ac Moderatori subjecta: Loquitur antiquissima Montis Palæstra humanitatis tuæ auspiciis mirificè restaurata: Loquitur insolita Juventutis frequentia, incredibili affabilitatis tuæ influxu non tam allecta quàm attracta: Loquitur denique Urbs tota, quæ ubicunque existas, *Locum illum vocavit* & vocat, *Vallem Benedictionis usque in præsentem diem*. 2. Paralip. 20. Adeo, ut quantùm Montis tui arduitas nos accessuros posset deterrere, tantùm *Vallis* hujusmodi planities nos prolectet. Quapropter dum Cursum hunc Philosophicum novis Ty-

pis

pis à nobis commissum in publicum stadium ac studium denuo effundere connitimur, Te unum præ cæteris Patronum ac Mecœnatem eligimus, sub cujus auspiciis, nomine atque authoritate novis quodammodo alis sive incitamentis animatus Cursus iste in Doctorum manus, Libraria ac Bibliothecas, uti hactenus, ita & imposterum copiosius ac facilius influat. Quam quidem audaciam nostram eò minus Te improbaturum confidimus, quòd Author ipse nulli Philosophorum ævi nostri secundus tam rarâ methodo arteque inusitata universam Philosophiam ex ipsis planè fundamentis & principiis restaurârit, ut vel suis meritis ejus facilè aucupaturus sit affectum, qui summus Sapientiæ Doctrinæque omnis amator est & Patronus. Cui accedit, quod in sacratissimam Prædicatorum Familiam, è cujus gremio hic Author est, singulari Te benevolentia ac devotione ferri non ignoremus. Nolumus hic ulterius, ne modestiæ tuæ molestiores simus (sed qui etiam possumus?) in laudum tuarum campum excurrere; Verùm hoc unicum duntaxat DEUM ter optimum max. Cursus tui Authorem & Consummatorem enixissimè rogamus, ut feliciter consilia ac gressus tuos in hac lacrymarum valle prosperet, diuque & ad Nestoris annos Te publico Universitatis, Cleri

ac Gymnasii tui bono incolumem sospitemque præstet, ac tandem consummato Vitæ, hujus Cursu Tibi Justitiæ coronam reponat in cælis. Coloniæ Agrippinæ 4. Augusti 1693.

Adm. Reverendæ, Eximiæ, sapientissimæ Amplissimaque Dignitatis tuæ

humillimi Servi

Wilh. & Franc. METTERNICH.

SAN-

SANCTISSIMI PATRIS

DOMINICI

INCLYTI

PRÆDICATORUM ORDINIS FUNDATORIS

ELOGIUM,

Continuis perstrictum Elogiolis.

ECHO.

D*IC personata personans Echo;*
Quæ exanimis vivis, elinguis loqueris,
Quæque per auras ludens aures illudis:

Dic

Quis Dominicus?

Et cùm magnorum nomina futuri sint oracula;

Dic

Quid fatidicum prænunciavit nobis Dominici nomen? Omen.

Bene:

Ominosus namque Dominicus;

Dum stella micans in fronte parvuli novum jubar præmonstrat sæculi.

 Ergo

Ergo nè Dominico novam decuit stellam horoscopari ? Pari,

Ita planè:

Neque enim horoscopari par fuerat,

aut Candori lilii venerem;

aut rosas inserenti Martem;

Aut nutanti Ecclesiæ constanter succollanti inconstantem lunam ;

Aut publicæ ex stella lætitiæ genitui Saturnum ;

Aut mendacem Mercurium fundatori Ordinis veritatis ;

Aut Christi lucernæ terrenum Solem;

Aut ei qui malorum pœnitentiam maluit semper, quam pœnam

Horoscopari par fuerat ultorem Iovem.

Sed quid hoc stellifero prænunciatur de illo cometa meta

Sic est :

Verè meta Dominicus, & meta metus,

Qui scilicet orbem implens Rosariis, orbavit dæmonem auxiliariis.

Tenebrionem illum Rosarii ope fulminavit nedum, sed tumulavit.

Albigenses auxiliaria ejusdem Hydræ capita tot cum Rosario numeravit dejectos,

quot objectos.

Infernum plectit corona hac suplici, quæ cælum flectit,

Vno verbo

Procumbunt hîc flammarum hospites, ne occumbant;

Sicque metus meta Dominicus,

Cui ita cedit communis hostis, ne cædatur.

At

At

Quis hic Dominicus?

Vt altissimi æmulus ei servilis vilis.

Digna responsio!

Neque enim ascensum miraturi sumus in homine, qualem non miramur in flumine;

Quod non ascendit & ipsum sublimius, quam ante descenderit.

Vilis ergo Dominicus, qui humilis corde, ut Dominus;

Qui

Contentus tantum, quantum contemptus

Contemptum non vitat, sed invitat.

Vilis inquam,

Qui Regiæ stirpis Regalior palmes

Gusmanorum familiæ culmen & columen,

Avis decorus, avorum decus,

Tam omnibus clarus, quam charus

Vt fortunas suas extra fortunam poneret, in paupertatis recondit sinu,

Opibusque patriis inopes ditat pauper:

Sicque

Divite hac inopia cum regales vilescant divitiæ veluti novum numen sui tantum egens

Meruit vilis, quod altissimi æmulus ei servilis.

Sed age fidelis Echo!

Quid ultra de Dominico, cujus acta legi volunt, non tegi?

An suavior ille sibi, & sævior proximo? imò

Imò certè;

Cùm alienum malum ut suum, suum ut alienum sentiens

Omnium semper se impenderit commodo, præterquam suo.

Cum ut amor proximi totum ejus impleret pectus totum sui amorem à se procul expectoraverit.

Cum tam supplicia, quam flagitia perosus æquè fuerit ignoscentiæ fautor, ac innocentiæ.

Cum pro salute proximi ferveret ei vividus sanguis, quia effundi avidus.

Cum irati in peccatores numinis telum ut frangeret, in se reflectens

Catenis se cinxerit ferreis, quia ferum est ferrum.

Demùm

Cum alienis pro sceleribus virgineas ad carnes virgas expediens

Sanguineas faceret noctibus singulis,

Sponsi sanguinum facturas æmulum.

Sed perge, quæ nobis linguam elinguis facis.

Quid hic Religi:ni Religionis institutor? tutor.

Verè id actum:

Tutor namque Dominicus dum institutor,

Qui ordinem in Ecclesia constituit, ut restituat.

Qui ex quo suum instituit ordinem

Ecclesiæ Athlantis visus est fungi vicibus, sed veri non fabulosi.

Qui Ordinem fundat Prædicatorum:

Vt ubi messis multa, forent & operarii multi,

Qui in profligandis sed ablegandis Religionis hostibus Albigensibus scilicet,

Qui albi in ore, sed nigerrimi in voce,

Fuit periculis interritus, imò & pericula irritans,

Qui tam insitis, quam ascitis virtutibus

Eccle-

Ecclesiam decorat, dum supremo inquisitionis officio decoratur,
Qui filios Ecclesiæ procreat sed tales,
Qui vel vitia increpando humana, vel encomia concinendo divina
Eodem uterentur ad modulandum, quo ad feriendum.
Qui ut intaminatum tueretur fidei candorem pro igne purgans, dum probans hanc prædicat puram;
Sed moribus, ut vocibus,
Sed actu vitæ, ut sono linguæ,
Sed factis pronunciantibus, ut labiis sonantibus.
Qui demùm
Vni totius Ecclesiæ: saluti totus impendens
Tanquam verus Apostolicæ Scholæ peripateticus suos docet mundum perambulando fugere,
fugiendo lucrari;
Dum ipsum locus retinet nullus:
Quia stare in angulo nescit sol orbi natus.
Sed dicas quæso
An fuerit sicut laboriosa, sic & miraculosa vita? ita
Ita planè;
Cum Empyreus hic, non Empiricus Archiatrus.
Cum salutifer hic, sicut & opifer.
Cum sit dum ægros tangens ægritudines fugans.
Cum ab eo salutem hauriant, qui pro medicina mortem exspectant.
Cum animet exanimes, moveat exangues.
Cum sanctitatis odor ductor sit sanitatis.
Cum mortem suo non semel dejiciat è curru.
Cum ejus stillent digiti vitam.
Cum eo attollente vocem attollant & mortui caput.

Demùm

Cum viderit non semel Roma'

Quod apprehenderit mirus hic medicus mortui manum,

Non tam exploraturus motum arteriæ , quam daturus.

Dic tandem quæso.

Quæ huc usque tam bene dixisti:

Qualem habuit è vita exitum, qui tam faustum habuit principium ?

pium

Pium prorsus & omninò pium

Qui ,ut pius vixerat Prædicator & Rector pios inter Prædicatores

Hac expiravit concione pia.

Eia , inquit , fratres in Christo filij

Quæ postremò vos alloquor monita audite ;

Vt moti simul ac moniti

Et prosperè expleatis, propter quæ vivitis.

Et prosperrimè cœlum adeatis , cui nati estis.

Ergo

Mementote humilitatis ;

Sed & humilis paupertatis ;

Sed & inter pauperes charitatis.

Audite quid dicit veritas , ut discatur humilitas :

Sine me, *inquit*, nihil poteſtis facere :

Sive ergo parum sive multum sine eo fieri non potest, sine quo fieri nihil potest.

Ergo estote humiles, ut Christo similes,

Qui totum in humilitate reponit, dum solum corde humilem se proponit.

Estote humiles, sed memores,

Quod verus humilis vilis vult reputari ; non tamen humilis prædicari.

Hinc

Hinc
Honores non ambiatis si sapiatis:
Cui enim honos, eidem onus.
Ea igitur desinite sequi, quæ miserum est assequi.
Ultra
Divitiæ si affluant, sinite libenter, ut fluant:
Adeò quædam est societas penè etiam nominis duabus hic rebus, vitiis & divitiis.
An non beatus qui post illa non abiit,
Quæ possessa onerant, quæ amata inquinant, sed quæ amissa cruciant?
An non talia satiùs cum honore spernitis, quam cum dolore perditis?
Fateor:
Res qui quidem vobis angusta;
Sed patri credite sincerius monenti, quia morienti
Per angusta tutiús pergitur ad augusta.
Hujus tandem mementote effati,
Quod Charitatem si non habuero nihil mihi prodest:
Sunt autem in charitate amores duo
Dei, & proximi:
Duæ quidem partes sed unum totum:
Annuli duo sed catena una:
Duæ actiones, sed una virtus;
Duo opera, sed una Charitas:
Non ergo putetis amari alterum sine altero, cum alterum ametur in altero.
Horum ergo sicut & hujus mementote,
Quod tamdiu Ego Pater, quamdiu vos filij ij.

Licentia Reverendissimi Vicarii Generalis Ordinis.

NOs Fr. Petrus Maria Passerinus de Sextula, Sacræ Theologiæ Professor, Ordinisque FF. Prædicatorum Procurator & Vicarius Generalis, Vt *Cursum tuum Philosophicum Thomisticum*, edere possis, modo prius à duobus in Sacra Theologia Magistris à Provinciali tuo designandis approbetur, harum serie nostrique authoritate officii tibi R. P. F. Alexandro Piny, S. Theologiæ Baccalaureo & Professori licentiam facimus & facultatem, servatis tamen secundum jura servandis. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis propria manu subscripsimus. Datum Romæ die 13. Julij anno Domini 1669.

Fr. Petrus Maria Passerinus,
Vicarius Generalis Ordinis.

Mandatum Reverendi admodum Patris Provincialis.

NOs Fr Joannes Lange, in Sacra Theologia Magister, Provinciæ Ordinis FF. Prædicatorum humilis Prior Provincialis Audientes compositum *Philosophicum Cursum* atque *Thomisticum* à R. P. Fr. Alexandro Piny, Sacræ Theologiæ Baccalaureo Professore, in quo conclusiones singulæ ex principiis tribus expositis deductæ syllogisticè & reductæ, &c. totumque ad libram Angelici præceptoris ponderatum, appensum, audimus illum in viis justitiæ ambulantem, in medio semitarum, judicii, sicque currentem ut verius comprehendat, apprehendatur ab omnibus sapientia fausto Philosophico cursu atque Thomistico, D. Thoma currente primo, quem possedit Dominus in initio cursus sui, atque viarum, & ex antiquis, ut veram, justam, rectam & solidam currerent singuli Philosophiam, omnia appendentem, terræ solida fundamenta, fontes aquarum, æthera, certa lege & gyro vallantem omnia, singula percurrentem, singula penetrantem; apprehendentem omnia, & in aquis abissi [quam D. Thomæ nomen significat] omnia continentem tribus principiis quasi tribus fluminibus, aut quasi tribus digitis tota terræ mole appensa. Quæ quamvis omnibus his modis justa, pateat amplius

justi-

justificata justo examine & librata approbatione. Mandamus curæ RR PP. Magistrorum in Theologia Honorati Fulconis, & Antonini Fort, juxta præscriptum nobis à Reverendissimo P. Vicario Generali Petro Maria Passerino. Datum in Conventu nostro Aquensi, die 6. Augusti anni 1669.

FR. JOANNES LANGE, qui supra.

Approbatio Doctorum Ordinis.

CURsum *Philosophicum Thomisticum à R.P. Fr. Alexandro Piny, Sacra Theologia Baccalaureo & Professore*, vidi, nihilque in eo deprehendi, quod vel doctrinam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel morum probitatem offendat; & cum sit singulari arte elaboratum, multiplicique eruditione amœnatum, ut sit, cur sibi gratuletur auctor, ejusque doctrina elucescat uberius, & ab omnibus videri queat, dignum propterea sentio, quod in lucem prodeat, non minorem istius operis frugem exspectans, quam ab aliis tractatibus non ita pridem ab eodem auctore in lucem editis. Datum Aquis Sextiis die 9. Augusti, anno 1669.

P. FR. HONORATUS FULCONIS,
Ord. FF. Prædic. Sacræ Theologiæ Magister.

PHilosophiam *Reverendi Patris Alexandri Piny, Ordinis FF. Prædicatorum, Baccalaurei & Professoris*, ex mandato R. admodum Patris Provincialis perlegi, eamque ubique publicandam, Typisque mandandam publicis censui; cum in ea quod fidei Catholicæ refragetur nihil, quod illi suffragetur multum sit, opus certè in stylo, resolutione, acumine authoris dignum: ingenio, eruditione, soliditate commendandum; uno verbo quod Angelicum sapit Magistrum. Hæc est nostra sub sapientiori correctione sententia in Conventu Massiliensi, die 15. Augusti anni 1669.

P. FR. ANTONINUS FORT, Ord. FF.
Prædic. S. Theologiæ Magister.

Ego

Ego Doctor Sorbonæ & Ecclesiæ Lugdunensis Theologus legi librum, cujus titulus est, *Cursus Philosophicus, Thomisticus &c. Authore R.P. Alexandro Piny, &c.* In quo testificor me nihil contra fidem, nec contra bonos mores agnovisse, & propterea typis mandari posse mihi visus. Lugduni, die 24, Novembris anno 1669.

ARROY.

C*ursus Philosophicus Thomisticus, Authore R.P. Alexandro* Piny, *Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Baccalaureo & Professore*, facile in lucem prodire posse judico; utpote qui nihil contineat quod fidei aut probis moribus adversetur, ita testor Ego Doctor Parisiensis, Lugduni, die Januarii 8, anni reparatæ salutis, 1670.

F. E. VIAL.

Ego infra scriptus Religiosus inclytæ Abbatiæ sancti Victoris Massiliensis, Juris utriusque Doctor, & in eadem Abbatia S. Theologiæ Professor, diligenter & summa cum animi voluptate expendi, *Cursum Philosophicum Thomisticum, ubi conclusiones singulæ ex principiis tribus expositus deductæ syllogisticè & reductæ &c.* in quo nihil à recta fide alienum aut piis moribus dissonum, sed omnia profundam eruditionem redolentia & sanæ doctrinæ consona reperi: in eo siquidem conclusiones singulæ Philosophicæ eo sunt ordine & judicio digestæ, eâ ingenii subtilitate discussæ, eâ perspicuitate usque ad principia indubitata resolutæ, ut quod hactenus aliis videtur ignotum author iste in hoc opere feliciter consecutus fuerit. Sicut ergo Doctor Angelicus Theologiæ reparator ab omnibus commendatur, quia sacram doctrinam ad certum redegit ordinem, & à multis quibus olim scatebat involucris exemit, ita & author iste præceptoris sui fidelissimus discipulus Philosophiæ restaurator non immerito dici potest, quia in aliis scriptoribus vel mancam, vel sane non tanto labore digestam Philosophiam pristinæ restituit dignitati, dum quam illi scientiam ut plurimum non probant, sed supponunt, non resolvendo usque ad principia, ipse mira & nova arte solidissime & evidenter, quantum fieri potest, demonstraverit. In hoc etiam

etiam opere adversariorum acies adeo fortiter perstringit, retundit spicula, solvit versutias, ut nihil intactum, nihil insolutum remaneat, immò [quod omni commendatione dignum est] ita illorum conatus irridet, ut difficultates quas ipsi exiliter proponunt multum augeat, quasi nova illis arma subministrare velit, quod sane generosi animi est. Cursum itaque istum Philosophicum Thomisticum, non solum publica luce, sed & æterna & immortali memoria dignum censeo. Datum Massiliæ, die 14. Septembris, Anno 1669.

J. Jacobus de Vias.

Ego infra scriptus Presbyter Oratorii Domini Jesu, & publicus in Civitate Arelatensi, Sacræ Theologiæ Professor, *Cursum Philosophicum Thomisticum, cujus Author est* R.P. *Alexander Piny, ubi conclusiones singulæ ex principiis tribus expositis deducta syllogisticè & reducta &c.* accuratissimè legi: præter insolitam quam in argumentis in eo contentis novi efficaciam; hoc insuper ad ipsius commendationem adjiciam, nimium opus esse titulo suo dignissimum, & in quo nulla nisi sana ac germana sanctæ Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici continetur doctrina.

Cotel, Arelatensis Theologiæ Professor.

Reverendi P. Fr. *Alexandri* Piny, *Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Baccalaurei & Professoris, Cursum Philosophicum Thomisticum, ubi conclusiones singulæ ex principiis tribus expositis deductæ syllogisticè & reductæ &c.* attenta & accuratâ mente perlegi: in quo nihil fidei orthodoxæ, & bonis moribus adversans reperi; imo omnia ad inconcussam Doctoris Angelici doctrinam intelligendam perutilia passim cum admiratione inveni, in hoc enim cursu, Author celeriter adeo currit, ut seipsum superans, quiescat tutus in sublimi vertice, quem nullus hactenus ascendit. Quod maximè demonstrat subtile & ardens illius ingeniũ, acre & præsens judicium; in quæstionum varietate stupenda eruditio, in explicandis eruendisq; difficultatibus mira dexteritas, styli claritas, ratio-

num

num ubertas,& hucusque fœcunditas inaudita,ac mirabilis singularum conclusionum cum tribus principiis textura. Accedant igitur cuncti veræ Philosophiæ amatores,& de purissimis hauriant hujus cœlestis doctrinæ undis;in illis Doctores occultiora D. Thomæ testimonia mirâ claritate explanata reperient;tyrones brevitatem commodam ; litterati profunditatem subtilitati sociatam invenient,meridiana enim hæc Philosophia refulget methodo,& rata dispositione omnes ad sui amorem allicit & laudem trahit,Quare ego infra scriptus in hoc Aquensi Cœnobio Ordinis Minimorum Sacræ Theologiæ Professor, censeo hoc opus esse dignissimum,ut typis ad authoris sui gloriam, Scholæ Thomisticæ decorem omniumque gaudium & utilitatem mandetur. Datum Aquis Sextiis apud sanctam Mariam de sede,die 10. Septembris anno 1669.

P. Fr. Ludovicus Rabier, Ordinis Minimorum, S. Theologiæ Professor.

Cursum hunc Philosophicum Reverendi Patris Alexandri Pyni, Ordinis FF. Prædicatorum in Theologia Baccalaurei & Professoris, studentium quisque inoffenso currere potest pede; nihil in eo spinosum à quo pungi,nihil salebrosum in quod impingi ab ullo currentium possit: immo sic plana omnia,sic omnia florida, ut intendisse videatur author lectorem suum inter delicias nedum inter angustiarum molestias ad Angelicam manuducere sapientiam. Tanta quippe cum intelligentia ejus principia radiare facit;tanta cum evidentia eius conclusiones deducit;tanta cum soliditate pariter atque subtilitate quidquid contra opponitur dissolvit ; tanto cum ordine quidquid in ea tractatur disponit; tanta cum perspicuitate atq; puritate quidquid docet exprimit,ut non tâ cum peritorum aliquorum laude probari, quam cum litteratorum omnium plausu excipi mereatur. Laudare igitur & de plenitudine cordis plaudere gestienti hoc unum attexam: desperet æternum à dissipanda Ecclesia totus infernus , nihil in eam se posse sentiens quamdiu stabit Thomas,tamdiu Angelici Doctoris Theologia stabit, quamdiu stabit ejus compacta Philosophia per Alexandrum ex digno Thomæ discipulo nunc dignum colentem Thomam Magistrum. Ita sentit pro veritate & sua in authorem debita pietate. Datum Massiliæ in nostro Dominæ de concordia cœnobio pridie idus Septembris anni 1669.

Fr. J. à Sancta Anna, Sacræ Theologiæ Professor,è Congregatione Fulliensi.

Privi-

Privilegium Sac. Cæſ. Majeſtatis & Facultas P. Vicarii Generalis Ordinis Præd.

CUm Sac. Cæſ. Majeſtatis Decreto Viennæ 15. Maij 1666. dato omnibus & ſingulis Typographis, & Bibliopolis, atque aliis quibuſcunque librariam negotiationem exercentibus ſub gravi mulcta ſeriò prohibeatur, ne quiſquam libros ab Ordinis Prædicatorum Patribus editos, vel deinceps edendos intra Sacr. Rom. Imperii, Regnorumque & Dominiorum ſuæ Sac. Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum fines ſive in toto, ſive in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi impreſſos adducere, vendere vel diſtrahere clam vel palam citra Conſenſum & teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat, vel præſumat:

Ego Fr. Vincentius Dempfler, ejuſdem Ordinis Sac. Theologiæ præſentatus per Provinciam Teutoniæ Vicarius generalis, harum virtute & authoritate officii mei concedo DD. *Wilhelmo & Franciſco Metternich* Coloniæ Bibliopolis, & poteſtatem facio, ut Opus Philoſophicum [*Curſus Philoſophicus Thomiſticus*] nuncupatum ab adm. R. P. Fr. *Alexandro Piny* compoſitum, ſupra dicti Ordinis Sacræ Theologiæ Baccalaureo & Profeſſore gallo compoſitum, & à noſtris Theologis in gallia cenſum & approbatum, ibique primò Typis evulgatum in Germania reimprimi poſſit. Quam facultatem à me conceſſam manu propria Officii mei ſigillo roborare volui. Actum Landishutti in Conventu noſtro ad S. Blaſium 10. Febr. 1693.

FR. VINCENTIUS DEMPFLER Præſentatus & Vicarius Generalis Teut. m.p.

FR. HENRICUS FABER Præſentatus & Socius m.p.

Regiſt. pag. 12 n. 37.

INDEX

INDEX QUÆSTIONUM TOMI PRIMI.

De Dialectica.

Ex libro primo Logicæ.

Ex

Ex libro secundo Logicæ.

Ex libro tertio Logicæ.

Ex libro quarto Logicæ.

Quæstiun-

Qua-

Ex libro quinto Logicæ.

Ex libro sexto Logicæ.

BRE-

BREVIS AD LOGICAM INTRODUCTIO.

QUONIAM Logica, quæ deſcribitur communiter Ars diſputandi, ſeu habitus operationum mentis directivus, ad rectè & ſine errore definiendum, dividendum & argumentandum, in duas dividitur partes ab Ariſtotele; prioriſticam ſcilicet, quæ verſatur circa formam diſcurſûs, & poſterioriſticam, quæ de diſcurſûs materia tractat, docens ſcilicet ex quibus & qualiter neceſſariis præmiſſis, ut ſcientiam generet, diſcurſus procedere debeat, quæque quia principalior, & longior, & prolixior, nomen ipſum retinet Logicæ, cum altera Dialecticæ ſeu Summularum nomine nuncupetur; ideo ut ad principaliorem, de qua moventur hodie difficultates, quæ diſputari ſolent apud Logicos, quam primò deveniamus, quæ circa diſcurſus formam tradi ſolent, breviter, ut ſolent, exponam, tradens ſcilicet quæ de ea ſcienda occurrunt, omiſſis quæ circa eandem occurrere poſſunt, ſcibilibus; & hoc tum ut faſtidium quod eſt in tyronibus delicatiſſimum, & in his, ut pluries expertus ſum, frequentiſſimum, levem utcumque; tum quia quæ non tam ſcienda quam ſcibilia ſunt in his & ſimilibus materiis, ſua nimietate non parum officiunt, atque tyronum memoriam, ubi diu vexaverint, prius ac magis atterunt ac debilitant, quàm acuant.

Quæ igitur in his neceſſaria ac perutilia novi, atque in uſum venientia tribus abſolvam quæſtionibus, in quarum prima agetur de vocibus ſimplicibus ſeu terminis, eorum-

que proprietatibus, ex quarum quidem ignorantia vel inadvertentia committitur frequenter defectus in discursibus, seu syllogismis. In secunda vero agetur de propositionibus; & tandem in tertia de argumentatione præcipue syllogistica: hujus autem divisionis & ordinis ratio est, quia cum tractatus iste prioristicus ordinetur, ut dictum fuit, ad dirigendum intellectum, ut rectè & absque errore in suis operationibus procedat ex parte formæ; & tres diversæ sint intellectus nostri operationes, propterea quod per triplex genus operationis versari potest circa objectum: primò simpliciter sibi repræsentando unum vel multa sine affirmatione aut negatione, quæ dicitur prima tum simplex apprehensio; secundò aliquid de alio affirmando vel negando, quæ dicitur judiciũ & secunda intellectus operatio; tertiò aliquid ex alio inferendo, quæ est ratiocinatio sive discursus, consequenter fit quod cùm voces sint signa conceptuum nostrorum sicut & rerum; conceptuum quidem, quia per sui cognitionẽ mentem inducunt, ut ejus qui loquitur conceptum nobis efformemus, ex quo sequitur quod sint & signa rerum, cum non sint conceptuum signa, nisi quatenus conceptus illi sunt repræsentativi rerum; inde, inquam, fit, quod pro triplici genere operationum nostrarum intellectualium, ad quarum directionem ordinatur hæc introductio, sive hæc Logicæ pars prioristica debeat consequenter tractare de vocibus secundum quod significantibus ad modum vel primæ, vel secundæ, vel tertiæ operationis; ac proinde cum vox omnis sive simplex, sive complexa, id est, ex multis conflata dictionibus, (quam orationem vocant,) pertineat vel ad primam mentis operationem, & vulgò appellatur terminus, vel pertineat ad secundam, & dicitur enunciatio seu propositio; vel denique ad tertiam quæ est argumentatio: ideo de singulis præfato & supra exposito ordine agendũ est. unde fit.

QUÆSTIO I.

De variis Terminorum divisionibus, eorumque proprietatibus.

SCIENDUM *est primò*, terminum esse dictionem extremam propositionis, in quam scilicet dividitur propositio

tio tanquam in subjectum & prædicatum : quas enim appellant dictiones Grammatici, à Logicis dicuntur termini, ex eo quod propositiones terminent; sicque in hac propositione, Petrus est homo, Petrus dicitur subjectum, prædicatum vero est homo, qui de Petro dicitur; & sive prædicatum sive subjectum dicuntur termini, quia propositionem terminant.

Sciendum secundò, quod terminus vel est mentalis qui mente solum concipitur, vel vocalis qui voce exprimitur: isque vel positivus, si quid reale significat, ut homo: vel negativus si quid non reale, ut tenebræ : item alius quem categorematicum appellant, qui scilicet per se aliquid significat, ut homo, alius autem est syncategorematicus, qui per se nihil significat, sed categorematico adjunctus, illi certum significandi modum tribuit, ut conjunctiones, adverbia, &c.

Sciendum tertiò, quod ille idem terminus alius est simplex & incomplexus, qui talis dicitur, dum scilicet est tantum unica dictio, ut homo; alius vero complexus sive compositus, si est ex multis, ut animal rationale: item dicitur ille terminus vel finitus vel infinitus : infinitus ille est, cui præfigitur particula non, unde rebus diversis in infinitum attribui potest; ut non homo, quod dici potest de re qualibet, præterquam de homine; finitus autem è contra.

Sciendum quartò, quod categorematicus terminus vel est nomen vel verbum; est autem verbum ex Aristotele vox significativa ad placitum cum tempore, & est nota eorum quæ dicuntur de altero; ea nempe est natura verbi, primò quidem ut aliquod genus actionis aut passionis de altero significet, qua ratione *amo* v. g. significat actionem amandi in me, sicque etiam significat connexionem prædicati cum subjecto, eamque ob causam dicitur esse nota eorum quæ dicuntur de altero: at ipsi adjuncta est & hæc particula, cum tempore, eò quod scilicet simul indicet tempus, quo res significata fiat, quod utique nomini competere nequit: etenim significare cum tempore est significare actionem vel passionem, prout in fieri; ex eo scilicet quod motus & actio tempore regulentur & mensurentur; nullum autem est nomen, quod significet motum, actionem vel passionem prout in fieri, & ita nullum significat cum tempore, sed hoc competit verbo, ut patet

in hoc verbo; *curro:* quod quidem significat cursum prout in præsenti tempore exercetur: unde terminus ille dicitur nomen quod est vox rei significativa ad placitum sine tempore; ut *lapis, homo, domus.*

Sciendum quintò, quod terminus ille, qui dicitur nomen, alius est primæ, alius secundæ intentionis, sive quibus significantur primæ aut secundæ intentiones, id est intellectûs nostri notiones: notabis enim intentionem hoc in loco & apud Logicos idem esse ac notionem, seu cognitionem intellectûs vel directam vel reflexam, licet in moralibus significet intentio actum voluntatis, quo finem seu bonum, ad quod tendit, prosequitur: unde quia intellectus noster per actum cognitionis primo intendit ad ea, quæ rebus conveniunt à parte rei, citra omnem nostri intellectus operationem, ut ad esse animal, ad esse hominem, ad esse arborem: ideo voces illæ, *animal, homo.* &c. dicuntur termini & nomina primæ intentionis aut etiam primæ impositionis: at vero secundæ intentiones sunt ea attributa, quæ rebus illis conveniunt tantum post operationem nostri intellectus; quo modo animali convenit esse genus aut prædicatum; dicunturque illæ secundæ intentiones, quia intellectus nonnisi per reflexam & veluti secundariam cognitionem ad illa intendit, & ideo illa nomina *genus, prædicatum* &c. vocantur nomina secundarum intentionum, & secundæ impositionis, quia rebus non imponuntur, nisi ut ipsæ prius habent attributa ejusmodi ab intellectu nostro.

Sciendum sextò, ex illis terminis & nominibus alia esse concreta, quæ scilicet formam cum subjecto, seu compositum ex forma & subjecto significant; alia autem sunt abstracta, quæ solum formam designant; quæ quidem, ut tyro intelligat, notandum est formam hic apellari rem illam, quæ in alio tanquam in subjecto recipitur, facitque ut denominetur, seu dicatur tale: sic lapis albus est subjectum albedinis, quæ dicitur forma in lapide existens, & faciens, ut denominetur, seu dicatur albus: album autem, quod dicitur nomen concretum, idem est ac res illa alba, seu compositum ex subjecto & illa albedine, at albedo est abstractum ab albo solam albedinis formam significans: ut autem etiam explicetur quid passim in Philosophia significet ly abstractum & abstrahere; notabis abstractum idem esse ac quasi separatum seu præcisum ab alio,

alio, quod beneficio intellectus fieri passim in Philosophia videbimus: sic albedo considerata sine subjecto, cui inhæret, dicitur forma abstracta à suo subjecto: sic similiter intellectus præcisè considerans, v. g. animal, non cogitando vel hominem vel equum &c. dicitur abstrahere, seu etiam præscindere animal ab equo & homine & similibus aliis, quo pacto animal dicitur esse natura per operationem intellectus abstracta ab homine & equo.

Sciendum septimò, ex terminis alium esse connotativum & alium absolutum: terminus connotativus est ille, qui rem aliquam significat aliam importando propter connexionem, quam inter se habent: ita pater dicitur connotare filium aut servus dominum, crispitudo capillum, & simitas nasum: terminus vero absolutus ille est qui aliquid significat independenter ab alio, ut *homo*, *animal*, *lapis*.

Sciendum octavò, terminum alium vocari essentialem, qui rei essentiam significat; alium autem accidentalem, qui tantum designat aliquod accidens, seu rem alteri accidentalem: pro quo notabit tyro essentiam illud appellari, per quod res primo in suo esse constituitur, & sine quo nec esse nec concipi potest: quamobrem dicitur & primum principium aut proprietatum aut operationum, quæ in ea reperiuntur, è contra vero illud dicitur accidens aut rei accidentale, quod ipsi extra essentiam accidit, ut homini esse magnum, doctum, album, validum &c. sicque albedo, calor, doctrina &c. sunt accidentia in homine: nam homo intelligitur esse homo, ex eo præcise quòd sit animal rationale, abstrahendo à doctrina, calore, albedine aliisque similibus, quæ in eo repetiri possent,

Sciendum nonò, ex terminis alios dici particulares aut singulares, qui rem particularem aut singularem significant, ut *aliquis homo*, *Petrus &c.* alios vero dici communes, qui scilicet pluribus attribuuntur ut nomen *animal*, quod tribuitur homini, equo &c. Notabis autem rem termino communi significatam convenire & tribui pluribus vel eodem modo, ut animal homini, equo &c. istique vocantur termini univoci; vel certé pluribus convenit diverso modo, ut homo, tum picto, tum vero homini; suntque isti termini æquivoci.

Sciendum decimò, quod termini illi univocè communes propriè, & ut plurimum dicuntur universales, adeo-

quę res illa pluribus univocè communis vocatur natura universalis; illa vero plura vocantur naturæ ipsius universalis inferiora, qua ratione homo, equus, leo, &c. dicuntur inferiora animalis; sicque etiam homo albus, nix, lapis albus, dicuntur inferiora albi; atque ita natura universalis reperitur in inferioribus vel essentialiter, ut animal in homine, equo &c. vel accidentaliter seu denominativè, ut album in homine & lapide albo.

Sciendum undecimò, pro ampliori termini illius *universale* intelligentia, quintuplex ex communi sententia esse universale, nam primò vel id quod est commune pluribus, subindeque & est universale, est tota natura, ut homo respectu Petri & Pauli &c. & hoc dicitur *species* seu natura specifica, vel secundò est aliquis gradus, seu pars naturæ multis speciebus communis, ut animal, quod est commune homini, equo & leoni, & hoc dicitur genus, seu universale genericum, aut natura generica; vel tertiò est gradus naturæ specificæ proprius, & per quem sub illo communi genere differt ab aliis, ut rationale quod est commune Petro, Paulo & aliis hujusmodi inferioribus, quæ appellari solent individua, quia in alia inferiora sunt indivisibilia, & tale commune, seu universale dicitur differentia: vel quartò commune illud pluribus est accidens aliquòd proprium, seu quod habet connexionem necessariam cum suis inferioribus, ut risibile cum omnibus hominibus individuis, & hoc dicitur universale proprium; vel denique illud commune pluribus est accidens contingens, sive solum contingenter inhærens suis inferioribus, ut album, quod est commune Petro & lapidi, & hoc dici solet universale accidentale.

Sciendum duodecimò, præter istos universales terminos, esse alios, qui dicuntur transcendentales, qui scilicet non solum pluribus ut ly universale præcisè sumptum, sed etiam rei cuicumque tribuuntur, ut *ens*, *unum*, *verum*, *bonum*, *aliquid*; nihil enim est reale, quod non dicatur ens, & sub hac ratione entis, quod non dicatur unum, verum, bonum, aliquid, ut Deo dante, fusè videbimus in Metaphysica.

Sciendum decimotertiò, ex terminis, seu nominibus aliqua dici *denominativa*, seu paronyma: dicitur autem denominativum nomen illud, quod à priori aliquo vocabulo & significatione deducitur, ut album ab albedine,

ju-

justus à justitia, & significat per modum adjacentis; pro cujus pleniori intelligentia notandum est denominativa propriè & juxta Aristotelem esse tantum accidentalia, non autem substantialia, ipsumque concretum, puta album vocari denominativum; abstractum autem ut albedo vocatur forma denominans: at subjectum puta paries dicitur denominatum, seu res denominata; item communis ille est loquendi modus, formam subjecto advenientem communicare illi suam denominationem, hoc est communicare illi suum effectum formalem, & facere ut sit & dicatur tale: exempli causâ albedo parieti inexistens communicat illi formaliter esse albi; ac proinde facit, ut denominetur, id est ut dicatur, seu dici à nobis possit albus: est autem omnis denominatio vel intrinseca, si forma denominans est intra subjectum, seu in ipso subjecto, ut quando paries denominatur albus ab albedine in ipso existente: vel extrinseca, si forma denominans sit extra subjectum denominatum, ut quando paries denominatur visus à visione mea, quæ circa ipsum versatur.

Sciendum decimoquartò, præter nomina denominativa, sive paronyma, alia esse univoca, seu synonyma: univocum autem dicitur illud, quod sub eodem nomine rationem habet in multis perfectè eandem; id est eodem modo; quantum est de se, in suis inferioribus continetur, ut animal in homine & equo: ex qua quidem definitione sequitur primò, univoca perfectè & adæquatè abstrahere à differentiis, per quas ad inferiora contrahuntur, ita ut secundum totum suum conceptum considerentur extra illas, alioqui ratio illa abstracta non esset una, nec consequenter eadem; siquidem differentias includendo multiplicitatem diceret & diversitatem: item sequitur, univoca inferioribus, quantum est, de se non convenire inæqualiter, adeo ut si inæqualiter reperiantur, hoc fit tantum per accidens & ratione differentiarum, quæ se habent ad illa ut quid extrinsecum: ratio autem hujus est, quia ratio univoca ideo dicitur perfectè una, quia fundata est in perfecta convenientia inferiorum: sequitur tandem ex præfata definitione, rationem univocam non convenire suis inferioribus, secundum prius & posterius, juxta id quod habetur ex Aristotele in Metaph. *posterius illud fore deterius*, id est, minoris perfectionis essentialis: quo modo ait sæpe D. Thomas cum Aristotele accidens

participare rationem entis per posterius ad substantiam, quia non participat illam rationem entis nisi supposita substantia, aut per ordinem ad substantiam, qua sublata non foret accidens: at ratio univoca animalis ita participatur ab homine & equo, ut non sequatur equum esse impossibilem, si homo non fuerit possibilis; nec enim participat rationem animalis per ordinem ad hominem, aut dependenter ab ipso.

Sciendum decimo quintò, præter univocum & denominativum nomen, aliud esse æquivocum, seu homonymum, quod quidem sumptum ut sic, in duas dividitur species; nam ex æquivocis alia sunt quæ dicuntur pure æquivoca, seu æquivoca à casu; alia autem sunt, quæ in doctrina peripatetica vocantur æquivoca à consilio, solentque vulgo appellari analoga: dicuntur autem purè æquivoca ab Aristotele ea, quorum nomen solum commune est, & ratio per nomen significata omninò diversa, ut quando nomen canis tribuitur tam vero cani, quàm cælesti constellationi, aut pisci, quem canem etiam appellant, vocaturque æquivocum à casu & fortuito, id est sine ullo fundamento in re, idem illud nomen rebus tam diversis fuit impositum: æquivoca vero à consilio, sive analoga sunt ea, quæ sub eodem nomine rationem habent partim eandem & partim diversam; ita ratio pedis est quidem simpliciter diversa in pede scamni, & pede animalis, at nihilominus in eo conveniunt secundum quid, seu proportionem in eo habent, quod illa pars in scamno sustineat totam molem, perinde, ac pes in homine; unde appellantur hujusmodi analoga proportionis, alia namque sunt analoga attributionis, quorum dicitur esse ratio eadem propter ordinem, quem habent vel multa ad unum, vel unum ad multa: primo enim aër, medicina, sudor, cibus & cætera id genus dicuntur sana, ex eo quod habeant ordinem ad sanitatem animalis, cui propriè tantum seu formaliter & primariò convenit sanitas, & ideò vocatur primum & præcipuum analogatum; alia autem secundaria solum analogata, atque ista quidem solent etiam dici analoga ad unum; cum alia hujus generis dicantur; è contrà analoga ab uno: quo modo libri vocantur medici, & schola medica propter Medicinam, quæ in istis est præcipuum analogatum; siquidem à Medicina derivatur illa ratio ad alia.

Scien-

Sciendum decimosextò, terminum complexum quem supra diximus illum esse, qui pluribus constat dictionibus, vulgo dici orationem simplicem, quæ scilicet collectio est ex multis vocibus sensum aliquem unum constituentibus, cujus proinde partes seorsim sumptæ aliquid significant, porro hæc ratio simplex, quæ talis dicitur ad differentiam enunciationis, quæ est oratio composita, solet ut plurimum & in præsenti usurpari pro definitione & divisione, dicitur autem communiter definitio oratio explicans rei naturam, seu essentiam; ut cum aiunt, homo est animal rationale; tunc enim homo vocatur definitum, seu res quæ definitur: at animal rationale est definitio; nam est explicatio clara & distincta hominis, cujus natura alioquin concipiebatur solum confusè: quo pacto definitio confert ad perfectionem primæ operationis intellectus, cum illam sic reddat claram & distinctam; divisio vero dicitur commmuniter oratio qua totum in suas partas distribuitur ut cum aio: hominis pars, alia corpus, alia anima: ubi quod est totum vocari solet divisum, ut homo, partes vero illius dicuntur membra dividentia ut corpus & anima: pro pleniori autem horum intelligentia

Quid sit definitio & quid divisio.

Sciendum ultimò, rei saltem creatæ naturam seu essentiam continere in se quasi plures partes seu perfectionis gradus ex quibus constet: primo enim in ea designatur gradus genericus; estque id in quo convenit cum rebus aliis diversæ speciei, cujusmodi in homine est animal, sic enim in gradu animalitatis convenit homo cum equo, leone & aliis animantibus: at secundò est gradus specificus, per quem in tali specie animalis constituitur, qui vocari solet differentia, ut in homine, rationale; sic enim per gradum illum differt ab aliâ quâcumque animalis specie: quare notabis definitionem, ut bona sit, debere constare genere & differentia, alioquin rei essentiam clarè & distinctè, seu per partes non explicatur: hæ autem sunt definitionis leges; primo ut clarior sit definito; nam eum in finem oratio illa est instituta, ut scilicet ignotam definiti naturam manifestet. Secundo ut adæquetur cum definito, & cum ipso convertatur; id est ut omni & soli definito conveniat: cum enim essentiam rei contineat, omni & soli talem habenti essentiam non potest non convenire; tertio brevis esse debet, ut Philoso-

Quæ sint leges bonæ definitionis.

losopho sit magis in promptu, & memoriæ facilius mandetur: quantùm vero ad divisionem leges hujus præcipuæ sunt, quod membra illius sint opposita, sive quod non debeant sese mutuo includere: secundò quod divisum latius pateat quam singula membra seorsim sumpta, at vero simul sumpta omnia ipsum adæquent divisum, id est nec minus eo pateant, nec latius: porrò hac etiam oratione multum quoque juvatur intellectus ad rem clarè & distinctè concipiendum: potestque perinde ac definitio revocari ad primam mentis operationem, si fiat sine affirmatione aut negatione, alioquin pertineret ad secundam; ut quando sic totum essentiale dividunt in suas partes essentiales: hominis pars alia est corpus, alia autem est anima, vel quando sic dividitur genus in suas species, animal aliud est homo, aliud est brutum.

De legibus bonæ divisionis.

De Proprietatibus terminorum.

Sciendum primò, præcipuas terminorum proprietates, ex quarum variatione vel inadvertentia sæpissimè committuntur defectus in discursibus, esse tres, scilicet suppositionem, ampliationem, & appellationem: dicitur autem in præsenti suppositio acceptio vocis, vel pro se ipsa vel pro re significata; unde duplex est suppositio, altera materialis, quando scilicet vox supponit pro se ipsa, ut cum aio, Deus est nomen; altera est suppositio formalis, quando supponit vox pro re significata, ut si dicatur; Deus est immensus: ampliatio vero est, quando vocis seu termini significatum ad alia etiam tempora extenditur, ut cum ajunt omne animal est vivens, tam intelligitur de animalibus quæ fuerunt & futura sunt, quam de iis quæ existunt: appellatio denique est quando vocis significatum alicui tantum rei certæ ac determinatæ applicatur, ut cum ajunt; Aristoteles est magnus philosophus, ly magnus dicitur appellare ly philosophus; diciturque philosophus esse res appellata, seu res sub qua Aristoteles dicitur magnus: quantum autem ad suppositionem, quæ præcipua est, ad quam præcipue est attendendum, pro variis discutiendis fallaciis.

Sciendum ultimò, suppositionem formalem aliam esse simplicem, aliam autem personalem; simplex ea dicitur, quando vox sumitur pro suo immediato significato, ut cum dicitur; animal est vivens & sentiens: tunc animal sumitur immediate seu in communi, non autem pro animalibus in

pat-

particulari, personalis vero suppositio est, quando vox sumitur pro significato mediato, id est, cum extenditur ad significata particularia: item personalis suppositio alia est singularis, quando vox sumitur pro significato aliquo singulari, ut cum aio, Petrus vel hic homo loquitur: alia autem est communis, quando nomen commune sumitur pro suis inferioribus; ac præterea communis hæc suppositio personalis habet sub se diversas species: primò enim est distributiva, quando vocis significatum extenditur ad omnia inferiora distributivè sumpta; id est cum de quolibet inferiori sigillatim dicitur, ut cum aiunt; omnis homo est animal rationale: secundò est copulativa, quando significatum vocis sumitur tantum pro inferioribus collectivè sumptis, ut cum aiunt; omnia elementa sunt quatuor: tertiò est confusa seu indeterminata, quando scilicet sumitur significatum vocis pro inferioribus tantum indeterminatè & disjunctivè, hoc nimirum vel illo, ut cum dicitur; penicillus est pictori necessarius ad pingendum: notabis denique suppositionem distributivam, de qua supra, esse vel completam, vel incompletam, completa est, quando vox supponit, id est, sumitur pro singulis generum, seu pro singulis sub genere contentis, ut cum aio: omnis homo est animal rationale: incompleta vero est, quando terminus accipitur tantum pro generibus singulorum, id est, pro aliquibus duntaxat individuis illorum generum, aut specierum, ut cum aiunt, omne animal fuit in arca Noë.

QUÆSTIO II.

De propositione, ejusque proprietatibus.

SCIENDUM *primò*, propositionem sive enunciationem aut prædicationem esse orationem, in qua unum de alio affirmatur vel negatur; ut cum aio, Petrus est homo, vel Petrus non est lapis: quo pacto differt ab aliis operationibus: unde etiam intelligis affirmationem vel negationem esse essentiales propositioni, ipsamque dividi in affirmativam & negativam, tanquam in duas species essentialiter diversas: appellatur autem propositio, eo quod in ea aliquid proponatur discutiendum; item appellatur enunciatio, eo quod in ea aliquid de alio enuncietur: item

etiam

etiam vocatur *prædicatio*, eo quod in eâ prædicetur, seu dicatur unum de alio: tres autem continet partes vel explicitè, seu formaliter, vel implicitè, seu virtualiter, nam primo continet *prædicatum*, seu *attributum*, nempe id, quod enunciatur de alio; secundo continet *subjectum*, de quo enunciatur; ac tertio denique continet *copulam*, seu verbum (est) quo subjectum & prædicatum simul conjunguntur: at dicitur propositio partes illas tres continere formaliter & explicitè, quando ipsæ tres exprimuntur; ita ut adjaceat aliquod tertium verbo (est,) unde & appellatur propositio de tertio adjacente; ut dum dicitur: Petrus est homo; aliòquin si verbum (est) prædicatur, nihilque adjacet, vocatur propositio secundi adjacentis, ut ista, Deus est, continetque tantum virtualiter seu implicitè tres partes; si enim resolvitur, eadem erit, ac, Deus est existens; idem autem per proportionem existimandum de eâ, in quâ loco verbi, est, aliud ponitur, ut, si dixeris, Petrus currit, quam appellant propositionem de verbo adjectivo.

Sciendum secundò, propositionem ratione qualitatis; unde quæritur qualis sit dividi in affirmativam vel negativam; at ratione quantitatis, unde quæritur quanta sit, dividi in universalem & particularem: signum autem universalis affirmativæ est, *omnis*, ut cum dicitur omnis homo est animal; signum vero universalis negativæ est, *nullus*, ut nullus homo est lapis: signum denique particularis propositionis est, *aliquis*, ut, aliquis homo est bonus: quantum autem ad distributionem hujus signi, notabis, signum ly omnis, distribuere tantum vocem illam, cui immediate præfigitur, id est illi tantum tribuere significationem universalem, unde sumatur universaliter; sicque in allata propositione affirmativa solum subjectum sumitur universaliter: at signum universale negativum distribuit tam subjectum quam prædicatum.

Sciendum tertiò, Propositionem ratione materiæ seu rei significatæ dividi in essentialem, & accidentalem, essentialis dicitur, quando prædicatum, id est res significata per prædicatum, est de essentia subjecti, seu rei significatæ per subjectum; ut homo est animal: alioquin dicitur tantum accidentalis, quando prædicatum est extra essentiam subjecti, ut paries est albus: item dividitur propositio ratione materiæ in necessariam, & contingentem: necessaria dicitur, quæ est in materia necessaria, id est, quæ aliter esse

non

non poteſt, quando ſcilicet prædicatum neceſſariam habet connexionem cum ſubjecto, vel quia eſt illi eſſentiale, ut in hac, homo eſt animal, vel quia eſt proprium accidens, ut in hac, ignis eſt calidus, vel quia eſt affectus neceſſarius, ut ſi dixero: Luna patitur eclipſim, quando inter ipſam & Solem terra eſt directè poſita.

Sciendum quartò, propoſitionem dividi quoque in abſolutam & modalem, modalis ea eſt, quæ modum exprimit, quo prædicatum convenit aut repugnat cum ſubjecto; ut cum aiunt: neceſſe eſt hominem eſſe animal, aut impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem, aut poſſibile eſt aut contingens eſſe pium: abſoluta vero eſt quando fit abſque expreſſione talis modi, ut in hac, homo eſt animal, non eſt lapis: item propoſitio alia eſt ſimplex, ſeu incomplexa, cum ſcilicet eſt unica vel affirmans vel negans aliquid de alio, ut Petrus eſt homo; alia eſt complexa ſive compoſita, quæ ſcilicet conſtat ex multis ſimplicibus aliqua conjunctione unitis; eſtque hujuſmodi in varias ſpecies diviſa, puta in copulativam, disjunctivam, cauſalem, & reduplicativam, quæ ultima talis dicitur in qua ſubjectum reduplicatur, ſeu geminatur adjuncta aliqua ex iſtis particulis, ut, prout, quatenus, ut ſic, v. g. dum dicitur, homo quatenus homo, eſt animal rationale, nix ut alba diſgregat viſum, fitque idcirco reduplicatio ejuſmodi, ut deſignetur cauſa, cur prædicatum attribuatur ſubjecto: cauſa enim, cur nix dicitur diſgregativa viſus, eſt albedo in ea exiſtens.

De proprietatibus propoſitionis.

Sciendum quintò, inter propoſitionis proprietates numerari ſolere *converſionem*, *oppoſitionem*; *æquipollentiam*, tum maxime *veritatem aut falſitatem*; quia vero de veritate & falſitate infra in ſecunda parte Logicæ nobis agendum; ideo ut alias proprietates, quantum ſatis eſt, Philoſophiæ ſtudio proſequar, dico converſionem eſſe permutationem ſubjecti in prædicatum & prædicati in ſubjectum, manente eadem veritate aut falſitate propoſitionis: quæ autem propoſitio convertitur, vocatur converſa, altera autem convertens: item triplex eſt, nimirum ſimplex, ſeu per ſe, per accidens, & per contrapoſitionem, quæ vix eſt in uſu; converſio ſimplex ſeu per ſe eſt, quando ſervatur ſemper eadem quantitas ut in hac, nullus homo eſt lapis, ergo nullus

nullus lapis est homo: conversio per accidens est, quando non servatur eadem quantitas, sed potius universalis mutatur in particularem, ut in hac, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo: dicitur vero conversio per contrapositionem, dum servatur eadem quantitas & qualitas, sed termini propositionis infinitantur, ut in hac, omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo: notandumque est conversionem simplicem vi formæ valere tantum in propositionibus negativis universalibus & in particularibus affirmativis; at universalis affirmativa tum universalis negativa potest converti conversione per accidens; convertitur autem per contrapositionem tum universalis affirmativa, tum universalis negativa; quod quidem duobus istis versiculis designatur.

Feci simpliciter convertitur: evaper acci;

Ast o per contra: sic fit conversio tota.

Quibus quidem versiculis, perinde ac in iis, in quibus designabuntur postea modi varii, in singulis figuris, observandæ sunt illæ vocales A E I O, quarum significatio duobus etiam sequentibus versibus exprimitur

Asserit A, *negat* E, *verùm generaliter ambo.*

Asserit I, *negat* O, *sed particulariter ambo.*

Sciendum sextò, alteram propositionum proprietatem, quæ dicitur oppositio, tunc esse, cum duæ subjecto & prædicato eodem constantes pugnant, vel in qualitate, id est, in affirmatione, aut negatione, vel in quantitate, id est, in universalitate & particularitate, vel in utraque simul: quadruplex autem est ejusmodi oppositio, scilicet contraria, subcontraria, contradictoria, & subalterna; primo enim illæ dicuntur contrariæ propositiones, quæ sunt universales, affirmatque altera, quod altera negat: alioquin si particulares fuerint, dicuntur subcontrariæ: dicuntur autem contradictoriæ, quarum una est universalis, altera particularis, pugnantque in affirmatione aut negatione, harumque altera semper vera est, altera falsa: denique illæ vocantur subalternæ, quarum una est universalis, altera autem particularis, conveniuntque in affirmatione aut negatione, ut dum dicitur, omnis homo est animal, & aliquis homo est animal.

Sciendum septimò, æquipollentiam, quæ est altera propositionis proprietas, tunc esse, quando propositiones oppositæ æquivalent propter additionem, aut detractionem

unius

unius vel plurium negationum, ut dum dicitur: omnis homo est animal & nullus homo non est animal. Pro quo notandum est, particulam hanc negativã non esse malignantis naturæ, cum eas propositiones aut terminos, quibus præfigitur, immutet semper in oppositum sensum, ita ut si fuerit v. g. propositio affirmativa universalis, reddatur hoc pacto non solum negativa, sed etiam particularis; item cum negatio, si alteri negationi advenerit, destruat sensum illum, quem prima invexerat; unde & dici solet, quod duæ negationes efficiunt affirmationem, sic autem brevi compendio quatuor isti versiculi ostendunt, quantum valeant negationes diversis propositionibus aut terminis præfixæ.

Non omnis quidam non; omnis non quasi nullus.
Non nullus quidam; sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis nullus: non quidam non, valet omnis.
Non alter neuter: neuter non præstat utrumque.

QUÆSTIO III.

De argumentatione præcipue syllogisticâ

SCIENDUM *primò*, argumentationem, seu discursum aut ratiocinationem, quam vocant, esse processum quendam à re nota ad ignotæ rei veritatem assequendam, propter connexionem, quæ inter illam rem notam & ignotam deprehenditur; vel ut vulgo aiunt: *argumentatio* est oratio, in qua unum ex alio infertur, seu colligitur; diciturque unum inferri ex alio, quando una propositio sequitur ex aliqua aut pluribus aliis, quæ idcirco vocantur *præmissæ*, quia præcedunt illud, quod ex iis colligitur: tres itaque continentur partes in omni argumentatione, seu discursu: prima est antecedens, ex quo sequitur, seu infertur alia propositio, quam appellant consequens, seu conclusionem, ac tertiò denique est *illatio*, seu conjunctio, per quam unum intelligitur sequi ex alio; exprimiturque hac voce, ergo vel alia æquivalenti, & appellatur vulgo *sequela* aut consequentia.

Sciendum secundò, consequentiam tunc dici in argumentatione bonam, dum consequens rectè infertur ex antecedenti, ob connexionem, quam habent inter se: est autem

autem bona vel ratione materiæ, & tunc est tantum materialis, vel ratione formæ & dicitur consequentia formalis: at bona est vi formæ dum conclusio valet ratione dispositionis terminorum & propositionum antecedentium, de qua infra; unde cuicumque materiæ applicetur illa dispositio terminorum, semper recte concludet: bona vero est tantum ratione materiæ, ubi valet tantum ratione connexionis necessariæ, quæ est inter res ipsas, [illegible] inter prædicatum & subjectum conclusionis, ut dum dicitur, Petrus est rationalis, ergo est animal: ibi namque non concluditur vi formæ, siquidem alias vera esse potest etiam ista conclusio; ergo est doctus, quia ibi est similis terminorum dispositio.

De variis argumentationis speciebus.

Sciendum tertiò, vulgo apud Logicos admitti quatuor species argumentationis nempe *inductionem, exemplum, enthimema & syllogismum*: inductio autem dicitur argumentatio in qua variis singularibus sufficienter enumeratis infertur propositio universalis, v. g. hæc & ista, & ista planta est vegetativa; ergo omnis planta est vegetativa: notabis vero hanc methodum vocari compositivam, sufficitque (in materia quidem necessaria) si fiat inductio ex quibusdam variis in locis ac temporibus: quæ enim semper & ubique simul sunt, habere videntur connexionem necessariam, qualis est inter subjectum & attributa ipsius essentialia, aut proprietates: exemplum vero est argumentatio, in qua ex uno vel quibusdam aliis particularibus particulare aliud ob rationis paritatem concluditur, ut dum dicitur, Petrus ita se gessit ut eum in gradum perveniret: ergo idem tibi præstandum est; notandumque est exemplum dici argumentum imbelle & inefficax, quia ut consideranti patebit, in eo non concluditur à toto ad partem sub eo contentam, sed tantum à parte ad partem: enthimema autem est argumentatio in qua infertur conclusio ex præmissa unica, altera in mente retenta: qua de causa dici solet syllogismus imperfectus, ut dum dicitur; omne vegetativum est vivens: ergo omnis planta est vivens, alioquin fieret syllogismus integer, si secundo loco interjiceretur illa propositio: atqui omnis planta est vegetativa: nam syllogismus, qui & proprie ratiocinatio apud Latinos dicitur, est oratio in qua ex duabus propositionibus certo quodam modo inter se dispositis & combinatis tertia colligitur, ut mox fusius declarabitur: unde

Scien-

Sciendum quartò, pro intelligentiâ naturæ syllogismi, syllogismum ex Aristotele esse argumentationem, in qua quibusdam positis, id est in qua concessis duabus præmissis necesse est aliud, nempe conclusionem, sequi, ex eo quod hæc sint concessa; unde notandum est differre syllogismum ab enthimemate, quod ex duabus præmissis conclusionem inferat, sicque habet formaliter & explicitè, seu expresse tres illos terminos, nempe majus & minus extremum, tum medium terminum; pro quorum declaratione notabis, quod cum in argumentatione unum inquiratur de alio, ideo ut hoc resolvatur & quidem perfecte, ut in syllogismo, debet assumi aliquod tertium, cum quo illa duo comparata judicentur habere connexionem: illa autem duo vocari solent extrema; tertium vero dicitur medium illa connectens: quare in syllogismo, qui est perfecta argumentatio, debent explicite reperiri tres termini; nam primò quidem est subjectum de quo instituitur quæstio & vulgò appellatur minus extremum; secundò est illud quod inquiritur, seu attributum, quod vocant majus extremum, quia solet esse quid universalius & latius patere; tertio denique est medium, cujus beneficio infertur concluditurque connexio majoris extremi cum minori, ut si dixero: omne vegetativum est vivens; sed omnis arbor est vegetativa: ergo omnis arbor est vivens: ly arbor & vivens sunt duo extrema, vegetativum autem est medium, seu medius terminus.

De natura syllogismi.

Sciendum quintò, conclusionem hic sequi necessario ex præmissis, quia majus & minus extremum in ea connexionem inter se necessariam servant, propter connexionem, quam habent in præmissis cum medio termino juxta illud axioma: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: sed observa tertium illud, seu medium terminum debere distribui & sumi universaliter & adæquatè, sive pro illo omni sumi debere, pro quo sumi potest, quam ob causam tres sanctissimæ Trinitatis personæ non sunt idem inter se, cum potius ab invicem distinguantur realiter, quamvis idem sint in natura, quam singulæ indivisibiliter continent, quia illam scilicet non totam continent adæquatè, id est secundum ea omnia, quæ continentur in natura divina: natura namque divina continet tres personalitates distinctas inter se, at persona v. g. Patris non est persona Filii, aut Spiritus sancti; unde non est id totum, quod dicit natura divina, nec consequenter debent esse idem inter se.

Sciendum sextò, vim omnem inferendæ conclusionis in syllogismis affirmativis in illo principio niti: *dictum de omni*; cujus

jus quidem sensus iste est, ut quod dicitur de aliquo universaliter sumpto, dicatur quoque & de iis, quæ sub ipso continentur, ut quia dicitur de omni animali quod sit vivens, dicitur etiam illud de homine, quia sub animali continetur; è contra vero in syllogismis negativis, ubi vis omnis inferendæ conclusionis in illo nititur & fundatur principio; *dictum de nullo*; cujus ille etiam est sensus, ut quod de aliquo universaliter sumpto negatur, negetur quoque de iis, quæ sub eo continentur.

De figuris syllogismi.

Sciendum septimò, formam syllogismi, quâ quidem non servatâ nihil concludit syllogismus, esse terminorum & propositionum aptam inter se coordinationem in figura & modo: est autem figura syllogismi medii termini cum majori & minori extremo apta complicatio ad concludendum: quare pro diversa ratione complicandi medii termini cum illis extremis oriuntur figuræ inter se essentialiter diversæ, sicque juxta Aristotelem tres sunt figuræ, quarum prima medium terminum habet ita dispositum, ut sit subjectum in majori & prædicatum in minori; v.g. omne vegetativum est vivens; atqui omnis planta est vegetativa: ergo omnis planta est vivens: secunda vero figura est, cum medius terminus prædicatur in utraque præmissa: ut omne animal est vivens; atqui nullus lapis est vivens: ergo nullus lapis est animal: tertia denique figura est, quando medius terminus est subjectum in utraque præmissa, ut omne sensitivum est animal; sed omne sensitivum est vivens; ergo aliquod vivens est animal.

De modis syllogismi.

Sciendum octavò, modum syllogismi esse aptam coordinationem propositionum inter se penes quantitatem & qualitatem, id est, penes universalitatem aut particularitatem, tum penes affirmationem aut negationem: non enim quælibet propositionum conjugatio rectè concludit: quinam autem modi in singulis figuris sint utiles ad concludendum, seu qualem habere debeant propositionum inter se ordinationem, ut rectè concludant, designari solet illud per singulas voces quatuor istorum versiculorum; ac pro modis quidem primæ figuræ propriis traduntur novem istæ voces.

Barbara, celarent, darii, ferio, baralipton,

Celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum.

Ad modos vero secundæ figuræ sunt istæ.

Cesare, camestres, festino, baroco.

Ac tandem esto pro modis tertiæ figuræ *darapti,*

Felap-

Felapton, disamis. datisi, bocardo, ferison.

Sciendum nonò, pro plenioti horum intelligentiâ, quod in singulis illis vocibus habetur tantum ratio primarum vocaliũ, quarum quæ primo loco est, designat qualis & quanta debet esse major propositio; secunda est pro minori, ac tertia deniq; pro conclusione: notabis autẽ; quod jam supra monui per vocalem A, ostendi propositionem debere esse universalem affirmativam, per vocalem E, debere esse universalem negativam, per vocalem I, debere esse particularẽ affirmativam, per vocalem O, particularem negativam: item notabis ex assignatis modis alios esse directos, alios indirectos: directi vocantur ij, qui directè concludunt, id est, in quibus majus extremum concluditur de minori; quales sunt quatuor primi modi primæ figuræ; reliqui enim ejusdem figuræ sunt indirecti: in aliis vero figuris recensentur solum directi, cæteri vero modi, qui in singulis illis figuris supponi possent, negliguntur à philosophis, tanquam minus naturales & minus idonei.

De modis directis & indirectis.

Sciendum decimò, his annumerati debere syllogismum expositorium constans medio singulari, quique sic appellatur, quod rem illam, de qua agitur, veluti oculis subjiciat, cum singularia potissimum sint nobis manifesta; atque ille syllogismus fieri quidem potest in singulis figuris; videtur tamen majorem habere evidentiam in tertia: ut dum dicitur: Petrus est homo; Petrus est animal; ergo aliquod animal est homo: negarunt autem aliqui hunc esse proprie syllogismum, aut aliquam ratiocinationis speciem, eo quod velint omnem ratiocinationem niti semper sub aliquo principio universali; hoc tamen falsum reputo: neque vero hæc alia esse potest operatio mentis quam tertia, imo videtur esse syllogismorum perfectissimus, quia est alienus à confusione præceptorum de distributione & suppositione medij, concluditque evidentissime, cum sit in eo evidentissima identificatio extremorum cum medio termino adæquatè sumpto.

De syllogismo expositorio.

Sciendum undecimò, ex omnibus figuris absolutè loquendo primam esse omnium præstantissimam: quâ de causâ aliarũ figurarũ syllogismi vulgo putantur imperfecti, eo quod in iis consequentiæ bonitas non sit ita per se evidens, ideoque solent reduci ad modos directos primæ figuræ, ut manifestior

De reductione syllogismorum.

fiat rei conclusæ veritas: porro modus, quo fit illa reductio est multiplex: prima ergo reductio est per ostensionem, quæ reductio ostensiva est, quando per aliquam conversionem aut propositionum transmutationem retento eodem medio colligitur in syllogismo perfecto eadem conclusio, quæ fuit negata in syllogismo imperfecto: dicitur autem retento eodem medio, ut distinguatur à reductione per expositionem, seu quæ fit per syllogismum expositorium, quando scilicet medio singulari substituto in locum medii communis, infertur eadem conclusio, quæ inferebatur in syllogismo de medio communi ut si negetur ista conclusio; omne animal est sensus capax: omne animal est corpus: ergo aliquod corpus est sensus capax sumi debet pro reductione per expositionem aliquod singulare contentum sub animali hoc modo: Petrus est sensus capax; sed Petrus est corpus: ergo aliquod corpus est sensus capax: denique reductio per impossibile, seu ad impossibile est, quando negatâ conclusione alicujus syllogismi imperfecti, assumitur illius contradictoria, cum altera ex præmissis jam concessis, ut inde concludatur contradictoria vel contraria præmissæ alterius jam concessæ ut si concessis præmissis, negetur ista conclusio in Baralipton; Omne animal est substantia, omnis homo est animal; ergo aliqua substantia est homo; sic resumi debet in Celarent: Nulla substantia est homo; omne animal est substantia; ergo nullum animal est homo.

De legibus syllogismorum.

Sciendum duodecimò, in omni syllogismo esse debere tres terminos nec plures nec pauciores; unde sequitur nullum ex illis debere sumi æquivocè, seu in multiplici significatione, vel, ut aiunt, eandem semper servare debere suppositionem, alioquin pluribus æquivaleret; ita foret ille paralogismus, seu vitiosus syllogismus; omnis canis latrat; sed sidus est canis; ergo sidus latrat: vel, rex est unius syllabæ; Ludovicus est Rex: ergo Ludovicus est unius syllabæ: ibi namque nomen Rex non retinet eandem suppositionem.

Sciendum decimotertiò, medium terminum in altera saltem præmissarum debere distribui, id est, debere sumi universaliter, & adæquatè, ac secundùm id totum, quod significat, alioquin non servaretur *dictum de omni*, quo nititur vis omnis syllogistica. Distribuitur autem, ubi afficitur signo aliquo universali, ita ut ratione illius signi extendatur ad omnia sua significata. Memineris verò, quod ly omnis habet tantum distribuere vocem illam, cui immediatè præfigitur,

tur, cùm tamen ly nullus habeat distribuere tam subjectum, quàm prædicatum.

Sciendum decimoquartò, quòd nullus terminus non distributus in antecedente, potest distribui in consequente: sic enim fieret consequentia à parte ad totum; & ita non valet; Omne animal est sensus capax; atqui omne animal est substantia; ergo omnis substantia est sensus capax: nam lapis est substantia, qui tamen non est sensus capax.

Sciendum decimoquintò, non valere consequentiam à parte ad partem, ut quando fit syllogismus ex puris particularibus: exempli gratiâ: Aliquod animal est bipes; aliquis equus est animal; ergo aliquis equus est bipes: tunc enim extrema non habent connexionem in antecedente cum aliquo tertio; Nec dicas, valet in syllogismo expositorio ex puris singularibus; ergo & à pari in isto: Neganda enim est paritas, quia in syllogismo expositorio terminus singularis non sumitur per modum partis, habetque sufficientem cum utroque extremo connexionem, ut *suprà* dixi.

Sciendum decimosextò, quòd ex puris negativis nihil sequitur, quia *dictum de nullo* non servatur, nisi medius terminus per affirmationem conjungatur cum aliquo extremorum in antecedente; unde non valet: Nullus homo est brutum; sed nullus equus est homo; ergo nullus equus est brutum. Item medius terminus nunquam ingredi debet conclusionem, quia idem tunc probaretur per idem, ut patet in hoc: Omne animal est vivens; omnis homo est animal; ergo omne animal est vivens.

Sciendum decimoseptimò, conclusionem semper sequi debiliorem partem antecedentis, ita ut, si aliqua ex præmissis fuerit particularis, aut negativa, conclusio non possit esse aut universalis, aut affirmativa; cujus ratio est quia, ut aïunt: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; nempe si quis defectus in qualitate, aut quantitate contineatur in antecedente, quod conclusionis causa est, à fortiori debet ille reperiri in ipsa conclusione: Notabis tamen agere me tantùm de defectu in qualitate, aut quantitate: quamvis enim ex antecedente vero, non possit inferri nisi verum; ea tamen est consequentiæ natura, ut tum falsum, tum verum ex falso possit inferri, ut si dicas: Homo est lapis; ergo est insensibilis: quod falsum est; ac etit verum; ergo est substantia; sicque etiam ex contingenti antecedente potest consequi & necessarium, puta; Petrus videt; ergo est animal.

Sciendum decimooctavò, quòd suæ sunt in singulis figuris propriæ syllogismorum leges, quæ quidem tribus his versibus exponi solent.

In prima figura.

Sit Minor affirmans, nec major sit specialis.

In secunda.

Vna negans praeat, nec Major sit specialis.

In tertia.

Sit Minor affirmans, conclusio sit specialis.

De fallaciis. *Sciendum decimonono*, Syllogismum sophisticum eum esse, qui concludit tantùm ex apparenter veris, aut propositionibus apparenter probabilibus, quæ tamen non sunt probabiles, sicque inducitur fallacia; quod quidem est finis, seu meta sophistæ, compellendo videlicet respondentem, vel ut concessa neget, vel ut manifestè falsa admittat, hæreatque suspensus, quæ solet appellari *meta*, *non loqui*, *&c.* Notabis autem multiplex esse hujusmodi fallaciarum, seu captionum genus, ex quibus aliæ in verbis, seu dictione, aliæ in rebus positæ sunt. Unde

Sciendum vigesimò, ex fallaciis verborum primam dici æquivocationis, quæ petitur ex æquivocatione vocis alicujus, puta si dixeris, quæcumque expediunt sunt bona; atqui interdum mala expediunt; ergo mala interdum sunt bona. Secundò est fallacia amphibologiæ, quæ oritur ex oratione in vario sensu accepta, ut si dicas: qui liber est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; atqui iste liber est Aristotelis, ergo possidetur ab Aristotele: hic enim ambiguum est, an loquens significet librum esse scriptum ab Aristotele, an potiùs ab eo possideatur: tertiò est fallacia compositionis & divisionis, cùm propositio vera est in sensu composito, & falsa in diviso, aut è contra: Ita quis fallitur compositione: Cæci vident, ut habetur in Evangelio: sed qui carent visu, sunt cæci; ergo qui carent visu vident. Fallitur autem divisione hoc modo: Qui bonus est philosophus, est bonus; atqui Averroës bonus est philosophus; ergo Averroës est bonus: Huçque potest istud revocari: Qui dicit te esse animal, dicit verum; sed qui dicit te esse leonem dicit te esse animal; ergo qui dicit te esse leonem dicit verum. Item: Habes quod non amisisti; atqui thesaurum non amisisti: ergo thesaurum habes: quartò denique est fallacia in figura dictionis, ubi scilicet res significatæ per similes voces, eodem sumuntur modo, ut: Comedisti quod emisti; sed emisti carnes crudas: ergo comedisti carnes crudas.

Scien-

Sciendum vigesimo primò, ex fallaciis quæ positæ sunt in rebus, primo occurrere fallaciam accidentis, quando scilicet infertur aliquid rei convenire, ex eo quod ipsius accidenti conveniat, ut si dicas: Homo est animal; sed animal est genus; ergo homo est genus: Vel: Petrus est homo: sed homo est tertiæ declinationis; ergo Petrus est tertiæ declinationis; Item alia est fallacia, quæ dicitur ignoratio elenchi; quæ quidem accidit, quando colligitur id, quod est tantum apparenter contradictorium propositionis concessæ: item datur fallacia petitionis principii, quæ in eo est, quod idem probetur per idem; datur & fallacia consequentis, quæ tunc est, quando ex consequente infertur antecedens, ut si dicas: Si homo est, animal est; ergo si non est homo: non est animal. Datur denique fallacia, quæ dicitur non causæ, ut causæ, quæ tunc accidit, quando falsitas conclusionis ex una præmissa proveniens, alteri tribuitur præmissæ, quæ vera est.

Sciendum ultimò, fallaciam interdum suboriri posse ex propositionibus indeterminatis, iis nempe, quæ nullum habent sibi affixum, aut universalitatis, aut particularitatis signum, ut si dixeris: Homo est animal: paries est albus: supponendum est enim eas quæ sunt in materia necessaria revocari semper ad universales; quæ autem sunt contingentes non revocantur, nisi ad particulares, ut veræ sint. Cæterum ut alia, quæ videntur esse minoris momenti prætermittam, observandum est paucis Elenchum omnem sophisticum, seu argumentum omne cavillatorium, solvi ut plurimum vel jungendo, quod dividit, vel dividendo quod conjungit, vel obscurum sensum, aut æquivocationes explicando.

LIBER PRIMUS, DE PROOEMIALIBUS LOGICÆ.

QUIA ex communi docendi methodo quædam ad ſcientiam quamlibet præmitti ſolent Quæſtiones proœmiales, has quoque & nos in hoc primo Libro præmittemus; eaſque ſicut & cæteras quas in hoc philoſophico curſu agitabimus ad ſua (ſecundum vires à Domino conceſſas) reſolvemus principia: ſit igitur

QUÆSTIO I.

Vtrum objectum formale Logicæ ſit ens rationis.

PRÆMITTENDUM *primò*, pro quæſiti intelligentiâ, quod cum nomine objecti formalis intelligatur illud, quod per ſe attenditur, & ratione cujus cætera attinguntur à potentiâ vel habitu, propterea dum inquiritur an ſit ens rationis objectum formale Logicæ, eſt idem, atque inquirere an res omnes & materiæ quæ tractantur & diriguntur à Logicâ, tractentur & attingantur de facto ratione alicujus, quod ſit ens rationis, ſeu proprietas quædam quæ conſequatur rem, ſecundum quod & ex eo quod conſideratur ab intellectu: quia vero entia rationis ſupponuntur in duplici genere, aliqua ſcilicet quæ conſequuntur naturas rerum, non quidem ſimpliciter, ſed ſuppoſito actu intellectus, ut ſunt iſta entia rationis: *Eſſe genus, eſſe ſpeciem, eſſe abſtractum*; Et alia quæ conſequuntur ipſas res, non quidem ex natura ſua, ſed ex placito inſtituentis, qualis eſt ſignifi-

significatio vocum: ipsa namque vox est indifferens ad significandum res omnes, sicut & ipsa res est indifferens ad significari per omnem vocem, ideò notandum ulterius pro intelligentiâ tituli, quod cum Logica consideret res ut genera & ut species, ut universales & particulares; neque pendeat ex voluntate instituentis, quod res possit intelligi universaliter vel particulariter, quod possit denominari genus vel species, ut per se patet, consequenter fit, quod ly ens rationis de quo procedit titulus supponere debeat pro eo quod consequitur ad naturas rerum, præmisso scilicet actu intelligendi, ex quo propterea habet esse rationis. Et hoc quidem potest prætere insinuari ex eo scilicet, quod consideratio hujusmodi entis rationis, valet ad habendum modum communem & generalem procedendi in aliis scientiis, utpote qui desumitur ex ordine superiorum ad inferiora, puta ex ordine generis ad species & differentias, subindeque cum ad hoc præcipuè attendat Logica, si circa aliquod ens rationis velut circa formale objectum versari debeat, circa præfati considerationem versari debet.

Prætermittendum secundò, pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, tria hæc esse apud omnes philosophos receptissima, subindeque & vim habitura principii philosophici respectu conclusionis inferendæ, puta quod *Logica sit argumentativa ex proprio munere*; quod *sit Logica directiva actuum rationis ex proprio fine*; quod *sit modus sciendi ex propria quidditate*: primò quidem est logica argumentativa ex proprio munere: ad eumdem siquidem spectat habitum esse argumentativum ex proprio munere, seu modum tradere argumentandi ad quem spectat ex proprio munere certitudo & firmitas resolutionis judicii, tum ex parte formæ, tum etiam ex parte materiæ: jam sic est quod istud ad logicam spectat ex proprio munere, quod quidem patet ex eo quod pars prima & secunda logicæ, seu libri priorum & posteriorum vocantur analitici ab Aristotele, id est resolutorii, quia solû in illis docetur firmitas, & certitudo resolutionis, tam prioristica ex parte formæ, quam posterioristica ex parte materię, est ergo Logica ex proprio munere argumentativa.

Quod autem sit etiam directiva actuum rationis ex proprio fine, ex eo similiter patet, quod cum nomen habeat logica à vocabulo Græco λόγος, quod sermonem significat, tum internum nempe rationem, tum externum interni expressivum, quem & orationem appellant, est consequenter

Logica facultas quædam ad hunc finem acquisita, ut circa sermonem internum, subindeque circa actus rationis versetur: jam sic est quod non habet logica versari circa ejusmodi rationis actus, quasi illos consideret & de illis discurrat secundum esse suum naturale & physicum, aut secundum aliquod esse morale: restat igitur, ut circa eosdem versetur prout rectificandos & dirigendos, ad hoc ut verè & absque errore procedant in sermocinando seu discurrendo, ac proinde est Logica directiva actuum rationis ex proprio fine.

Demùm est Logica modus seu medium sciendi ex propria quidditate: scire namque est rei notitiam per demonstrationem acquirere: jam sic est quod tota ferè est Logica in docendo, quo scilicet modo confici debeat demonstratio; unde & in libris priorum tota est in docendo, quæ requiruntur ex parte formæ; & in libris posteriorum, quæ requiruntur ex parte materiæ, seu ex parte propositionum necessariarum & per se, quæ sunt materia demonstrationis: Verissimum ergo est & illud tertium, quod scilicet Logica sit modus seu medium sciendi ex propriâ quidditate. His ergo tribus præmissis tanquam certis; & apud omnes receptissimis principiis, jam pro quæsiti resolutione, necnon & conclusionis ad eadem principia reductione, sit

Conclusio, *Objectum formale Logicæ est ens rationis.*

Probatur primò, ex primo præmisso principio: *Logica est argumentativa ex proprio munere*: Ergo habet Logica pro formali objecto ens rationis, *Probatur consequentia.* Non potest modus arguendi non esse de objecto formali Logicæ, hoc ipso quod est Logica sic argumentativa: Sed modus arguendi involvit ut talis ens rationis: Ergo hoc ipso quod est Logica argumentativa ex proprio munere, habet pro formali objecto ens rationis. Major patet ex terminis. *Probatur minor* Modus arguendi consistit in hoc, quòd concludatur unio extremorum inter se ex vi unionis extremorum cum medio. Sed unio illa est ens rationis. Ergo modus arguendi involvit ut talis, ens rationis. Major conceditur. *Probatur minor.* Quod supponit ens rationis ad hoc ut sit, non potest non esse ens rationis; sed unio illa extremorum cum medio supponit ens rationis; ad hoc ut sit. Ergo unio illa extremorum cum medio est ens rationis Major est certissima; cùm enim reale ens pendere non possit ab ente rationis in suo esse, utpote quòd est posterioris atque debilioris entitatis, evidenter sequitur, quòd id quod supponere debet

ens

ens rationis, ad hoc ut sit, non possit non esse ens rationis. *Probatur minor.* Unio illa extremorum cum medio supponit illa esse tria, ut per se patet: Ergo supponit in illis tres unitates; Sed unitates illæ non sunt nisi ens rationis; aliàs si reales essent, distinguerent realiter medium & majus & minus extremum ab invicem, quod supponitur falsum: Ergo unio illa extremorum cum medio supponit ens rationis ad hoc ut sit: Ergo unio illa extremorum cum medio est ens rationis: Ergo modus arguendi qui talem involvit unionem, involvit ut talis ens rationis: Sed modus arguendi est de objecto formali Logicæ: hoc ipso quod est Logica ex proprio munere argumentativa: Ergo hoc ipso quod Logica est argumentativa ex proprio munere (quod est primum præmissum principium,) habet hoc ipso Logica pro formali objecto ens rationis.

Probatur secundò, ex secundò præmisso principio: *Logica est directiva actuum rationis ex proprio fine*: Ergo habet Logica pro formali objecto ens rationis. *Probatur consequentia*, Non potest logica esse sic directiva rationis actuum, & non habere pro formali objecto rectam eorum dispositionem; Sed dispositio illa est ens rationis: Ergo hoc ipso quod est Logica directiva actuum rationis ex proprio fine, habet pro formali objecto ens rationis. Major patet ex terminis: *Probatur minor*: Dispositio illa rationis actuum, est repræsentativè ipsamet dispositio eorumdem objectorum: Sed recta illa dispositio in ipsis objectis, seu rebus, est ens rationis: Ergo & dispositio illa rationis actuum est ens rationis. Major est certissima: nec enim aliter dicuntur actus rationis dispositi, ad formam subjecti & prædicati, antecedentis & consequentis, &c. Nisi quia attingunt, & repræsentant objecta ad talem formam redacta, & disposita. *Probatur minor*, Dispositio illa considerata, ut quid inhærens & intrinsecum ipsis rebus, sive objectis, est ens rationis; Sed de facto consideratur à Logicâ, ut quid inhærens, & intrinsecum ipsis objectis: Ergo dispositio illa rerum, seu objectorum, ut à Logicâ attingitur est ens rationis. Major est evidens; talis namque dispositio ad formam subjecti, prædicati &c. non habet à parte rei esse inhærens, & intrinsecum quid ipsis rebus, cum ex variâ consideratione intellectus amittatur & acquiratur; ac proinde considerata, ut intrinsecum quid ipsis rebus, non potest non esse ens rationis. Minor

vero

vero in quâ tota sita est difficultas, quæque tam mordicus controvertitur inter Thomistas & Suaristas probatur triplici medio.

1. Actus rationis dicuntur sic vel sic dispositi, propter objecta, seu quia attingunt objecta, sic vel sic disposita: Ergo debet dispositio illa magis & intimiùs afficere ipsa objecta, juxta hoc axioma: *Propter quod unum, quodque tale & illud magis*: Sed ex eo afficit dispositio illa extrinsecè rationis actus: Ergo debet ex eo afficere, seu considerari, ut afficiens intrinsecè ipsa objecta.

2. Dispositio illa ad modum subjecti, prædicati, &c. consideratur a Logica, ut ex stens repræsentativè in ipsis rationis actibus; ut notatum fuit supra, in explicatione unius Majoris: Ergo consideratur à Logica dispositio illa, ut existens entitativè in ipsis rebus, sive objectis; cum existere repræsentativè in uno, sit correlativum ad existere entitativè, seu quasi entitativè in alio: atqui considerari ut existens entitativè in ipsis objectis, idem est, atque considerari ut illa intrinsecè, seu quasi intrinsecè afficiens & denominans: Ergo dispositio illa consideratur à Logicâ, ut quid inhærens & intrinsecum ipsis objectis, seu conceptibus objectivis.

3. Ad Logicam spectat, non solum conceptus illos objectivos rectè dispônere, sed etiam de rectâ eorundem dispositione judicare: sed pro tali habendo judicio debet hanc dispositionem attingere, ut quid ipsis intrinsecum & inhærens: Ergo de facto consideratur à Logica hæc dispositio ut quid intrinsecum ipsis rebus sive objectis. Major est certissima: Aliàs non procederet Logica certitudinaliter, & modo scientifico in disponendo conceptus illos objectivos, nec consequenter in dirigendo rationis actus. *Probatur minor.* Judicium de tali dispositione objectorum, supponit in objectis hanc dispositionem; pro illo tunc quo habetur judicium; Sed pro illo tunc non alia habetur dispositio, quam quæ apprehenditur intrinseca ipsis objectis: Ergo pro tali habendo judicio de dispositione objectorum, debet hanc Logica apprehendere, ut quid intrinsecè afficiens ipsa objecta. Major patet ex terminis. *Probatur minor.* Dispositio hæc rerum, seu objectorum non alia esse potest, quam vel activa eorum dispositio, subindeque extrinseca, vel quæ ex activa apprehenditur relicta in objectis, subindeque inhærens & intrinseca; Sed pro illo tunc, pro quo judicat Logica de tali dispositione objectorum, supponitur transacta activa illa dispositio, ut

ut per se patet: Ergo pro tali habendo judicio, debet apprehendere Logica præfatam dispositionem, ut quid intrinsecum ipsis objectis, seu conceptibus obj ctivis: Ergo cum tale de facto Logica habeat judicium, de facto etiam apprehendit hanc dispositionem, ut quid intrinsecum ipsis objectis: Ergo recta hæc dispositio ut à Logicâ attingitur est ens rationis; Ergo hoc ipso quod illa recta dispositio est de formali objecto Logicæ, habet Logica pro formali objecto ens rationis; atqui est recta hæc dispositio de objecto formali Logicæ, hoc ipso quod est Logica directiva actuum rationis ex proprio fine: Ergo hoc ipso quod Logica est directiva actuum rationis ex proprio fine, (quod est secundum præmissum principium) habet hoc ipso Logica pro formali objecto ens rationis.

Probatur 3. conclusio ex tertio præmisso principio. *Logica est ex propriâ quidditate modus, seu medium sciendi*: Ergo habet Logica pro formali objecto ens rationis. *Probatur consequentia.* Hoc ipso quod extenditur Logica ad omne scibile, habet pro formali objecto ens rationis; Sed extenditur Logica ad omne scibile, hoc ipso quod est modus sciendi; Ergo hoc ipso quod est Logica modus sciendi, habet pro formali objecto ens rationis. Minor conceditur, & patet ex terminis. *Probatur major.* Hoc ipso quod extenditur Logica ad omne scibile, habet pro formali objecto rationem communem, sub qua omne attingit: Sed ratio illa communis, sub qua omne attingit scibile, est ens rationis: Ergo hoc ipso quod extenditur Logica ad omne scibile, habet pro formali objecto ens rationis. Major conceditur, & colligitur ex definitione objecti formalis, quam tetigimus supra in præmissis. *Probatur minor:* Ratio quæ communis est omni scibili, esse tantum potest, vel ratio aliqua propria entis realis ut sic, vel ens rationis; Sed ratio illa, sub qua attingit Logica omne scibile, esse non potest ratio aliqua propria entis realis ut sic: Ergo ratio illa, sub qua attingit Logica omne scibile, esse tantum potest ens rationis. Major supponitur certa: Nihil enim datur commune omni scibili, nisi vel ens reale ut sic, sive propria aliqua ejus ratio, vel ens rationis, quod quidem fundari potest in quolibet. *Probatur minor.* Hujus tantum est, attingere rationem propriam entis realis ut sic, cujus est attingere, & considerare ens ut sic reale, cum eadem sit scientia quæ attingit essentiam & proprietates: Sed Logica attingere non potest ens ut sic reale, cum ut tale

sit

ſit proprium objectum metaphyſicæ: Ergo ratio, ſub qua attingit Logica omne ſcibile, eſſe non poteſt ratio aliqua propria entis ut ſic realis; Ergo ratio, ſub qua attingit Logica omne ſcibile, eſſe tantum poteſt ens rationis: Ergo hoc ipſo quod extenditur Logica ad omne ſcibile habet pro formali objecto ens rationis: Atqui extenditur Logica ad omne ſcibile, hoc ipſo quod ex propria quidditate eſt modus ſeu medium ſciendi: Ergo hoc ipſo quod Logica eſt ex propriâ quidditate modus ſeu medium ſciendi, (quod eſt tertium præmiſſum principium) habet hoc ipſo Logica pro formali objecto ens rationis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia concluſionis fundamenta in ſolutionibus objectionum.

Objicies 1. Logica verſatur circa definitionem, diviſionem, & argumentationem, tanquam circa proprium objectum; Sed definitio, diviſio, & argumentatio, etiam formaliter ſumptæ, non ſunt ens rationis, ſed reale quid: Ergo ens rationis non eſt objectum formale Logicæ. *Probatur minor*: definitio, diviſio, &c. formaliter ſumptæ, ſunt modus ſciendi; ſed modus ſciendi ut talis, eſt in genere entis realis; Ergo & definitio, diviſio, & argumentatio formaliter ſumptæ. *Probatur minor*: modus rei eſt de genere rei, cujus eſt modus; ſed ly ſcire, ſive ſcientia eſt in genere entis realis: Ergo & modus ſciendi, etiam formaliter ut modus. Minor per ſe patet. *Probatur major*: hoc ipſo quòd modus non ponitur in genere, niſi reductivè, eſt hoc ipſo de genere rei, cujus eſt modus, cùm non niſi ad illud reduci poſſit; Sed ſic eſt, quod modus non ponitur niſi reductivè in genere ut patet in exiſtentia, quæ dicitur modus, quæ quidem in accidente reducitur ad genus accidentis, & in ſubſtantia ad genus ſubſtantiæ: Ergo modus debet eſſe de genere rei cujus eſt modus.

Reſpondeo Negando minorem primi, & ſecundi argumenti. Ad tertium verò diſtinguo Majorem ſic: Modus rei eſt de genere rei, cujus eſt modus, ſi dicatur modus per hoc, quod modificat & afficit id, cujus eſt modus, eſtque aliquid ejus; Concedo: ſi autem modus dicatur per hoc potius, quod eſt medium & via ad aſſequendum id, cujus eſt modus; Nego, quod modus ille debeat eſſe de genere rei, cujus eſt modus: licet ergo modus modificans, cum ſit aliquid ejus quod modificat ſive afficit, qualis eſt exiſtentia, ſubſiſtentia, inhærentia, &c. debeat eſſe tunc de genere rei, cujus eſt modus, propterea

quòd

quòd, cùm sit aliquid ejus, & consequenter incompletum quid, non nisi reductivè poni potest in genere, subindeque non nisi ad genus illius, cujus aliquid est, reduci potest, nihilominus modus qui talis dicitur, non quia modificat, sed potius quia mediat, deservitque ad assecutionem rei, cujus dicitur modus, non propterea esse debet de ejusdem genere, quin immò petit ut plurimùm in alio reponi, cùm modus medians, & deserviens non sit ut plurimum aliquid ejus, ad quod deservit. Definitio autem, divisio, & argumentatio, quando dicuntur modus sciendi, non nisi in hoc secundo sensu ita appellantur, cum modus sciendi, seu scientias acquirendi esse possit, non habitis scientiis, quarum est modus, quod quidem dici non posset, si talis esset modus modificans, de cujus scilicet ratione est, quod esse non possit sine re, cujus est modus, ut patet in existentiâ, inhærentia, &c. Non ergo sequitur definitionem, divisionem, &c. ex eo quod sunt modus sciendi; esse debere reale quid, non autem ens rationis.

Instabis: Pari modo philosophandum est quoad realitatem de modo sciendi ut sic, ac de modo taliter vel taliter sciendi; sed modus vel taliter taliter sciendi, sive sciendi hoc vel illo modo, est reale quid; Ergo & omnis modus sciendi. Major patet: Neque enim occurrit ibi assignabilis, vel assignanda disparitas. *Probatur minor*: Modus sciendi clarè vel obscurè, est modus taliter vel taliter sciendi; Sed modus sciendi clarè vel obscurè est reale quid, Ergo & modus sciendi taliter aut taliter, sive hoc vel illo modo. *Probatur minor*: Quæ distinguuntur realiter, non possunt non esse quid reale; Sed modus sciendi clarè, & modus sciendi obscurè distinguuntur realiter, cum distinguantur per ly clarè vel obscurè, quæ quidem distinguuntur realiter: Ergo modus sciendi clarè vel obscurè est reale quid.

Respondeo Negando paritatem majoris, si nimitum ly taliter vel taliter supponant pro ly clare vel obscurè, ut supponit arguens, vel pro aliis hujusmodi, quæ se tenent ex parte intellectus, & non ex patre rei intellectæ. Ratio autem disparitatis est, quia modus sciendi ita simpliciter dictus, qualis est definitio, vel argumentatio, talis dicitur, & constituitur in esse talis, per hoc quòd repræsentet, sive distinguat in objecto scibili, rationem subjecti & prædicati, universalis & particularis, generis & speciei, ex quibus ad invicem comparatis, formantur propositiones necessariæ & per se, quæ quidem sunt objectum scientiæ, & id quod *Nota.*

de-

denominatur scitum; cum autem hæc omnia non consequantur rem, seu scibile, nisi secundum quod est objective in intellectu; consequenter fit, quod modus ille sciendi ita simpliciter dictus sit ens rationis: At vero modus sciendi taliter aut taliter, puta clare vel obscure, non habet dici talis, ex eo quòd rem consequatur, secundum quòd est objective in intellectu, sed ut plurimùm, ex eo quòd alio & alio lumine illustratur, & confortatur intellectus; quod quidem lumen, cum realiter afficiat intellectum, inde fit modum illum sciendi taliter, aut taliter, clare scilicet vel obscurè esse debere reale quid.

Objicies 2. Objectum Logicæ debet esse ens definibile; Sed ens rationis non est ens definibile; Ergo nec esse potest objectum Logicæ. Major est certa, cum enim principium, ex quo quilibet habitus probat ut plurimum suas conclusiones, demonstrando scilicet proprietates de objecto, sit ejusdem objecti definitio; evidenter sequitur, quod objectum Logicæ esse debet ens definibile. *Probatur minor*: ens dicitur definibile, hoc ipso quod explicari potest per definitionem solam explicantem essentiam; Sed ens rationis non potest explicari per definitionem solam explicantem essentiam: Ergo ens rationis non est ens definibile. Major est evidens; cum enim definitio sit oratio explicans naturam rei; & quævis natura ex solis constet essentialibus; adeo ut quæ de essentia non sunt, sint extra naturam; consequenter fit, quod ens definibile debet posse explicari per definitionem solam explicantem essentiam. *Probatur minor*; ubi non potest essentia concipi sine existentia, ibi explicari non potest per definitionem solam explicantem essentiam; Sed essentia entis rationis non potest concipi sine existentia, cum sit ens rationis talis naturæ, quod existat, hoc ipso quod concipitur: Ergo ens rationis non potest explicari, per definitionem solam explicantem essentiam.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti. At tertium vero distinguo majorem: ubi non potest essentia concipi sine existentia, ibi explicari non potest ens per definitionem solam explicantem essentiam, si quod non possit sine existentia concipi, hoc habeat, quia existentia conceptum essentiæ ingreditur, concedo, quod tunc per definitionem explicari non possit solam explicantem essentiam: si autem quod non possit sine existentia concipi, hoc habeat, quia ex ejus activo conceptu resultat existentia, nego: Tunc enim

enim existentia relinquit conceptum essentiæ intactum & integrum, proindeque & solum; cum supponatur resultare ex illo, quod quidem dici non posset, si non esset conceptus objectivus essentiæ solus, sed haberet adjunctam existentiam; alias idem à seipso resultaret. Modo sic est quod essentia entis rationis, cum dicitur non posse concipi sine existentia, hoc non habet, nisi in hoc secundo sensu, ex eo scilicet, quod ex conceptu ejus activo resultat existentia, non autem eo quod existentiam ad sui conceptum requirat, seu ex eo quod existentia ingrediatur conceptum ejus objectivum, quod quidem patet ex eo, quod & ante & post conceptum, quo active concipitur essentia entis rationis, supponitur esse quantum ad esse essentiæ, cum ejus essentialia supponantur æternæ veritatis, & tamen pro illo tunc non supponitur existentia: Ergo quod non possit essentia entis rationis active concipi sine existentia, non propterea impedit, quo minus adhuc explicari possit per definitionem solam explicantem essentiam.

Instabis: Existentia ingreditur conceptum objectivum essentiæ entis rationis; ergo non est ens rationis definibile, per definitionem solam explicantem essentiam. *Probatur antecedens*: conceptus essentiæ entis rationis objectivus est iste; quod habet tantum esse objective in intellectu; Sed ly esse quod ibi exprimitur, est esse existentiæ: Ergo existentia ingreditur conceptum objectivum essentiæ entis rationis. *Probatur minor*: esse habitum, non potest pro alio supponere, quam pro esse existentiæ, cum ipsum esse, quod dicitur essentia, sit quod habet, seu exprimatur per modum habentis, ut patet inductione; Sed ly esse, quod exprimitur in præfato conceptu objectivo, est esse habitum, seu esse quod habetur, ut patet ex terminis; Ergo illud esse supponit pro esse existentiæ.

Respondeo Negando antecedens. Ad cujus probationem distinguo majorem: Conceptus essentiæ entis rationis objectivus est iste, quod habet tantum esse objective in intellectu; ita ut illud omne de conceptu sit, seu conceptum formet; nego majorem; ita ut illud omne vel de conceptu sit, vel conceptum circumloquatur, ut dicit D. Thomas sive notificet, concedo; & concessa minori, nego consequentiam. Pro quo notandum est, quod sicut quando definitur substantia, & dicitur: Substantia est id quod per se est; vel quando dicitur de accidente: Accidens est, quod est in alio, non est hic vera definitio, nec consequenter vere definitus conceptus,

Nota

 sed

sed circumloquutio veræ definitionis, quæ talis intelligitur: Substantia est res, cujus naturæ debetur esse per se; accidens vero est res, cujus naturæ debetur esse in alio; ita similiter dicendum in præsenti, quod quando definitur, seu exprimitur conceptus essentiæ entis rationis dicendo scilicet: quod habet tantum esse objective in intellectu: non est ibi verus & essentialis conceptus, seu conceptus definitus, sed circumloquutio conceptus & definitionis, taliter quod sensus sit: ens rationis est id, cujus essentiæ, seu naturæ debetur esse tantum objectivum in intellectu; atque ita quamvis ibi exprimatur esse existentiæ; non propterea ingreditur conceptum essentialem entis rationis; cum non sit ibi conceptus definitus, sed solum circumloquutio definitionis atque conceptus.

Objicies tertiò: in objecto Logicæ debet esse veritas, quæ sit simpliciter talis; Sed in ente rationis non potest esse veritas, quæ sit simpliciter loquendo veritas: Ergo non potest ens rationis esse objectum Logicæ, Major est certa: Cùm enim non demonstretur nisi veritas; & objectum, sive Logicæ, sive alterius scientifici habitus, sit simpliciter loquendo demonstrabile, debet per consequens in eo attendi veritas, quæ sit simpliciter talis: *Probatur minor*: Veritas simpliciter importat entitatem etiam simpliciter talem; Sed in ente rationis non est entitas, quæ sit simpliciter talis: Ergo neque veritas, Minor per se patet; cùm ens rationis non sit ens simpliciter loquendo, sed solum cum hoc addito, rationis, *Probatur major*: Sicut se habet veritas ut sic, ad entitatem ut sic, ita veritas talis ad talem entitatem: Sed veritas ut sic, importat entitatem ut sic: Ergo & veritas simpliciter talis importat entitatem simpliciter talem.

Respondeo Negando minorem: ad cujus probationem distinguo Majorem: veritas simpliciter importat entitatem etiam simpliciter talem, si sermo sit de veritate quæ est transcendens, & omnino intrinseca. Concedo: si autem sermo sit de veritate non transcendente & involvente extrinsecum quid; Nego: pro quo sciendum est duplicem in qualibet naturâ distingui posse veritatem, alteram scilicet quæ est transcendens & omnino intrinseca, quæque talis dicitur; quia intime imbibitur in intrinsecis cujuslibet naturæ, & ex illis præcisé, ut intrinseca & essentialia sunt, exurgit, estque talis veritas connexio hujusmodi essentialium, aut potiùs ipsamet essentialia naturæ cujuslibet, prout intellectui objiciuntur, & ab eo apprehenduntur connexa; altera verò, quæ in quavis natura

Nota.

di-

distingui potest veritas, est ea, quæ dicitur non transcendens, eo quod scilicet non reperiatur imbibita in intrinsecis naturæ, præcisè ut intrinseca sunt, sed aliquod requirat & involvat extrinsecum, ad hoc ut sit, estque talis veritas ipsa connexio naturæ cujuslibet cum suis proprietatibus, aut accidentibus, quæ quidem, cum sint ipsi naturæ extrinseca, faciunt per consequens, quòd talis veritas non sit transcendens respectu naturæ, eo quod scilicet in ejus entitate quâ tali non reperiatur imbibita: jam ergo dico veritatem, quæ est simpliciter loquendo talis, haud dubiè importare entitatem simpliciter talem, si sermo sit de veritate transcendente, & omnino intrinseca, eo quod scilicet cum illa, hoc ipso quod transcendens sit ipsamet entitas, non potest per consequens non proportionari cum eâ, quantum ad præfatam denominationem simpliciter: non tamen idem dicendum de veritate non transcendente & involvente extrinsecum quid, eo quod scilicet veritas hæc, etsi supponat entitatem, non tamen desumitur ex entitate supposita, sed ex connexione illius cum suis proprietatibus; & quia connexio illa cum proprietatibus tam necessaria esse potest in entitate, quæ est talis tantum secundùm quid, quàm in ea, quæ est talis simpliciter, propterea quod vis & necessitas connexionis, ex eo provenit, quòd sint proprietates illius, nec esse possint alterius, quod quidem non minùs verificatur in proprietatibus entis secundum quid, quàm entis & entitatis simpliciter; consequenter fit quod veritas illa non transcendens possit esse talis simpliciter, etsi entitas, cujus veritas est, non sit simpliciter talis, modo sic est quod veritates, ad quas demonstrandas attendit Logica, circa objectum suum supponunt pro veritatibus non transcendentibus; eo quod non demonstret de objecto, nisi proprietates sequitur, ergo de primo ad ultimum versari Logicam circa objectum, quod in ratione attingibilis per demonstrationem est verum simpliciter, & consequenter scibile & cognoscibile simpliciter in eodem sensu.

Nota.

Instabis: Nulla prorsus veritas, sive sit transcendens, sive non sit, potest esse simpliciter talis in ente, quod non est tale simpliciter ut est ens rationis: Ergo nulla solutio. *Probatur Antecedens*: A superiori ad inferius valet consequentia negative, ut docent Dialectici: est enim verum dicere, Non est animal ergo non est equus; Vel: ergo non est homo; Sed ens superius est ad omne verum, sicut & ad omnem aliam rationem, cum nulla sit ratio, quæ possit subterfugere rationem en-

 tis;

tis: Ergo ubi non est ens, quod sit tale simpliciter, nulla potest dari veritas, quæ sit simpliciter talis.

Respondeo Negando antecedens, cujus quidem negari ratio est satis abundè tradita in responsione ad argumentum præcedens. Ad hujus autem probationem distinguo majorem: A superiori ad inferius valet consequentia negativè, in his, in quibus propriè exercetur superioritas & inferioritas; Concedo: In his in quibus non se habent propriè ut superius & inferius; Nego. Notandum ergo, quòd quia ratio, propter quam adducitur à Dialecticis præfatum axioma, est hæc; quia scilicet inferius, hoc ipso quod tale, virtualiter intrinsecè continetur in superiori, & superius, hoc ipso quòd tale, est in potentia, & in confuso sua inferiora, ex quo fit quòd à negatione illius, sive superioris, non potest negatio inferiorum non sequi, consequenter fit, quod præfatum axioma non valet, ubi propriè non exercetur superioritas & inferioritas; ex eo scilicet quod tunc illud, quod inferius dicitur, non continetur virtualiter intrinsecè in superiori, cum propriè inferius non sit: Modo sic est quod ens & verum, de quo est sermo, *Nota.* quod scilicet ab extrinseco provenit, non se habent propriè ut superius & inferius, cum ly verum, & si supponat ens, addat tamen rationem quandam veri, quæ in ente propriè non contineatur intrinsecè; Sed ab extrinseco desumpta sit, scilicet à necessariâ connexione, quam habet ens cum suis proprietatibus: Ergo non valet ibi consequentia, nec est hæc propositio propriè à superiori ad inferius: Non est in ente rationis ens sive entitas simpliciter; Ergo neque veritas simpliciter; sicut & ob eandem rationem nec rectè concluderet qui diceret: linea quæ est de genere quantitatis, non est simpliciter ens; cum sit accidens: Ergo non est simpliciter in longum extensa.

Objicies quartò; Objectum cujuslibet scientifici habitus habere debet proprietates, seu proprias passiones; Sed ens rationis non habet proprietates: Ergo nec esse potest objectum Logicæ. Major est evidens; Alias nihil haberet objectum, quod de ipso demonstrare posset habitus, cum seclusis proprietatibus nihil sit, quod cum objecto necessariam habeat connexionem. *Probatur minor*: de ratione proprietatum est, quod existente essentiâ, cujus proprietates sunt; existant & ipsæ: Sed existente essentiâ entis rationis, non propterea existunt ejus proprietates: Ergo quæ ejus assignantur proprietates, verè proprietates non sunt. Major patet, & ostendi potest inductione. *Probatur minor*: quæ assignantur proprieta-

tes

tes de ente rationis, sunt entia rationis; Ergo actu non existunt, nisi dum actu considerantur: Sed dum actu consideratur essentia, non propterea illæ considerantur; Ergo actu existente essentia, non propterea illæ existunt.

Respondeo Negando minorem: Ad cujus probationem, distinguo majorem: de ratione proprietatum est, quod existente essentia, existant & ipsæ, ubi proprietates resultant naturaliter, sine actionis interventu: Concedo; ubi intervenire debet actio altera ad resultantiam proprietatum, Nego; quod scilicet existente essentia, debeant propterea de necessitate existere proprietates, Ex eo scilicet, quod fieri possit, quod essentiâ positâ impediatur, aut nondum posita sit actio illa altera, mediante quâ resultare debent proprietates, atque existere: hoc autem ita contingit in præsenti; Siquidem quæ assignantur proprietates entis rationis, non habent, quod existant, nec quod ab essentia dimanent, nisi quando intervenit operatio intellectus: mediâ quâ consideratur dimanare: non ergo amittere debent propterea proprietatis, seu propriæ passionis rationem, & si non semper actu existant, quando actu existit essentia. Ratio autem hujus solutionis est, quia ad connexionem proprietatis cum essentiâ sufficit, quod una exigat positionem alterius; Modo sic est quod salvatur præfata exigentia, sive ponatur proprietas ex vi actionis, quæ essentiam ponit, sive interventu alterius actionis poni debeat, quin immo plenius salvatur in hoc secundo casu, quam in primo; vim exigentia positionis non tam sit rigorose loquendo repositâ, quam nondum positâ: Non ergo de ratione proprietatis est, loquendo absolutè, quod ex vi actionis, quâ essentiâ ponitur, poni debeat, nec consequenter quod ex stente essentiâ, existat & ipsa. *Nota.*

Instabis; Omnis vera proprietas, quæ scilicet demonstrabilis est, non potest non distingui saltem per intellectum ab eo; cujus est proprietas: Sed quæ assignantur proprietates in ente rationis, non sunt hujusmodi; ergo non habet ens rationis veras, seu demonstrabiles proprietates. Major supponitur certa; cum enim id, quod demonstratur, & id de quo demonstratur, se habeant ut aliud & aliud, ut patet ex terminis, non potest per consequens proprietas, quæ est id quod demonstratur, non distingui saltem per intellectum ab eo, cujus est proprietas, de quo scilicet demonstratur. *Probatur minor*: quod comparativè ad intellectum est

 idem

idem cum ente rationis, non potest etiam per intellectum ab eo distingui: Sed quæ assignantur proprietates in ente rationis, sunt idem cum eo, comparative ad intellectum; ergo proprietates illæ non sunt etiam per intellectum distinctum quid ab eo, cujus sunt proprietates. Major patet ex terminis. *Probatur minor*: proprietates illæ non habent esse, nisi per intellectum, & comparative ad illum: Sed esse illud, quod habent, est esse, seu ens rationis; ergo proprietates illæ sunt idem cum ente rationis comparative ad intellectum.

Respondeo negando minorem primi, & secundi argumenti: Ad tertium vero distinguo minorem: Sed esse illud, quod habent comparative ad intellectum, est esse seu ens rationis, ita quod sit aliquod esse rationis, Concedo: est esse seu ens rationis, ita quod sit illud ens rationis, cujus assignantur proprietates, Nego minorem; & similiter consequentiam, utpote quæ in hoc secundo sensu procedit: dico igitur quod, quamvis quæ assignantur proprietates sint etiam ens rationis, ly tamen ens rationis quod sunt, seu quod de illis dicitur, est esse per modum consequentis & dimanantis, cum non nisi sub illa ratione considerentur, & attingantur per rationem, seu intellectum: ens vero rationis, cujus assignantur proprietates, est ens non per modum consequentis, sed per modum entis, ex quo aliud consequitur, ex eo scilicet quod non nisi sub hac ratione attingatur ab intellectu, & aliunde ens rationis sapiat naturam entis realis, ad cujus similitudinem apprehenditur, cum sit ens rationis non ens conceptum per modum entis: Ergo adhuc sufficienter distinguuntur præfatæ proprietates ab ente rationis, cujus assignantur proprietates, quamvis non sint nisi comparative ad intellectum, & consequenter comparative ad eundem intellectum sint ens rationis.

Objicies 5. Demonstratio est de objecto formali Logicæ: Sed demonstratio etiam formaliter sumpta, est ens reale: Ergo reale ens non autem ens rationis est objectum formale Logicæ. *Probatur minor*: quod concurrit per modum causæ ad effectum realem, est reale ens; Sed forma demonstrationis concurrit per modum causæ ad effectum realem: Ergo forma demonstrationis, seu demonstratio formaliter sumpta, est reale ens. *Probatur minor*: assensus scientificus conclusionis est quid reale; Sed forma demonstrationis concurrit per modum causæ, ad talem assensum: Ergo concurrit per modum

cau-

causæ ad realem effectum. *Probatur minor*: ubi concursus supponitur, nec dari potest ratio, quod sit per modum conditionis, nisi recurrendo ad principium, credendum est concursum fieri per modum causæ; Sed supponitur formam demonstrationis concurrere ad assensum scientificum conclusionis, & probari non potest, quod sit per modum conditionis, nisi recurrendo ad principium, dicendo scilicet, quia est ens rationis: Ergo dicendum est demonstrationis formam concurrere ad talem assensum per modum causæ.

Respondeo Negando minorem primi, secundi, & tertii argumenti: Ad quartum vero nego similiter minorem: fateor equidem non solere Thomistas hic rationem hujus assignare; sed quod ita se gerant non est putandum provenire ex penuria rationum, sed magis, quia cum hic negantium partes agant, arguentium, sive adversariorum est probare, quod res non ita se habeat, & quod præfata demonstrationis forma concurrat, non tantum per modum conditionis, sed etiam per modum causæ. Nego igitur minorem ultimi hujus argumenti, & pro hujus negati ratione dico, non quidem recurrendo ad principium, ut dicunt adversarii, sed alio & quidem irrefragabili medio, dico inquam quod si forma demonstrationis, seu bonitas consequentiæ concurreret ad assensum scientificum conclusionis, ut causa per se, & non tantum ut conditio, ubicumque esset eadem forma, seu eadem bonitas consequentiæ, etiam in materia demonstrabili, esset etiam æqualis veritas & certitudo conclusionum, ut per se patet. & ut præterea colligi potest ex inductione aliorum effectuum eandem habentium causam per se: Modo sic est quod istud falsum reputatur ab omnibus Theologis, qui quidem cum divo Thoma in *quæstione prima suæ summæ art. quinto*, Probant excedere Theologiam, in certitudine suarum conclusionum omnes scientias naturales, licet non excedat in bonitate consequentiæ, & forma discursûs: Ergo minoris negatæ habetur ratio, eaque meo sensu irrefragabilis, absque eo quod recurrere debeamus ad principium. *Nota.*

Instabis: Realis effectus non potest etiam tanquam à conditione pendere ab ente rationis; Sed assensus scientificus conclusionis pendet ex concessis à formâ demonstrationis ut à conditione: Ergo quoquo modo concurrat præfata forma, habetur semper non esse ens rationis. *Probatur major*: realis effectus sub nulla ratione potest esse inferior ad ens rationis; Sed quod pendet ab alio, ut à conditione est in-

 ferius

ferius sub ea ratione, quâ pendet: Ergo talis effectus non potest etiam tanquam à conditione, pendere ab ente rationis.

Respondeo, Negando majorem. Ideo namque dici solet, quod realis effectus exposcit de necessitate realem causam, nec potest pendere ab ente rationis tanquam à causa, quia scilicet effectus correspondere debet suæ causæ, & cum ea adaptari & proportionari: Modo sic est quod cum conditione, à qua pendere potest, non petit ita correspondere, neque proportionari; fides namque supernaturalis, ut habeatur, pendet multoties à propositione credendorum, ut à conditione, quæ tamen propositio credendorum est ut plurimum naturalis; & gratia supernaturalis collata, Verbi gratia per Sacramentum Eucharistiæ, pendet ab applicatione Ministri & à sumptione recipientis ut à conditione, cum tamen & applicatio ministri, seu collatio & sumptio ipsius sumentis sint motus quidam naturales: non ergo repugnat realem effectum pendere ut à conditione ab ente rationis, sicut nec repugnat quod supernaturale ens pendeat ut à conditione ab ente naturali.

Ad probationem autem majoris negatæ, nego minorem, nimirum quod id quod ab alio pendet ut à conditione, fit ei sub ea ratione inferius: sicut enim, quod aliquid ab alio pendeat tanquam ab instrumento, non infert inferioritatem respectu instrumenti, in eo quod pendet, quin immo inferioritatem potius supponit in instrumento, eo quod scilicet hoc ipso quod exigitur ut instrumentum, exigitur per modum alicujus, quod alteri subordinatur, quodque non est, nisi in quantum deservit alteri, propter quod est & ad quod instrumentaliter concurrit: ita similiter quia id, quod se habet conditionaliter, & ad modum conditionis, talis est naturæ, quod alteri subordinatur, ad quod scilicet est conditio, ut patet in approximatione ignis ad lignum, quæ conditio est ad combustionem requisita; consequenter fit, quod hoc ipso quod aliquid ab alio pendet ut à conditione, non propterea esse debeat ei sub aliqua ratione inferius; cum tunc non pendeat ab eo, nisi inquantum illud ad se, sive ad esse sui subordinat, seu inquantum illud per modum deservientis sibi requirit.

Instabis 2. Non potest sub ulla ratione realis effectus relationem dicere ad ens rationis: Sed hoc ipso, quod penderet ab eo ut à conditione, relationem diceret ad illud: er-

go non poteſt realis effectus, nec conſequenter aſſenſus ſcientificus concluſionis pendere ab ente rationis ut à conditione. Minor patet: Dependentia namque alicujus ab alio quæcumque illa ſit: eſt reſpectiva, ſubindeque involvit relationem. *Probatur Major*: relatio, quam dicit realis effectus ut talis, realis eſt; Sed non poteſt dari realis relatio ad ens rationis: ergo nec poteſt realis effectus relationem dicere ad ens rationis. Major ſupponitur certa, cum ſit relatio alicujus ſecundum quod reale eſt. *Probatur Minor*: relatio eſt, cujus totum eſſe, eſt ſe habere ad aliud; Sed non poteſt hoc verificari de relatione reali, comparative ad ens rationis: ergo dari non poteſt realis relatio ad ens rationis. *Probatur Minor*: illud, cujus totum eſſe eſt ſe habere ad aliud, eſſe non poteſt ſecluſo illo alio; Sed ſecluſo quocumque ente rationis, adhuc eſt aut eſſe poteſt relatio realis; cum hoc ipſo quod realis eſt, ſit ſecluſâ conſideratione intellectus, quâ quidem ſecluſâ, non eſt ens rationis: ergo de reali relatione verificari nequit, quod totum ejus eſſe ſit ſe habere ad ens rationis.

Reſpondeo negando majorem. Ad cujus probationem nego minorem: Ad tertium vero nego ſimiliter minorem: Ad quartum autem, in quo ſita eſt vis argumenti, minorem etiam nego: Pro quo dico non in hoc præcisè differre reale ens ab ente rationis, quod exigat reale ens eſſe, aut poſſe eſſe ſecluſâ quacumque operatione intellectus, cum tamen eâ ſecluſâ non ſit, nec eſſe poſſit ens rationis: dantur enim plura entia realia, quæ quidem ſecluſa operatione intellectui non ſunt, ut ſunt ſpecies omnes, ſive ſimilitudines expreſſæ, quæ in tantum actu ſunt, in quantum objectum actu repræſentant intellectus, ſubindeque in quantum eſt intellectui in actuali cognitione & operatione: Non ergo in hoc ſtatuendum eſt diſcrimen inter reale ens & ens rationis, ſed in hoc quod ens rationis in tantum eſt, in quantum actu conſideratur per modum objecti, ex quo ſcilicet ſit, quod eſſe tantum habeat objectivum; cum tamen reale ens, licet quandoque pendeat ab operatione intellectus, ad hoc ut ſit, non tantum objectivum habeat eſſe, ſeu non tantum actu ſit, quia actu objicitur intellectui conſiderandum, ſed habeat præterea eſſe ſubjectivum verum & proprium in aliquo reali, ſive reale illud ſit intellectus, ſive aliquid aliud. Cum ergo præfata relatio ad ens rationis ſit hujuſmodi; adeò ut habeat, ſeu ſupponatur habere eſſe ſubjectivum in ſuo fundamento quod refert, neque verificetur de ea, quod in tantum eſt, in quantum objicitur intelle-

ctui conſideranda, ut per ſe patet, conſequenter ſit quod quamvis non ſit ſecluſa conſideratione intellectus, ex quá ſcilicet ens rationis, ad quod eſt, habet eſſe, adhuc tamen ſit & eſſe poſſit realis relatio: poteſt ergo reale ens realem dicere relationem ad ens rationis.

Objicies ultimò: Objectum formale Logicæ debet eſſe quid pertinens ad directionem rationis; Sed nullum ens rationis poteſt eſſe tale quid: Ergo nec poteſt eſſe objectum formale Logicæ. Major conceditur ab omnibus, cum tota ſit Logica in dirigendis operationibus mentis. *Probatur Minor*: non aliud ens rationis poteſt eſſe tale quid, quam diſpoſitio, qua diſponit Logica conceptus, ſive formales, ſive objectivos; Sed talis diſpoſitio non eſt ens rationis: Ergo nullum ens rationis poteſt eſſe tale quid pertinens ad directionem rationis. Major patet, & colligitur ex probationibus concluſionis. *Probatur Minor*: in tantum diſpoſitio illa eſt ens rationis, in quantum actualiter conſideratur ab intellectu; Sed ſecluſâ actuali conſideratione, manent præfati conceptus ſufficienter diſpoſiti ad præfati finem: Ergo diſpoſitio illos diſponens ad talem finem non eſt ens rationis. Major eſt certa; etenim ens rationis actualiter non exiſtit; niſi dum actualiter conſideratur. *Probatur Minor*: per hoc præcisè quod terminant conceptus illi diſpoſitionem activam ipſius Logicæ, ſunt ſufficienter diſpoſiti ad præfatum finem: Sed illud habent ſecluſâ actuali illa conſideratione: Ergo ſecluſa actuali illa conſideratione manent præfati conceptus ſufficienter diſpoſiti ad præfatum finem, directionem ſcilicet rationis.

Reſpondeo Negando minorem primi, ſecundi, & tertii argumenti: Ad quartum vero diſtinguo majorem: per hoc præcisè, quod conceptus terminant diſpoſitionem activam Logicæ, ſunt ſufficienter diſpoſiti ad præfatum finem, ut modo ſcientifico & regulariter obtinendum, nego majorem: ad præfatum finem, ut qualitercumque obtinendum, concedo; & conceſſa minori, diſtinguo ſimiliter conſequens, vel etiam nego conſequentiam, cum finis ille non reſpiciatur à Logica, niſi ut ſcientifico modo habendus. Pro quo dico, quod quia ad hoc ut Logica poſſit rationem dirigere in cognoſcendo modo ſcientifico, debet non ſolum diſponere ita artificialiter conceptus, ſive formales ſive objectivos, ſed præcipuè debet eorum diſpoſitionem artificioſam cognoſcere, & de ea judicare, ne intellectus in tali diſpoſitione activa, & in aliis operationibus ex illa dependentibus cum aliquo errore proce-

Nota.

dat;

dat; consequenter fit, quod, cum per dispositionem activam nil reale ponatur in his conceptibus sic dispositis, ut intellectus eatum dispositionem cognoscat, & de ea judicet, debet per consequens hujusmodi dispositionem, ad modum formæ alicujus intrinsecæ & inhærentis considerare, quod quidem idem est, atque cognoscere in illis formam rationis, ad modum formæ realis, ipsos conceptus quasi intrinsecè & formaliter denominantem; cumque talis forma rationis sit in hoc casu id; ad quod cognoscendum præcipuè attendit, & intendit Logica, sequitur per consequens de primo ad ultimum, ens rationis fore objectum Logicæ, eo quod debeat esse quid pertinens ad directionem rationis.

Instabis: Inintelligibile est dispositionem illam ad modum formæ intrinsecæ consideratam esse id, ad quod præcipuè attendit & intendit Logica: Ergo nec intelligibile est esse objectum formale Logicæ ut est ens seu forma rationis. *Probatur antecedens*: id ad quod præcipuè attendit Logica, debet posse conducere ad cognitionem veritatis; Sed dispositio illa ital considerata nequit ad hoc conducere: Ergo nec esse potest id, ad quod præcipuè attendit Logica. *Probatur Minor*: non potest dispositio illa conducere ad cognoscendam veritatem quando non est; sed, quando cognoscitur veritas, actu non est; cum solum actu sit, quando actu consideratur, & non consideretur actu, quando alia cognoscitur veritas: Ergo dispositio illa ita ad modum formæ intrinsecæ considerata, non potest ad cognitionem veritatis conducere.

Respondeo negando antecedens. Licet enim dispositio illa ad modum formæ intrinsecæ, non sit id, ad quod præcipuè attendit Logica in hoc scilicet sensu, quasi id quod præcipuè inquirit, sit, an præfata forma, seu dispositio sit intrinseca, non enim hoc est intentum Logicæ: nihilominus est adhuc præfata dispositio ita considerata id, ad quod præcipuè attendit Logica, inquantum scilicet attendit præcipuè Logica ad rectitudinem, seu rectam dispositionem conceptuum ut cognitam & talem judicatam, ut constat ex dictis supra, quod quidem intentum Logicæ haberi non potest, non considerata præfata dispositione ad modum formæ intrinsecæ & inhærentis, ut etiam supra ostensum fuit. Negandum ergo est antecedens; ad cujus probationem nego minorem: Nec enim haberi potest cognitio veritatis scientifica, non habita certitudine de recta dispositione conceptuum, ad quod requiritur præfatum judicium, & consequenter consideratio præfatæ dispositionis *Nota.*

ad

ad modum formæ intrinsecæ, ut ex dictis supra colligitur. Ad tertium vero Respondeo 1. distinguendo majorem: Non potest cognitio illa conducere ad veritatis cognitionem, quando non est, nec in se nec in suo fundamento, concedo; quando non est in se, est tamen in suo fundamento, nego; Sicut enim existente fundamento relationis rationis, quâ constituitur signum ad placitum formaliter in esse signi, impositione scilicet ad significandum non retractatâ, sicut inquam tali existente fundamento id sufficit, ad hoc ut signum possit ducere in cognitionem sui significati, quamvis præfata relatio rationis, quia actualiter non consideratur, formaliter non existat, ita similiter & existente fundamento præfatæ dispositionis ad modum formæ intrinsecæ conceptibus scilicet activè & artificiosè à Logi â dispositis, etiam in esse tali consideratis, potest hoc sufficere ad hoc, ut intellectus ducatur in veritatis cognitionem, quamvis dispositio illa ad modum formæ intrinsecæ non sit pro tunc formaliter, sed fundamentaliter tantum, quia pro illo tunc supponitur non considerari actualiter. Vel ad idem tertium argumentum

Respondeo 2. negando minorem, cujus negati ratio est, quia cognitio formans ens rationis, & consequenter dispositionem illam ad modum formæ intrinsecæ, non est illa actualis consideratio, quâ ens rationis denominatur reflexe cognitum, seu tanquam id quod cognoscitur, cum consideratio illa supponat ens rationis formatum, & super ipsum feratur tanquam super terminum cognitum, sed est illa, quâ unum cognoscitur in ordine ad aliud, ad quod de facto non est relatum; cum hoc ipso resultet relatio rationis, & exercitè attingatur, licet non in actu signato: Modo sic est quod in cognitione veritatis res sic se habet. Non enim potest hæc, v. g. cognosci veritas: *ergo Petrus est rationalis*; quin comparet intellectus extrema ad invicem, nec non ad medium, quod est ly homo, inter quæ tamen nullus habetur comparationis ordo: Ergo contra minorem ultimi argumenti adhuc sufficienter est præfata dispositio conceptuum, ut est forma rationis, quando actu cognoscitur veritas; quamvis actu non consideretur ut quod, seu tanquam id quod tunc cognoscitur.

Colliges 1. specificativum intrinsecum ipsius habitus Logicæ, quod quidem est ordo, quem dicit ad suum objectum, esse reale quid, sive realem ordinem, quamvis specificativum extrinsecum, quod est objectum, sit ens rationis; neque pro salvandâ realitate hujus ordinis, seu relationis, recurrendum

puto

puto ad transcendentiam relationis, ut recurrunt ibi plures Thomistæ dicentes scilicet ordinem, quem dicit Logica ad ens rationis realem esse, quia cum transcendentalis sit, est ipsamet entitas sui habitus, prout objectum connotat: nam præterquam quod non est ita certum, ordinem hunc esse solum transcendentalem; quin imo videtur mihi esse prorsus prædicamentalem; cum relatio prædicamentalis, tertii scilicet generis fundetur in mensura & mensurabili; subindeque comprehendat relationem habitus ad objectum, quæ quidem est inter mensurabile & mensuram: præter hoc inquam, adhuc sufficienter salvatur in ordine realitas, & si transcendentalis non sit, sed prædicamentalis, seu superadditus entitati rei, cujus est ordo, dicendo scilicet quod, quamvis totum suum esse habeat ad ens rationis; subindeque non sit eo secluso, non tamen propterea in tantum est, in quantum objicitur considerandus intellectui, in quo discriminatur ens rationis ab ente reali, sed habet præterea esse subjectivum in habitu, cujus est ordo.

Colliges 2. res omnes & materias, quæ à Logicâ tractantur & diriguntur, ad eam non pertinere, nec ab ea attingi, nisi sub ratione aliqua, quæ realis non est, sed rationis, seu nisi in quantum sunt entia rationis, & hoc vel formaliter & denominativè, ut sunt conceptus objectivi, seu res conceptæ & apprehensæ, quæ quidem formaliter denominantur subjectum, prædicatum, genus, species, &c. vel representativè, ut sunt conceptus formales, sive operationes mentis, quæ quidem cum importent formalem similitudinem rerum, quas apprehendunt, sunt per consequens in esse repræsentativo intellectuali: subjectum, prædicatum, & aliæ similes intentiones rationis, cum omnia illa attingunt, repræsentent. Quod autem non attingat Logica conceptus illos formales, seu operationes intellectus, nisi inquantum sunt repræsentativè entia rationis præterquam quod ex dictis supra colligitur; potest ulterius colligi ex eo scilicet, quod non versatur Logica circa præfatos actus, sive conceptus, nisi dirigendo seu disponendo, cum autem hujusmodi conceptus non dicantur dispositi. quasi situaliter sive entitativè, eo modo quo lapides in domo disponi solent, ut per se patet, sequitur non aliter disponi à Logica nisi inquantum versantur repræsentativè circa objecta à Logica disposita & ordinata, subindeque nec considerari à Logica, nisi inquantum sunt in esse repræsentativo entia rationis, seu nisi in quantum sunt repræsentativè ipsa objecta, prout habentia ordinationem illam logicalem, quæ est ens rationis: neque obstat,

quod

quod ibi dicunt aliqui, quod scilicet præfati conceptus habent naturaliter, & consequenter realiter repræsentare, adeoque, quod semper secundùm reale quid consideretur à Logica: non inquam hoc obstat, licet enim repræsentatio, sive tendentia actuum, seu conceptuum ad repræsentandum sit naturalis, ly tamen repræsentatum est formaliter ens rationis ut ibi supponitur, & fuit suprà abundè probatum; & quia repræsentativum formale est in esse repræsentativo ipsum repræsentatum; propterea quod (dicunt communiter Theologi) si in visione beatifica daretur species ipsius divinæ essentiæ, per modum formalis similitudinis, illa esset Deus in esse repræsentativo, consequenter fit, quod cum id, ad quod attendit Logica in actibus, seu conceptibus formalibus, sit non ipsa tendentia ad repræsentandum (quæ quidem Physica, seu naturalis & realis est) sed id quod sunt in esse repræsentativo, attendat per consequens Logica ad ens rationis in præfatis actibus, quantumvis repræsentatio ipsa, seu tendentia actuum ad repræsentandum naturalis sit atque realis.

Quænam fuerit mens divi Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè huic nostræ sententiæ, quod quidem ex tribus colligo locis, quorum primus habetur *in* 1. *poster. lect.* 2. ubi sic habet: *Quia circa omnia quæ sunt, habet negotiari ratio, & est Logica de operationibus rationis; erit etiam Logica de his, quæ communia sunt omnibus, id est, de intentionibus rationis. quæ ad omnes res se habent*: hæc sanctus Doctor, ex quibus argumentor sic. Ex divo Thoma Logica est de intentionibus rationis, quæ ad omnes res se habent; Sed per hujusmodi intentiones rationis non aliud intelligendum venit ex eodem sancto Doctore, quam præfatum ens rationis, de quo supra: Ergo ex D. Thoma est Logica de præfato ente rationis; subindeque & illud habet pro objecto. *Probatur Minor*: ideo ex D. Thoma est Logica de præfatis intentionibus rationis, quæ scilicet ad omnes res se habent, quia est de operationibus rationis ex una parte, & ex altera habet ratio negotiari circa omnia, quæ sunt: Ergo est Logica ex D. Thoma de præfatis intentionibus rationis, tanquam de his, quæ negotiatur ratio circa omnia quæ sunt; Sed hæc quæ negotiatur ratio circa omnia quæ sunt, non aliud esse possunt, quam præfatum ens rationis de quo supra, cum talia nec

sunt

sint de his omnibus, quæ realiter sunt, utpote quæ circa illa sunt; nec sint de actibus rationis, cum ad eos potius consequantur; nec sint denominationes solum extrinsecæ, cum hæ non sint negotiatum quid, sed naturaliter resultent ex cognitione: Ergo per hujusmodi intentiones rationis, de quibus ex divo Thoma est Logica, non aliud ex eodem sancto Doctore intelligendum venit, quam præfatum ens rationis, de quo supra.

Alius verò locus ex quo hoc idem colligo est *in proœmio Ethicæ*, ubi habet: *Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, & signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ*; & paulo post: *ordo autem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam scilicet Logicam.* Hæc S. Doctor; ex quibus argumentor sic.

Ex divo Thoma ordo, quem ratio considerando facit in suo conceptu, ad ipsam pertinet Logicam, proindeque & ejus est objectum: Sed ordo ille non est, nec esse potest ens reale: Ergo ex divo Thoma ens, quod est objectum Logicæ, est ens rationis ut condistinctum contra ens reale. *Probatur Minor:* reale ens, hoc ipso quod tale, est, quantumvis non consideretur esse: Sed ordo ille, quem ratio considerando facit, non est nisi inquantum consideratur esse: Ergo ordo ille non est nec esse potest ens reale. *Probatur Minor*: quod in tantum fit, inquantum consideratur, intantum etiam est, inquantum consideratur esse, cum esse sit ipsum passivum fieri, sicut dici solet, quod conservatum esse, est ipsum continuatum fieri, seu produci: Sed ordo ille, quem ratio considerando facit, intantum fit, inquantum consideratur ut ex terminis patet: Ergo ordo ille quem ratio considerando facit, non est nisi inquantum consideratur esse.

Tertius denique locus, unde hoc idem colligo, *habetur in 4. Metaph. lect. 4.* ubi hæc habet S. Doctor: *Ens est duplex, scilicet, ens rationis, & ens naturæ, ens autem rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis sicut intentio generis, & speciei, & similium, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur, & hujusmodi scilicet ens rationis est propriè subjectum Logicæ.* Hæc Divus Thomas, quæ quidem clara adeo sunt ad intentum, ut nihil clarius, meo judicio, adduci possit, ut consideranti patebit.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Vtrum Logica sit simpliciter scientia.

PRÆMITTENDUM *primò*, non esse quæsiti sensum, an Logica sit ita scientia ut à se excludat rationem artis. Licet enim Philosophus enumerando virtutes intellectuales, condistinguat scientiam ab arte, pro certo tamen habetur & habendum est, quod si de facto condistinguat ibi virtutes intellectuales ab invicem, non loquatur ibi de quavis arte, sed de arte solum mechanica, cum mathematicæ, quæ sunt simpliciter scientiæ, verè tamen sint & annumerentur inter septem artes liberales, quia docent metiri & numerare, ut docet sanctus Thomas *opusc. 7. quæst. 6.* cujus quidem ratio est, quia licet ars, secundum quod denominat usum artis, seu regularum applicationem, non procedat modo resolutivo, & circa corruptibilia & contingentia versetur, ars tamen prout docet modum conficiendi aliquod opus, bene potest procedere resolutivo modo, ac circa necessaria & incorruptibilia versari; cum ibi non agat de singularibus operibus, sed naturam in communi operis conficiendi demonstret, ac doceat, adeoque procedit ibi, & procedere potest modo scientifico: non ergo quando inquiritur in titulo, utrum sit Logica simpliciter scientia, intentum aut sensus tituli est, an Logica taliter scientia sit, quod à se excludat rationem artis; sed potius an Logica, cum hoc quod habet, aut habere videtur rationē artis, tradendo, scilicet certa & determinata præcepta, ac regulas immutabiles, circa constructionem argumentationum, definitionum, &c. tanquam circa opus internum, cum hoc inquam adhuc dicenda sit verè & simpliciter scientia.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas resolvi debet, tria hæc esse apud omnes Philosophos receptissima, subindeq; & vim habitura principii, respectu conclusionis inferendæ, puta quod; *de omni scibili & sciendo detur scientia*: *quod habitus discursivus, qui per se est de universalibus, sit scientia simpliciter*: quod, *scientia sit habitus per demonstrationem acquisitus.*

Primo quidem de omni sciendo & scibili datur, seu dari debet scientia: scibile namque atque sciendum exposcit aliquid aliud, quo scilicet sciri possit & debeat; alias idem esset, quod scitur,

scitur, & quo scitur, quod quidem reperiri non potest in creatis, ubi scilicet id quod est, est semper aliud ab eo, quo est: modo sic est, quod illud, quo scitur, aut sciri potest scibile, non aliud est quam scientia: Ergo de omni sciendo & scibili necesse est, quod detur, seu dari debeat scientia.

Secundum autem principium est, quod habitus discursivus, qui per se est de universalibus est simpliciter scientia, sive scientificus; cujus quidem ratio est, quia cum materia, de qua est scientia simpliciter dicta, sint propositiones necessariæ & per se, de quibus scilicet haberi tantum potest cognitio certa & evidens, proindeque scientifica: illæ autem sint propositiones necessariæ & per se, in quibus essentialia prædicata vel propriæ passiones prædicantur: & talia prædicata esse non possint, nisi universalia, cum hoc ipso quod essentialia prædicata sunt, aut propriæ passiones, conveniant omnibus singularibus naturam, scilicet participantibus, cujus sunt prædicata, sequitur per consequens habitum artificialem, qui est per se loquendo de universalibus, versari circa propriam materiam scientiæ, subindeque dicendum esse simpliciter scientiam, sive habi-tum simpliciter scientificum.

Tertium denique principium est, quod scientia est habitus per demonstrationem acquisitus; cujus quidem ratio est, quia actualis scientia, humana scilicet & naturalis, de qua est ibi sermo, est & dicitur esse cognitio veritatis, parta per discursum certum, evidentem, ac necessarium; per hoc enim differt ab aliis cognitionum generibus, puta à scientia divina & Angelica, quæ non est discursiva, sed veluti simplex rei ut in se est, intuitus; nec non à fide & ab opinione; ut per se patet: cum ergo habitualis scientia sit habitus elicitivus actualis scientiæ, erit per consequens habitualis scientia, de qua ibi est sermo elicitivus habitus præfatæ cognitionis, partæ scilicet per discursum certum, evidentem & necessarium. Modo sic est, quod omnis acquisitus habitus, est acquisitus per actus similes iis, quos elicit, cum sit habitus quasi semen actus, seu ex actu relictum, ut in ejus absentia vices illius gerat, producendo similes actus: ergo acquiritur habitualis scientia per præfatum discursum, subindeque est habitus per demonstrationem acquisitus, cum sit præfatus discursus demonstratio, sive demonstrativus. His ergo præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, nimirum quod de omni sciendo & scibili detur scientia: quod habitus, qui per se est

 de

de universalibus. sit simpliciter scientia; & quod scientia sit habitus per demonstrationem acquisitus, jam pro quæsiti resolutione, nec non & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *Logica est simpliciter scientia.*

Probatur 1. conclusio ex primo præmisso principio *de omni sciendo & scibili datur scientia*: Ergo Logica est simpliciter loquendo scientia. *Probatur consequentia*: Illud quod consideratur à Logica est sciendum & scibile quid: ergo hoc ipso quod de omni sciendo & scibili datur scientia simpliciter, Logica est simpliciter scientia. *Probatur antecedens*: illud quod facit scire, non potest non esse sciendum & scibile quid; Sed quod principaliter consideratur à Logica, est demonstratio, seu syllogismus faciens scire: ergo quod consideratur à Logica, est sciendum & scibile quid. Minor est evidens. *Probatur Major*: illud de quo sciri oportet, quod facit scire, non potest non esse sciendum, & scibile quid; Sed de syllogismo, qui facit scire, sciri oportet quod facit scire; Ergo syllogismus qui facit scire, non potest non esse sciendum, & scibile quid. Major patet ex terminis. *Probatur Minor*: non potest aliquis scire se scire, nisi sciendo quod syllogismus, per quem scit, facit scire, ut per se patet: Sed ut aliquis sit perfecte sciens, oportet quod sciat se scire, cum oporteat, quod rationem sciat, propter quam scit: ergo de syllogismo, qui facit scire, sciri oportet, quod facit scire: ergo syllogismus, qui facit scire, non potest non esse sciendum & scibile quid: ergo quod cadit sub consideratione Logicæ est sciendum, & scibile quid: ergo hoc ipso quod de omni sciendo & scibili datur simpliciter scientia [quod est primum præmissum principium] hoc ipso Logica est simpliciter loquendo scientia.

Probatur secundò, ex secundo præmisso principio: *Habitus qui per se discurrit circa universalia est simpliciter scientificus*: Ergo Logica est simpliciter loquendo scientia. *Probatur consequentia*, Logica est per se primo de universalibus: ergo hoc ipso quod habitus per se discurrens circa universalia est simpliciter scientificus, Logica est hoc ipso simpliciter scientia. *Probatur antecedens*: habitus habens esse ex consideratione universalium, non potest non esse per se primò de universalibus; Sed Logica habet esse ex consideratione universalium: Ergo Logica est per se primo de universalibus. Minor patet: habitus namque definitur per ordinem ad id, ex

cujus

cujus consideratione habet esse, subindeque non potest non agere de illo per se primò. *Probatur Minor*: quod non agit de singularibus, nisi post considerationem universalium, habere debet esse ex consideratione universalium; sed non agit Logica de singularibus, nisi post considerationem universalium: Ergo Logica habet esse ex consideratione universalium. Minor constat: non enim Logica construit syllogismum in hac, vel illa materia singulari ex tribus propositionibus, nisi quia consideravit jam syllogismum ut sic, & in universali, constare necessariò tribus propositionibus; alias procederet cæco & ignaro modo in constructione syllogismorum, & aliorum rationis operum. *Probatur Major*: habitus ille discursivus, qui non agit de singularibus, nisi post considerationem universalium, habet esse, priusquam singularia consideret, sed in illo priori non considerat, nisi universalia: ergo habitus, qui non agit de singularibus, nisi post considerationem universalium habere debet esse ex consideratione universalium: ergo Logica habet esse ex consideratione universalium: ergo Logica est per se primò de universalibus: ergo hoc ipso quod discursivus habitus, qui est per se primò de universalibus, est scientia simpliciter dicta [quod est secundum præmissum principium] Logica est hoc ipso simpliciter scientia.

Probatur tertiò, ex tertio præmisso principio: *Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus*: Ergo Logica est, simpliciter loquendo, scientia. *Probatur consequentia*: per aliud non acquiritur habitus Logicæ, quam per demonstrationem: ergo hoc ipso quod scientia simpliciter dicta, est talis habitus taliter acquisitus; Logica est simpliciter scientia. *Probatur antecedens*: omnis qui acquiritur habitus, acquiritur per actus similes iis, quos elicit: sed Logica elicit actus demonstrativos: ergo Logica est habitus per demonstrationem acquisitus. Major admittitur ab omnibus: est enim habitus quasi semen actus, sive ex actu relictum, ut scilicet in ejus absentia vices illius gerat, producendo similes actus; ac proinde actus, per quos acquiritur, non possunt non esse similes iis quos elicit. *Probatur Minor*: non potest conclusio reduci ad principia indemonstrabilia nisi per actum demonstrativũ, cum hoc proprium sit demonstrationis, ut ex ejus definitione patet; Sed Logica plures reducit conclusiones ad principia indemonstrabilia, ut v. g. cum probat contradictorias propositiones esse non posse simul veras ex illo

principio : *quodlibet est vel non est* ; nec posse contrarias esse simul veras , quia essent hoc ipso contradictoriæ simul veræ : item syllogismum in *darii* recte concludere , quia perfecte salvatur in illo , *dici de omni* ; & sic de cæteris ; ergo elicit Logica actus demonstrativos : ergo Logica est habitus per demonstrationem acquisitus : ergo hoc ipso quod scientia simpliciter dicta est habitus per demonstrationem acquisitus (quod est tertium præmissum principium) est hoc ipso Logica simpliciter scientia.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Objicies primò, Scientia debet esse de necessariis , non tantum secundum essentiam ; sed etiam secundum existentiam ; sed Logica non est hujusmodi : ergo Logica non est simpliciter loquendo scientia. Minor est certa : Logica namque supponitur esse de syllogismo , definitione , & aliis hujusmodi intentionibus rationis , quæ quidem in fieri sunt à nobis libere operantibus , ac proinde necessaria non sunt secundum existentiam. *Probatur Major* : hoc ipso quod habitus , qui non est scientia , est de necessariis secundum essentiam , debet scientia de necessariis esse , etiam secundum existentiam ; sed habitus qui non est scientia , est de necessariis secundum essentiam : ergo debet scientia de necessariis esse , non tantum secundum essentiam , sed etiam secundum existentiam. Major per se patet ; cum enim scientiæ habitus petat esse de necessariis ; & hoc non petat habitus , qui scientia non est ; evidenter sequitur ea , de quibus est scientia , magis habitura de necessario , quam ea , de quibus est habitus , qui non est scientia. *Probatur Minor* : habitus artis mechanicæ est habitus , qui non est scientia ; sed ea , de quibus est , necessaria sunt secundum essentiã , artefactum enim v.g. calceus non minus necessarium est secundum prædicata sua essentialia , quam aliud quodvis secundum sua ; ergo habitus qui scientia non est , de necessariis est secundum essentiam.

Respondeo Negando majorem : sufficit namque ad objectum scientiæ, quod taliter necessarium sit, ut sit æternæ veritatis , ex eo scilicet , quod hoc ipso quod est æternæ veritatis , sit absolute loquendo , & non tantum ex suppositione cognoscibile certò ; cum igitur illud , quod est secundum essentiam necessarium , sit æternæ veritatis , ratione scili-

cet

cet connexionis essentialis, & indefectibilis, quæ reperitur tunc inter prædicata essentialia, aut proprias passiones: consequenter fit, præfatam quoad essentialia tantum, necessitatem sufficere ad objectum scientiæ. Ad probationem vero, distinguo majorem: hoc ipso quod habitus, qui non est scientia, est de necessariis secundum essentiam, debet habitus qui scientia est, esse de necessariis etiã secundum existentiam, si habitus ille, qui non est scientia, & qui supponitur esse de necessariis secundum essentiam, non sit scientia, defectu sufficientis necessitatis in illo de quo est; concedo majorem, quod scilicet tunc habitus, qui scientia est, debeat esse de objecto magis adhuc necessario, seu necessario secundum existentiam: si autem habitus ille scientia non sit, non quidem defectu necessitatis, sed magis ratione vilitatis objecti; nego. Non igitur habitus artis mechanicæ dicitur non esse scientia, ex eo quod ejus objectum non sufficienter necessariũ sit, ad terminandam cognitionem scientificam; artefactum enim, hoc ipso quod secundum prædicata essentialia necessarium est, habet quod sit secundum illa æternæ veritatis; subindeque quod de eo dari possit cognitio scientifica, si ejus natura, sive connexio prædicatorum essentialium cognosceretur, ac natura aliorum objectorum, de quibus est scientia: nihilominus, qui viliorum hujusmodi rerum scientia, sive cognitio scientifica, merito contemnitur: perinde ac in rebus physicis scientia de Musca, Pulice & aliis hujusmodi vilibus entibus, propterea fit quod de hujusmodi artefactis non detur scientia, non quidem defectu sufficientis necessitatis, sed potius ratione vilitatis. Unde sicut male argueret, qui inferret non dari scientiam de homine, quia non magis habet de necessitate, quam Musca, de qua quidem non datur scientia, ex eo scilicet quod hoc non sit, defectu sufficientis necessitatis in Musca, sed ratione vilitatis, ratione cujus meritò contemnitur cognitio illius naturæ, ita similiter infertur male non dari scientiam de syllogismo, & de aliis intentionibus rationis, quia non datur scientia de artefactis, quæ æquè necessaria sunt, ac præfatæ intentiones: quod enim de artefactis non detur scientia, hoc non est defectu sufficientis necessitatis, sed quia ratione vilitatis cognitio eorundem naturæ ac proprietatum contemnitur, qui quidem contemptus, cum ita non fiat de natura syllogismi, & aliarum rationis intentionum, ex eo scilicet quod eorum cognitio multum utilis est, &c. imò & necessaria ad acquisitionem aliarum scientiarum;

Nota.

tiarum: consequenter fit, quod de hujusmodi intentionibus rationis detur, & dari debeat scientia, quantumvis de artefactis communibus non detur.

Instabis: Syllogismus & aliæ hujusmodi rationis intentiones non sunt etiam secundum essentiam omnino necessariæ: Ergo & defectu necessitatis de illis dari non potest scientia; consequentia est evidens. *Probatur antecedens*: quod secundum essentiam ordinatum est ad finem contingentem, non est etiam secundum essentiam omnino necessarium: Sed syllogismus & aliæ hujusmodi rationis intentiones ordinantur ab essentia sua, ad finem contingentem: Ergo non sunt etiam secundum essentiam omnino necessariæ. Major videtur certa: tale namque quod ita ordinatur secundum essentiam ad finem contingentem, involvit in sui definitione contingens quid, cum definiatur per ordinem ad talem finem: subindeque & in essentiâ est quid contingens. *Probatur Minor*: syllogismus est medium essentialiter ordinatum ad acquisitionem aliarum scientiarum: Sed talis acquisitio fit contingenter: Ergo syllogismus est quid ab essentia ordinatum, ad finem contingentem.

Respondeo Negando antecedens: tam enim necessarium est, quod constet syllogismus tribus propositionibus; quod definitio constet ex genere & differentia, quam quod homo constet ex anima & corpore. Ad probationem autem nego majorem. Cum enim finis sit extrinsecum quid, respectu ejus, cujus est finis, non potest per consequens ex variatione sui, variare illud, cujus est finis in essentialibus atque intrinsecis, subindeque nec ex sui contingentia illud idem denominare essentialiter contingens. Neque urget quod in hujus probatione affert objiciens, nimirum quod tunc definitur tale quid essentialiter, per ordinem ad quid contingens, unde infert, quod in definitione involvit quid contingens, subindeque & in essentia: non inquam hoc urget, siquidem contingens illud in definitione non ponitur, nisi ut quid extrinsecum, subindeque non ponitur, nisi ut quid existens extra essentiam illius, in cujus definitione ponitur; ac proinde non debet talis essentia ex illius contingentia dici intrinsecè & essentialiter contingens: concedo igitur syllogismum esse medium essentialiter ordinatum ad acquisitionem aliarum scientiarum quæ contingenter fit, ex quo quidem inferri potest syllogismum esse contingens quid, secundum exi-

existentiam, inquantum scilicet existentia medii non est ut plurimum, nisi cum existentia finis præsente scilicet, vel futura: non tamen propterea inferri potest esse syllogismum contingens quid, secundum essentiam, tum ob rationem supra allatam, tum etiam, quia præfata scientiarum acquisitio, quantum est ex parte syllogismi ad eam essentialiter ordinati, sub ratione medii necessaria est & minime contingens, cum syllogismus puta demonstrativus sit de necessitate generativus scientiæ.

Objicies secundò, Non potest Logica esse scientia simpliciter, & non esse simpliciter loquendo cognoscitiva: Sed non est Logica simpliciter loquendo cognoscitiva: Ergo nec esse potest scientia loquendo simpliciter. Major per se patet: scire namque est tali modo cognoscere, certo scilicet & evidenter, ac proinde habitus, qui simpliciter loquendo cognoscitivus non est, cum potest simpliciter loquendo esse scientia. *Probatur Minor:* taliter cognoscitiva est Logica, qualiter cognoscibile est ejus objectum; Sed ens rationis quod est objectum Logicæ, non est simpliciter cognoscibile; Ergo neque Logica simpliciter cognoscitiva. Major constat, cognoscitivum enim non est, nisi rei cognoscibilis, subindeque & taliter cognoscitivum, supponit taliter cognoscibile. *Probatur Minor:* cognoscibilitas sequitur entitatem; Sed ens rationis non est simpliciter loquendo ens sed cum addito tantum, scilicet rationis: Ergo ens rationis non est simpliciter cognoscibile.

Respondeo Negando minorem primi, & secundi argumenti. Ad cujus probationem distinguo majorem: cognoscibilitas sequitur entitatem: si sermo sit de cognoscibilitate immediata, seu rei in se; Concedo Majorem: si autem sit sermo de cognoscibilitate mediata, seu in alio, sive cum alio; Nego Majorem: hæc enim non sequitur absolutè entitatem, sed ut connexam cum illo, ex quo, vel cum quo cognoscitur, ac proinde non debet talis cognoscibilitas commensurari cum entitate, cujus est cognoscibilitas, sed magis cum connexione, ad quam sequitur, quæ proinde si sit absolutè & simpliciter connexio, erit & cognoscibilitas absolutè, & simpliciter talis: patet hæc solutio in exemplo de Deo ut uno & trino, qui quidem, licet æquiparentur quoad rationem supernaturalis in cognoscibilitate immediata, differunt tamen in cognoscibilitate mediata, adeò ut Deus ut unus, sit naturali lumi-

lumine cognoscibilis, secus autem Deus ut trinus, propterea quod cognoscibilitas hæc commensuratur cum entitate, non absolute sumpta, sed prout cum alio connexa; & Deus unus, formaliter connexus est cum effectibus naturalibus, secus autem ut trinus. Modo sic est, quod cognoscibilitas, de qua agitur in præsenti, seu ad quam attendit Logica in ente rationis supponit, non pro immediata, sed mediata tantum cognoscibilitate; cum supponat pro ejusdem entis rationis cognoscibilitate, non in se, sed ut connexi cum proprietatibus, pro quibus, & in quibus demonstrandis & cognoscendis laborat Logica: non ergo ens rationis prout objectum Logicæ, est tantum secundum quid cognoscibile, quamvis sit tantum ens secundum quid, sed de facto ejus cognoscibilitas est simpliciter talis, sicut connexio quam habet cum propriis passionibus, est simpliciter talis, seu cum non minus sit connexum cum propriis passionibus, quam alia entia cum suis.

Instabis: Ideo ergo ens rationis est à Logica simpliciter cognoscibile, quia connexio, quam habet cum proprietatibus, & cum qua commensuratur cognoscibilitas, est simpliciter talis: Sed hoc est falsum; Ergo & falsum est, quod sit ens rationis simpliciter cognoscibile. *Probatur Minor*: connexio, quæ provenit ab extrinseco, non est simpliciter & absolutè talis; Sed connexio, quam habet ens rationis cum proprietatibus, provenit ab extrinseco, sive ab intellectu connectente: ergo non est talis connexio simpliciter dicenda connxeio Major patet: connexio namque, quæ solum est ab extrinseco, cum essentialis non sit, seu ab intrinseco, est consequenter solum accidentalis, agnoscitque hoc ipso majorem, atque ita non nisi secundum quid est connexio, & cum addito, scilicet ab extrinseco. *Probatur Minor*: ab eo habet ens rationis connexionem cum proprietatibus, à quo provenit, quod sint proprietates: Sed ab intellectu provenit quod sint proprietates; ergo & ab intellectu provenit, quod habeat ens rationis cum proprietatibus connexionem. Major patet ex terminis. *Probatur Minor*; quod non est, nisi in quantum cognoscitur esse, habet ab intellectu, quod sit: Sed proprietates entis rationis non sunt nisi in quantum cognoscuntur esse, cum hujusmodi proprietates sint ens rationis: ergo ab intellectu provenit, quod hujusmodi proprietates sint.

Respondeo Negando minorem primi, & secundi argumenti;

ti: ad tertium autem, distinguo Majorem: ab eo habet ens rationis connexionem cum proprietatibus, à quo provenit, quod sint proprietates, id est, à quo provenit quòd proprietates rationem proprietatum habeant, concedo: quod ab eo habeatur connexio, à quo provenit, quod sint proprietates, id est, à quo provenit, quod proprietates habeant esse sive existere, nego majorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Dico igitur quod propositio illa, in qua vim facit arguens: *Ab intellectu provenit, quod proprietates entis rationis sint*; duplicem patitur sensum. Primus qui occurrit sensus, iste est: ab intellectu provenit, quod proprietates entis rationis sint, id est, quod habeant rationem & quidditatem proprietatum. Secundus vero sensus esse potest; ab intellectu provenit quod proprietates entis rationis sint, id est, quod proprietates entis rationis, quæ ex propria quidditate supponuntur habere rationem proprietatum, sint, id est, habeant esse, sive existere: Notandum autem est, quod cum connexio, de qua agitur in præsenti inter ens rationis & ejus proprietates, proveniat ex ipsa ratione quidditativa proprietatum, seu ex eo quod habent rationem proprietatum illius, non autem ab earumdem existentia, propterea fit quod quando dicitur, quod ab eo habet ens rationis præfatam connexionem, ex quo provenit quod sint proprietates, non sit vera hæc propositio, nisi in primo sensu, non autem in secundo in quo ly, sint, supponit pro esse existentiæ non autem pro esse quidditative: Modo sic est quod ab intellectu provenit quidem, quod proprietates entis rationis sint in hoc secundo sensu, cum non existant, nisi in quantum cognoscuntur existere; minimè tamen ab intellectu provenit, quod tales proprietates rationem habeant, & quidditatem proprietatum, sed hoc provenit ex propria quidditate & natura, tum entis rationis, quod petit essentialiter tales habere proprietates; tum earumdem proprietatum, quæ petunt ex propria quidditate, esse proprietates talis entis: prædicabilitas enim v. g. sive de ea cogitet, sive non cogitet intellectus, taliter est, & esse petit proprietas universalis, ut esse non possit alterius, quam universalis proprietas: Ergo connexio, quam habet ens rationis cum proprietatibus non ab intrinseco tantum provenit, sive ab intellectu connectente, sed ab intrinseco, & ex propria quidditate.

Nota.

Objicies 3. Habitus de quo prædicatur simpliciter esse ars,

non potest esse simpliciter scientia; Sed de Logicâ prædicatur simpliciter esse ars: Ergo Logica non est simpliciter scientia. Major videtur certa, quantumvis enim scientia simpliciter possit esse similitudinariè ars, non video tamen, quo jure dici potest ars simpliciter, si est simpliciter aliud ab arte, scilicet scientia. *Probatur minor*: habitus, qui loquendo simpliciter, est infallibiliter directivus & regulativus, est simpliciter ars: Sed talis habitus Logicæ: Ergo Logica est simpliciter ars. Minor patet; Logica namque tradit certa & determinata præcepta, & immutabiles regulas circa constructionem argumentationum, definitionum, & hoc habet simpliciter loquendo. *Probatur major*: materia dirigibilis & regulabilis per certas & infallibiles regulas, est materia artis, prout ars est simpliciter; Sed habitus, qui loquendo simpliciter, est infallibiliter directivus & regulativus, talem habet materiam: Ergo talis habitus est simpliciter loquendo ars. Minor constat ex terminis. *Probatur major*: quod est materia artis prout à prudentia condistinguitur, est materia artis, prout ars est simpliciter: Sed materia regulabilis per certas & immutabiles regulas est materia artis, prout ars à prudentia condistinguitur, ut concedunt omnes; cum prudentia non aliâ de causâ dicatur dirigere consilio & non arte, nisi quia non habet certas & determinatas regulas, sed arbitrarias & prudentiales, juxta circumstantias occurrentes: Ergo materia regulabilis per certas & immutabiles regulas est materia artis prout ars est simpliciter.

Respondeo Negando majorem: cujus quidem negati rationem, ex duplici aut triplici deduco fundamento; primo quidem ex eo quod objectum artis, sicut & objectum scientiæ, est necessarium & universale, quantum ad essentiam & proprias passiones, subindeque & scibile est, sicut est istud; unde si de illo non datur scientia, non ex eo provenit, quod scibile non sit, sed quia non est sciendum, seu quia propter vilitatem non expedit sciri, atqui non repugnat dari artem aliquam, puta liberalem, cujus objectum sit sciendum, idque sciri expediat ob nobilitatem, vel ob utilitatem: Ergo non repugnat de eodem objecto, de quo est ars simpliciter, esse etiam simpliciter loquendo scientiam. Secundum autem fundamentum ex quo hoc idem colligo, ex eo petitur, quod ars non dicitur esse de singularibus & contingentibus, nisi ex ea parte applicationis ad opus, non autem ex parte regularum, quibus dirigit; illæ enim sunt certæ, determinatæ, & in

in universali traditæ; atqui secundum quod versatur circa præfatas regulas, seu regularum traditionem, est simpliciter scientia, cum non versetur circa illas ut plurimum, nisi scienter; & hæ sic certo & in universali traditæ, sint scibiles: Ergo non est inconveniens, quod idem habitus, de quo simpliciter prædicatur esse ars, possit esse simpliciter scientia; non ergo dicitur ars aliud à scientia, & contra scientiam condistingui, quasi non possit esse simul & scientia; sed quia potest non esse: sive non propterea dicitur aliud à scientia, quasi sit aliud exclusivè, sed quia est aliud permissivè; quatenus scilicet, sicut fieri potest, quod ars sit scientia, ita & fieri potest, quod ars non sit scientia, ut accidit in mechanicis, quæ quamvis scibilia sint, quia tamen ob vilitatem non sunt scienda, ars propterea quæ de illis est, taliter est ars; quod non sit scientia.

Instabis: Ubi adunantur duo aliqua, ibi quod est proprium uni, non est repugnans alteri; Sed quod est proprium arti, est repugnans scientiæ; Ergo scientia & ars non possunt simpliciter adunari in eodem habitu, ac proinde nec in Logicâ. Major patet ex terminis. *Probatur minor*: procedere ad objectum suum componendo est proprium arti; Sed repugnat scientiam ad objectum procedere componendo: Ergo quod est arti proprium, repugnat scientiæ. Major est certa, est enim arti proprium procedere ad objectum velut ad artefactum; artefactum autem, & arte compositum idem sonant; unde cum ad arte compositum non possit ars procedere, nisi componendo, ut patet ex terminis, consequenter fit, quod procedere ad objectum componendo, sit arti proprium. *Probatur minor*: illud cujus proprium est ad objectum procedere resolvendo, non potest ad idem procedere componendo; Sed proprium est scientiæ ad objectum procedere resolvendo: Ergo ei repugnat ad objectum procedere componendo. *Probatur minor*: procedere ad aliquid resolvendo, est illud reducere ad ea, ex quibus est; Sed taliter procedit scientia ad suum objectum; cum ad illud procedat scienter & scientificè, & scire, sit rem per causas, ex quibus est, cognoscere, quod quidem est ad ea, ex quibus est reducere: Ergo proprium est scientiæ ad objectum procedere resolvendo.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti. Ad tertium autem, quod in probationem affertur, distinguo majorem: habitus, cujus proprium est ad objectum procedere resolvendo; non potest ad idem procedere componendo,

si

si habitus ille non supponatur essentialiter regulativus, concedo: si autem habitus ille, qui sic procedit resolvendo, sit essentialiter regulativus & directivus, ut supponitur in praesenti, nego, quod procedendo resolutivè non possit etiam procedere componendo. Ratio autem hujus solutionis est, quia habitus ille, ex qua parte resolutivus est, resolvit certitudinem, & infallibilitatem regularum, de quibus est, & agit per se in hac suppositione, in suas causas & principia, ex quibus habetur praefata regularum infallibilitas & certitudo; sicque procedit resolvendo: & quia regularum certitudo essentialiter ordinatur ad applicationem, cum regula, hoc ipso quod talis, sit propter regulandum, consequenter fit quod habitus, qui essentialiter est regulativus, cum hoc, quod procedit resolvendo, possit ulterius procedere componendo, applicando scilicet regulas, de quarum certitudine & infallibilitate, certus supponitur per resolutionem: non ergo quod proprium est arti, est propterea repugnans scientiae, nec consequenter Logicae quod quidem ulterius ex eo patet, quod illud quod scientiae proprium est, scilicet modo procedere resolutivo non est propterea repugnans arti, cum arti non repugnet natura in communi operis conficiendi, & simul & semel conficiendi modum tradere & docere, quod quidem tradi & doceri non potest, nisi resolvendo, sive resolutivo modo, cum fieri non possit componendo.

Objicies 4. Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus: Sed Logica non est hujusmodi: Ergo non est simpliciter scientia. *Probatur minor:* habitus per demonstrationem acquisitus, non est elicitivus, nisi actuum demonstrativorum, seu demonstrantium: Sed Logica aliorum actuum elicitiva est, quam demonstrativorum: Ergo non est Logica habitus per demonstrationem acquisitus. Major est certa; non enim habitus ex repetitis actibus generatur, nisi ad hoc ut facile possit elicere similes actus, atque adeo & demonstrativos, si ex demonstrativis actibus fuit generatus, & acquisitus habitus. *Probatur minor:* actus ex topicis & probabilibus rationibus habiti, non sunt actus demonstrativi; Sed plures sunt actus & assensus in Logica topicis solum & probabilibus rationibus habiti, Ergo Logica aliorum actuum elicitiva est quàm demonstrativorum.

Respondeo Negando minorem, cujus quidem negati ratio habetur fusè in probationibus conclusionis, ad probationem vero, distinguo majorem, habitus per demonstrationem

nem acquisitus, non est elicitivus, nisi actuum demonstrativorum, loquendo de efficientiâ primò, & primariò facta, concedo: loquendo de actuum elicientia solum secundariò facta, nego; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Jam verò, quod habitus per demonstrationem acquisitus, possit secundariò elicere actus probabiles & non demonstrativos, ex triplici colligo ratione; primo quidem, quia in qualibet alia scientia, de qua controversia non est inter authores, an scientia sit, & consequenter per demonstrationem acquisita, aliqui etiam reperiuntur actus, sive assensus probabiles, & ad evidentiam & certitudinem non pervenientes; neque enim omnia, quæ noscit physicus de ente naturali, noscit sine ulla formidine & omninò evidenter; ergo non repugnat, quod habitus per demonstrationem acquisitus, eliciat secundariò actus probabiles, & non demonstrativos; secundo hoc idem colligo ex eo, quod habitui scientifico, & per demonstrationem acquisito, non repugnat modum demonstrare procedendi opinativè & probabiliter, seu eliciendi actus, seu assensus probabiles imo & falsos & apparentes: Ergo cum ex illo modo probabiliter procedendi ita demonstrato, possit sine difficultate procedi probabiliter, sive elici probabilis actus, potest per consequens idemmet habitus actus elicere probabiles secundariò. Tertiò demùm potest hoc colligi ex eo scilicet, quod actus probabiles possunt subesse eidem abstractioni à materia, & consequenter eidem rationi, sub qua, cui subsunt actus demonstrativi; abstractio namque à materia singulari v. g. quæ est ratio physicæ, sub qua, non minus afficit actum, quo probo aliquid probabiliter de corpore sive composito ut sic, quam actum quo aliquid de eodem demonstro: Sed quidquid cadit sub abstractionem à materia seu ratione sub qua alicujus scientiæ, potest ab ea attingi: Ergo non repugnat habitum aliquem per demonstrationem acquisitum extendere se ultra actus demonstrativos, & secundariò elicere actus probabiles & topicos.

Instabis Actus scientificus atque opinativus non possunt esse simul in eodem intellectu, de eodem objecto: Sed si habitus per demonstrationem acquisitus, posset secundariò elicere actus probabiles & topicos, hoc sequeretur: Ergo neque etiam secundariò potest habitus per demonstrationem acquisitus, probabiles & topicos actus elicere. Major est communis

apud

apud authores. Etenim assensus opinativus & solum probabilis dicit, seu causat in subjecto essentiente privationem illius certitudinis, quam in eodem subjecto causat assensus scientificus, cum dicat & causet in eo dubium, seu formidinem, an res aliter se habere possit; Ergo pro certo supponendum est, non posse reperiri simul assensum scientificum, atque opinativum de eodem. *Probatur minor*: hoc ipso quod demonstrativus habitus potest secundario elicere actum probabilem, potest illum elicere circa conclusionem, circa quam jam elicuit demonstrativum: Sed hoc est habere actum scientificum & opinativum de eodem: Ergo si habitus per demonstrationem acquisitus, posset secundariò elicere actus probabiles; posset assensus scientificus, atque opinativus simul haberi de eodem. Minor patet. *Probatur major*: medio, per quod habitus demonstrat conclusionem aliquam, potest adjungi medium probabile: Ergo hoc ipso quod demonstrativus habitus potest secundariò elicere actum probabilem, potest illum elicere circa conclusionem circa quam elicit demonstrativum.

Respondeo Negando minorem primi, necnon secundi argumenti, quantumvis supponatur hæc ab arguente tanquam per se patens. Supposito namque, quod per medium probabile probet habitus conclusionem aliquam, quam quidem per medium etiam demonstrativum probavit, tunc cum cognitione scientificâ per demonstrationem habitâ manet, non quidem ipsa cognitio opinativa, siquidem manere non potest cum formidine talis veritatis, & absque formidine non est essentialiter cognitio opinativa, sed manet ex medio illo probabili ipsa cognitio scientifica, cum majori extensione subjecti, quam si ad illam sola demonstratio concurreret: inquantum scilicet cognoscit, quod talis conclusio, quæ per demonstrationem attingitur, non solum habet necessariam connexionem cum causa, per quam demonstratur, sed probabilem etiam connexionem cum causa, seu cum medio, per quod scilicet probabili syllogismo probatur.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè huic nostræ sententiæ, quod quidem ex tribus colligo: primo quidem hoc colligo ex his, quæ habet, *opusc. 7. quæst. 5. art. 1. ad tertium*, ubi ait; *illa inter cæteras scientias dicuntur artes, quæ non solum*

lum habent cognitionem, sed etiam opus aliquod quod est immediate ipsius rationis, sicut syllogismum, hæc ille, ex quibus sic argumentor.

Qui reponit Logicam intra scientiarum numerum, ex ea etiam parte, ex qua videtur excludenda, ille sentit haud dubiè, dicendam esse simpliciter scientiam; Sed Divus Thomas ex verbis citatis reponit Logicam inter scientiarum numerum ex ea etiam parte, ex qua à tali numero videtur excludenda; Ergo sentit D. Thomas esse Logicam simpliciter loquendo scientiam. *Probatur minor*: si ex aliquo capite esset Logica excludenda à numero scientiarum, esset maxime ex illo capite, ex quo dicenda est, vel esset ars, sive conficiens aliquod opus; Sed Divus Thomas loco citato reponit Logicam intra scientiarum numerum ex illa etiam parte, ex qua ars dici debet, cum illam dicat artem inter cæteras scientias, subindeque & illam velit scientiam, hoc ipso quod artem; Ergo reponit Divus Thomas Logicam intra scientiarum numerum, ex ea etiam parte, ex qua à tali numero videtur excludenda, sive excluderetur, si excludi posset.

Secundus autem locus est *in 2, 2, quæst. 51. art. 2. ad 3.* ubi habet: *in speculativis alia rationalis scientia est dialectica*, ex quibus verbis arguo sic.

Qui Logicam dicit scientiam, sub ea ratione, qua scientia denominatur talis simpliciter, ille haud dubie sentit esse Logicam simpliciter loquendo scientiam; Sed in præfato loco appellat Divus Thomas Logicam, seu Dialecticam scientiam, sub ea ratione sub qua denominatur scientia talis simpliciter: Ergo sentit Divus Thomas esse Logicam simpliciter loquendo scientiam. *Probatur minor*: scientia denominatur talis simpliciter, quia speculativa, cum speculativum ex eodem Divo Thoma 2. *metaph. lect.* 2. in hoc consistat simpliciter loquendo, quod veritatem respicit ut sciatur: Sed Divus Thomas loco citato Logicam dicit scientiam, prout annumeratam inter speculativas: Ergo & Logicam dicit scientiam sub ea ratione, sub qua denominatur scientia talis simpliciter.

Tertius denique locus ex quo hoc idem colligo, habetur 2. 2. *quæst. 47. art. 2. ad 3.* ubi hæc habet sanctus Doctor: *datur ars speculativa, sed non speculativa prudentia, quia speculativa ratio quadam facit, puta syllogismum, propositionem, &c.* ex quibus verbis argumentor sic.

Ars

Ars illa speculativa, de qua ibi loquitur D. Thomas supponit ibi pro Logica, cum supponat pro arte, quæ facit syllogismum, & propositionem: Ergo ex divo Thoma non est Logica de illis artibus, quæ ex eodem 1. *Metaph. Lect.* 1. condistinguuntur contra rationem speculativi; Sed artes, quę condistinguuntur contra rationem speculativi, taliter artes sunt, ut scientiæ dici non debeant, cum non sint liberales artes, sed mechanicæ; Ergo ex Divo Thoma Logica taliter dici debet ars, quod tamen scientia sit dicenda.

QUÆSTIO III.

Vtrum Logica sit simpliciter speculativa, an practica.

PRÆMITTENDUM I. Pro quæsiti intelligentia, quod cum describi soleat speculatio actus intellectus, prout non ordinatus ad aliquid, extra genus intellectionis, & ab ipsa veritatis contemplatione distinctum; hinc quando inquiritur, utrum sit Logica simpliciter speculativa, sensus quæsiti est; utrum scilicet Logica ita versetur circa contemplationem sui objecti, ut nec ad opus aliquod extra genus ipsius contemplationis, & ab ipsa contemplatione distinctum ordinetur; adeo ut quamvis, utens est, modo procedat compositivo, introducendo scilicet formam in materia, id tamen non faciat, nisi in materia speculabili, & ita non amittat rationem habitus speculativi; è contra vero, quia praxis describi potest operatio, vel alia ab intellectione, vel certe ad aliud, quam ad intelligendum, seu extra genus intellectionis ordinata, & apta regulari per habitum practicum; ideo ubi inquiritur utrum sit Logica habitus simpliciter practicus, sensus quæsiti est, an scilicet, quæ regulantur per habitum Logicæ, sint vel aliud ab intellectione, vel si sint intellectio sive actus intellectus, ad aliud quam ad intelligendum, & contemplandum ordinentur, prout attinguntur à Logica: adeo ut sicut prudentia, etiam inquantum dictans speculationem, sive actum speculativæ scientiæ, esse bonum quoddam eligendum, dicitur practica, sive habitus practicus, quamvis versetur tunc circa speculationem, quia scilicet eam attingit, sub aliâ ratione, puta sub ratione eligendi boni, & bonum faciat

fiat speculantem: ita similiter, quamvis laboret Logica circa disponendos conceptus mentis, eos tamen prout ad aliud quid extra genus intellectionis & contemplationis ordinatos attingat, sicque dicatur practica.

Præmittendum secundò, Hæc tria receptissima esse apud Philosophos, subindeque vim habitura principii Philosophici respectu conclusionis inferendæ, puta: quod *sit Logica objective de modis sciendi*: quod *principale Logicæ opus sit constructio syllogismi*: quod *sit Logica per se loquendo de secundis intentionibus adjunctis primis*, primo quidem est Logica objective de modis sciendi: versatur namque Logica circa definitionem, divisionem, & argumentationem, tanquam circa objectum, quod quidem per se considerat; hæc autem tria sunt quidditative, & essentialiter modi sciendi, cum hoc ipso quod talia nobis de re qualibet manifestent, quam ignoramus, naturam scilicet, quam quidem manifestat per se definitio, partes, quas explicat divisio; & proprietates, vel alia hujusmodi, quæ scilicet manifestantur per argumentationem, quippe quæ ex natura vel naturæ partibus cognitis, infert talia vel talia ei competere accidentia: ergo est Logica objectivè de modis sciendi.

Secundum autem, quod similiter habendum est tanquam principium receptissimum, est, quod præcipuum & principale Logicæ opus est constructio syllogismi, ut enim docet Divus Thomas 1. *Perhi. lect.* 1. Omnes tres intellectûs operationes ita se habent, quod prima & secunda ordinantur ad tertiam, ut ad principalem, in qua quidem perficitur ratiocinatio & discursus: cum ergo Logica propriè & essentialiter sit rationis directiva, illud per consequens est opus ejus principale, ubi principalius invenitur ratiocinatio & discursus, cum certitudine & sine errore: contingit autem error ex defectu formæ, vel ex contingentia materiæ: Ergo præcipuum & principale Logicæ opus debet esse syllogismi constructio, in quo quidem, si consideretur ut sic & in communi, invenitur processus rationis sine errore ex parte formæ, si vero consideretur in materia tali, puta demonstrabili, invenitur præfatus rationis processus sine errore, tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ.

Tertium denique, quod etiam habendum est tanquam principium apud omnes Philosophos receptissimum, est, Logicam esse de secundis intentionibus, adjunctis primis; est enim extra controversiam, Logicam agere de aliquibus rationibus, (quas quidem volunt Thomistæ esse entia rationis)

quæ tribuuntur rebus ut cognitis, quales sunt rationes generis & speciei, prædicati & subjecti, similiumque aliarum intentionum: cum ergo præfatæ rationes sint secundæ intentiones, ex eo scilicet, quod cum non conveniant rebus, nisi ut cognitis, & conveniant per intellectum, sunt per consequens id, ad quod terminatur secunda intentio mentis, seu intellectus ut secundò cognoscens, sequitur evidenter, agere Logicam de secundis intentionibus; & quia de illis agit in concreto, prout scilicet denominant res, ut primo cognitas, quę propterea appellantur primæ intentiones, agit consequenter de secundis intentionibus Logica, adjunctis primis. Quod quidem ulterius suaderi potest ex eo scilicet, quod id omne de quo est Logica, in his tribus continetur, scilicet in prædicabilibus, quæ sunt modi prædicandi, in quibus distinguitur, subindeque & explicatur modus prædicandi essentialis & quidditativus, à modo accidentali vel qualificativo; deinde in decem prædicamentis, ad quæ tanquam decem classes, & summa genera, omnes reducuntur naturæ rerum, & earum gradus, atque essentialia & propria prædicata; & tandem in libris posteriorum, in quibus scilicet ex præfatis gradibus & prædicatis docentur formari propositiones necessariæ & per se, & fieri demonstrationes scientificæ; cum ergo talium consideratio sit consideratio secundarum intentionum, puta rationum prædicabilis & subjicibilis: generis, speciei, superioris, inferioris, antecedentis, consequentis, &c. sitque talium consideratio in primis intentionibus, sive in rebus & naturis, quas denominant, pro certo propterea habendum est, esse Logicam de secundis intentionibus adjunctis primis. His ergo præmissis tanquam certis, & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quęsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

Conclusio: *Logica est simpliciter speculativa, non autem practica.*

Probatur I. Ex primo adducto principio. *Logica est objectivè de modis sciendi*: Ergo est Logica simpliciter speculativa. *Probatur consequens*: hoc ipso quod nihil habet Logica extra genus speculationis est speculativa simpliciter: sed hoc ipso quod est objectivè de modis sciendi, nihil habet Logica extra genus speculationis: Ergo hoc ipso quod est objectivè de modis sciendi simpliciter speculativa. Major patet ex terminis, & colligitur ex præmissis. P*robatur minor*: quod nihil habet, quod per se non ordinetur ad speculandum, nihil habet extra genus

spe-

speculationis: Sed hoc ipso quod Logica est objective de modis sciendi, nihil habet quod per se non ordinetur ad speculandum; Ergo hoc ipso quod est objectivè de modis sciendi, nihil habet Logica extra genus speculationis. Major supponitur certa ex terminis. *Probatur minor*: ubi omne quod est, ordinatur per se, ut intellectus illuminetur, ibi nihil habetur, quod non ordinetur per se ad speculandum; Sed hoc ipso quod Logica est objectivè de modis sciendi, id omne de quo est, ordinatur per se, ut intellectus illuminetur: Ergo & hoc ipso id omne quod habet Logica ordinatur per se ad speculandum. Major supponitur certa ex terminis, necnon ex sequenti argumento. *Probatur minor*: modus sciendi est ex propria quidditate, manifestativus veritatis ignotæ: Ergo hoc ipso quod Logica est objectivè de modis sciendi illud, de quo est, ordinatur per se, ut manifesta fiat veritas: atqui illuminatur intellectus per hoc, quod manifesta fit ei veritas: Ergo hoc ipso quod est Logica objectivè de modis sciendi, nihil habet, quod per se non ordinetur ad speculandum: Ergo hoc ipso quod est objectivè de modis sciendi, nihil habet Logica extra genus speculationis: Ergo ex eo quod sit Logica objectivè de modis sciendi, (quod est primum præmissum principium) verificatur hoc ipso nostra conclusio, puta quod Logica est habitus simpliciter speculativus.

Probatur 2. Conclusio ex secundo adducto principio: *præcipuum & principale Logicæ opus est constructio syllogismi*: Ergo est Logica simpliciter speculativa *Probatur consequentia*: hoc ipso quod Logica suum principale opus construit, speculando, est hoc ipso simpliciter speculativa, Sed construit Logica suum principale opus, speculando, hoc ipso quod syllogismus est tale opus: Ergo hoc ipso quod opus principale Logicæ est syllogismus, est Logica simpliciter speculativa. Major supponitur certa ex terminis, *Probatur minor*: inferre est speculari, sive actus intellectus speculativi: Sed Logica syllogismum construit unum inferendo ex alio, sive ex aliis: Ergo Logica suum principale opus construit speculando, hoc ipso quod syllogismus est illud opus. Minor colligitur ex ipsa definitione syllogismi. *Probatur major*: & quidem duplici medio. 1. Inferre est tertia operatio: Ergo ejus est mentis, seu intellectus, cujus sunt aliæ duæ operationes: Sed aliæ duæ operationes, scilicet apprehendere & judicare, sunt intellectus speculativi, cum terminetur apprehendere ad rei naturam, & judicium ad veritatem rei, quæ quidem duo sunt propria speculationis objecta: Ergo in-

ferre est actus intellectus, prout speculativi, sicut unum cum alio conferre dicitur actus intellectus practici. 2. ejus est inferre unum ex alio, sive ex aliis, cujus est apprehendere naturam consequentiæ, aut consequentis: Sed apprehendere naturam consequentiæ & consequentis, non est, nisi intellectus speculativi; Ergo & inferre unum ex alio. Major est certa & patet ex terminis. *Probatur minor*: apprehensio quæ ad hoc tendit ut sciamus nos scire, est propriè intellectûs speculativi, ut concedunt omnes, & ut colligitur ex præmissis; Sed apprehensio naturæ consequentiæ & consequentis ad hoc unum tendit, ut sciamus nos scire, cum non nisi per eam & cum ea sciamus nos scire: ergo apprehensio naturæ consequentiæ & consequentis est intellectus tantum prout speculativi: Ergo & inferre unum ex alio, sive ex aliis, est actus intellectus speculativi: Ergo Logica construens syllogismum inferendo construit speculando: Ergo construit Logica suum principale opus speculando, hoc ipso quod syllogismus est illud opus: Ergo ex eo quod, & hoc ipso quod syllogismus est opus principale Logicæ (quod est secundum præmissum principium) sequitur Logicam esse simpliciter speculativam.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio: *Logica est per se de secundis intentionibus, adjunctis primis*: Ergo Logica est simpliciter speculativa. *Probatur consequentia*: hoc ipso quod non habet Logica, nisi materiam speculabilem, est hoc ipso simpliciter speculativa: Sed hoc ipso quod est de secundis intentionibus adjunctis primis, non habet, nisi materiam speculabilem: Ergo & est hoc ipso simpliciter speculativa. Maior patet ex terminis. *Probatur minor*: intentiones primæ, ut à secundis denominabiles aut denominandæ, non sunt, nisi materia speculabilis: Sed hoc ipso quod logica est de secundis intentionibus, adjunctis primis, non aliam habet materiam, quam primas intentiones, ut denominabiles à secundis: Ergo non habet hoc ipso nisi materiam speculabilem. Minor supponitur certa ex terminis. *Probatur major*: quod habet rationem materiæ per esse cognitum sic vel sic, habet tantum rationem materiæ speculabilis: Sed intentiones primæ habent denominari à secundis, per esse cognitas sic vel sic: Ergo intentiones primæ, prout denominabiles à secundis, non sunt, nisi materia speculabilis. Minor conceditur: & consideranti patebit. *Probatur major*: quod habet reddi tale per meram speculationem: est speculabile, hoc ipso quod tale; Sed per meram speculationem, terminatam scilicet

licet sic vel sic, redditur aliquid sic vel sic cognitum: Ergo quod est materia per se esse cognitum sic vel sic, est tantum materia speculabilis: Ergo intentiones primæ, ut à secundis denominabiles aut denominandæ, sunt materia tantum speculabilis: Ergo hoc ipso, quod est Logica de secundis intentionibus, adjunctis primis, non habet Logica, nisi materiam speculabilem: Ergo ex eo quod, & hoc ipso quod est Logica de secundis intentionibus, adjunctis primis, (quod est tertium præmissum principium) est hoc ipso Logica simpliciter speculativa.

Solvuntur objectiones.

Objicies I. Hoc ipso quod habitus aliquis est speculativus simpliciter, habet pro fine ultimo speculari: sed non habet Logica speculari pro fine ultimo: Ergo non est habitus simpliciter speculativus. *Probatur Minor*: qui speculatur propter aliud quid, non potest habere speculari pro fine ultimo: sed Logica speculatur propter aliud: Ergo non habet speculari pro fine ultimo. Major constat ex terminis, *Probatur Minor*: qui speculatur, ut dirigat, speculatur propter aliud: Sed Logica speculatur ut dirigat: speculatur enim regulas bonæ definitionis, divisionis, & argumentationis, ut postea intellectum dirigat in definiendo & argumentando: Ergo Logica speculatur propter aliud.

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti, cujus quidem negati ratio potest abunde colligi ex probationibus conclusionis. Ad tertium autem, juxta primum principium, suprà in probandâ conclusione expositum, Distinguo majorem sic: qui speculatur, ut dirigat, speculatur propter aliud, si directio illa non sit de modis sciendi, transeat: si autem directio illa sit, ut in præsenti supponitur, de modis sciendi, Nego; quod, qui speculatur, ut ita dirigat, speculetur propter aliud cum hoc ipso, quod directio illa est de modis sciendi, & ut habeantur modi sciendi, ad hoc tendat per consequens, ut ignota veritas mediis illis modis sciendi, ad quos habendos dirigit, intellectui manifestetur, in qua quidem manifestatione reperitur speculatio; & sic qui speculatur, ut ita dirigat, speculatur, ut speculetur, cum speculetur, ut dirigat, & dirigendo habeat, quo veritas ignota manifestetur.

Vel secundo juxta secundum principium distinguo majorem sic: qui speculatur ut dirigat, speculatur propter aliud, si di-

rectio illa, propter quam speculatur, non fiat inferendo, judicando, & apprehendendo, transeat: si autem fiat ita directio illa, nego: directio namque quæ fit vel inferendo, judicando, aut apprehendendo, fit per actum intellectus speculativi, ut demonstratum fuit, supra in secunda probatione conclusionis; subindeque cum per actum intellectus speculativi fieri non possit quid practicum, consequenter fit, quod directio illa quæ fit, vel inferendo, vel judicando, & apprehendendo, esse non possit quid practicum, & à speculatione aut speculabili condistinctum; atque ita & falsum, quod qui speculatur, ut ita dirigat, speculetur propter aliud: jam sic est quod Logica non habet dirigere, nisi inferendo, judicando vel apprehendendo cum dirigat in definiendo, proponendo intellectui objectum apprehensum, & sub ratione communi, sive generica, & sub ratione propriâ, seu differentiali, ut scilicet circa illud suum eliciat actum definientem: dirigat in dividendo, aut componendo, seu construendo propositiones, proponendo intellectui objectum ordinatum ad modum prædicati & subjecti; subindeque per actum judicativum attactum, ut circa illud ita propositum eliciat intellectus suum judicii actum, & tandem dirigat in argumentando, sive sylogisando, proponendo intellectui objectum ordinatum, ad modum antecedentis & consequentis; subindeque per actum illationis attactum; ut circa tale objectum ita propositum, intellectus sive aliæ scientiæ suum eliciant actum illativum: Ergo ex hoc quod speculetur Logica, ut dirigat, non propterea speculatur propter aliud ab ipsa speculatione aut speculabili condistinctum.

Instabis: Directio, qua dirigit Logica est extra genus speculationis, hoc ipso quod talis: Ergo hoc ipso quod speculatur Logica, ut dirigat, speculatur propter aliud. *Probatur antecedens*: artificiosa conceptuum dispositio est extra genus speculationis, hoc ipso quod talis; Sed directio illa Logicæ nihil aliud est, quam artificiosa conceptuum dispositio: Ergo directio illa Logicæ, hoc ipso quod directio est, est extra genus speculationis. *Probatur major*: omnis artificiosa dispositio est extra genus illius, cujus est artificiosa forma, seu dispositio: cum in hoc differat à naturali dispositione & formâ, quæ cum conflet unum per se, cum eo, cujus est forma, debet esse de genere illius; Sed conceptus, qui artificiosè disponuntur, sunt ex genere suo speculatio sive speculativi: Ergo artificiosa eorum dispositio debet esse extra genus speculationis.

Re-

Respondeo Negando minorem, cujus quidem negati ratio abundè colligitur ex dictis supra, quibus addi potest, quod non nisi ad fugandum ignorantiam habetur, vel adducitur hæc directio, quod minimè de ea dici posset, si esset extra speculationis genus; ad secundum vero, nego majorem, in qua scilicet dicitur, quod artificiosa conceptuum dispositio, inquantum talis, est extra speculationis genus: pro quo dico, quod si artificiosa hæc conceptuum dispositio, esset dispositio, & collocatio aliqua situalis & entitativa [ut nimis crassa imaginatione imaginantur hic plures ex adversariis] ad eum quasi modum, quo dicuntur lapides disponi, & collocari in domo; tunc certè dici deberet artificiosa hæc dispositio extra genus speculationis, siquidem præfata situalis collocatio habetur, & dicitur talis, non per hoc quod cognita, sed per hoc quod est absolutè, & simpliciter facta, & quidem per aliud quam per cognitionem, seu speculationem, ut per se patet: at quia nimis crassa est [ut jam dixi] hæc de præfata dispositione imaginatio, nec aliter dicuntur conceptus artificiosè dispositi [si sermo sit de objectivis] nisi quia objecta habent cognosci sic vel sic, ad modum scilicet superioris vel inferioris, universalis vel particularis, antecedentis & consequentis, & [si sermo sit de conceptibus formalibus] nisi quia habent attingere, seu repræsentare objecta sic vel sic ordinata, consequenter fit quod præfata conceptuum dispositio non supponat pro forma aliqua reali realiter, & per aliud à speculatione in conceptus inducta, cum non transcendat limites cognitionis, & quidem speculativæ, ut ex dictis patet, ac proinde falsum est, quod hæc artificiosa, & logicalis conceptuum dispositio sit extra genus speculationis. Ad tertium autem distinguo majorem sic; omnis artificiosa dispositio est extra genus illius, cujus est dispositio, si sermo sit de dispositione inducta realiter & reali, concedo: si autem sermo sit, ut de facto est in præsenti, de dispositione non reali, sed rationis, sed quæ ex ratione cognoscente surgit, nego; cujus quidem disparitatis ratio est, quia dispositio artificiosa realis & inducta realiter, respicit illud cujus est dispositio, in esse suo naturali, cum illud, secundum suum est reale & entitativum disponat; unde cum artificiosum & naturale non sint in eodem genere inquantum talia, ideo fit, quod omnis artificiosa dispositio, si realis sit, & realiter inducta, sit extra genus illius, cujus est dispositio: at vero dispositio artificiosa, quæ realis non est, sed rationis, cum non competat ei, quod disponit, secundum esse

Nota.

naturale, quod habet, sed praecisè secundum quod habet esse cognitum, in quo casu est initiativè, & fundamentaliter proximè ens rationis; consequenter fit, quod artificiosa dispositio, quae rationis est, non realis, non sit extra genus illius, cujus est dispositio.

Nota.

Objicies 2. Ideo dicitur Logica simpliciter speculativa, quia omne, quod tractat, est de materia speculabili; Sed haec ratio non sufficienter probat: Ergo non est dicendum Logicam esse simpliciter speculativam. *Probatur minor*: non probat haec ratio sufficienter, si detur actus habitus practici, qui de materiâ sit speculabili: Sed datur de facto talis actus: ergo praefata ratio non probat sufficienter Logicam esse simpliciter speculativam. *Probatur Minor*: actus, quo de facto dictat prudentia, esse aliquid hic & nunc speculandum, est actus habitus practici, cum sit actus prudentiae; Sed talis actus est de materia speculabili, cum terminetur ad speculationem: Ergo datur actus habitus practici, qui de materia sit speculabili.

Respondeo Negando minorem, cujus ratio in contrarium, colligitur sufficienter ex praemissis, ad probationem autem distinguo majorem: non probat sufficienter praefata ratio, si detur actus habitus practici, qui de materia sit speculabili, si talis actus sit de materia speculabili in eo, in quo speculabilis est, concedo; si autem sit in speculabili materiâ, in eo potius, in quo abstrahit à speculabili, nego: modo sic est, quod praefatus prudentiae actus, qui dictat hic & nunc esse aliquid cognoscendum, vel speculandum, non versatur circa materiam speculabilem formaliter in eo, in quo speculabilis est, sed magis in eo, in quo abstrahit à speculabili; cum non dictet modum ipsius substantiae speculationis, sed solum circumstantias loci & temporis ad speculandum, hic scilicet & nunc, quae quidem circumstantiae abstrahunt à ratione speculationis, suntque ejusdem rationis, sive in hac, sive in illâ materiâ: Ergo quantumvis detur actus habitus practici, qui sic versetur circa materiam speculabilem, adhuc tamen sufficienter probat praefata ratio esse Logicam simpliciter speculativam, ex eo scilicet, quod versetur Logica circa materiam speculabilem, etiam reduplicativè ut speculabilis est, dictando scilicet & docendo modum, quo fieri debet speculatio.

Instabis: Etiam de materiâ in eo, in quo speculabilis est, datur actus practicus: Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*: actus

actus dictans speculationem esse quoddam eligendum, est actus practicus; Sed talis actus versatur circa speculationem, ut speculatio est, cum versetur circa speculationem, secundum substantiam, quæ quidem secundum quod talis, est quoddam eligendum: Ergo etiam de materiâ in eo, in quo speculabilis est, datur actus practicus.

Respondeo Negando antecedens; ad cujus probationem nego minorem, vel claritatis gratiâ, distinguo sic; sed talis actus versatur circa speculationem tanquam circa objectum imperatum & volitum, concedo: tanquam circa actum elicitum & eliciendum, nego minorem; & consequentiam. Pro quo dico, quod ad hoc, ut dicatur actus vel habitus aliquis, versari circa materiam speculabilem in eo, in quo speculabilis est, non sufficit, quod versetur circa speculationem, tanquam circa objectum imperatum & volitum, quin immo ex hoc præcisè sequitur, quod sub alia, quam sub speculabili ratione, attingat, cum hoc ipso speculationem attingat, sub ratione boni, & prout est voluntatis, saltem objectivè: sed debet illam attingere, inquantum est actus elicitus, mediante quo attingat objectum speculabile: cum autem non ita attingat præfatus prudentiæ actus, benè quidem Logica, restat per consequens Logicam esse simpliciter speculativam, non practicam, nec ex hoc argumento vim infringi præcedentis responsionis.

Objicies 3. Habitus, qui est simpliciter, & non tantum similitudinariè ars, non potest esse simpliciter speculativus: Sed talis est habitus Logicæ; Ergo Logica esse non potest simpliciter speculativa. Minor constat ex dictis supra in articulo præcedenti, in quo scilicet evidenter ostensum fuit, esse Logicam simpliciter loquendo scientiam, nec tamen à se excludere ratione artis, etiam simpliciter dictæ: *Probat. Maj.* habitus non potest esse simul & speculativus simpliciter & simpliciter factivus; Sed habitus, qui est simpliciter loquendo ars, est simpliciter factivus; Ergo habitus, qui est simpliciter loquendo ars, non potest esse simpliciter speculativus. Major videtur certa ex terminis. *Probat. Minor*: habitus, qui est simpliciter loquendo ars, tendit simpliciter ad artefactum: Sed artefactum, ut in terminis sonat, supponit aut involvit artem factivam: Ergo habitus, qui est simpliciter loquendo ars, est etiam simpliciter factivus.

Respondeo, Non quidem negando minorem, ut respondent plures ex nostris: suppono namque, ut abundè probavi in articulo procedenti, bene stare hæc duo, & simul in eodem ha-

bitu compati, esse scientiam simpliciter & esse simpliciter loquendo artem, scilicet liberalem; subindeque quod Logica, etsi apud fere omnes Thomistas scientia sit simpliciter loquendo, adhuc tamen esse possit, nec non & debeat, ars simpliciter; & quamvis dicat divus Thomas, Logicam sicut & mathematicas scientias esse similitudinariè artes; non tamen propterea intendit negare eis simpliciter rationẽ artis (hanc enim habent, hoc ipso quod docent licet modo resolutivo, qualiter opus sit faciendũ, v.g. quomodo construi debeat syllogismus) sed solũ vocat illas Div. Thomas similitudinarie artes, in comparatione ad artes mechanicas, vel ut dicit Joannes à S. Thoma, vocat similitudinariè artes, ex parte materiæ dirigibilis, quæ cum sit in Logica internum & rationis, sicut in aliis liberalibus artibus, & consequenter minus servilis & minus subdita directioni & imperio, quàm in artibus mechanicis; nihilominus tamen ex parte rationis dirigentis sunt ejusdem rationis cum mechanicis artibus.

Data igitur & concessa illa minori, nego majorem, cujus quidem ratio est, quia ad artem, quæ talis est simpliciter loquendo, sufficit, quod in ea procedatur, per se loquendo, per certas & determinatas vias, sive regulas ad aliquid ordinandũ: atqui potest fieri talis processus, sive materia, in qua proceditur, sit speculabile, sive operabile quid: cum utraque materia sit regulabilis: Ergo cum processus in materia speculabili, arguat habitum simpliciter speculativum, sequitur evidenter dari posse habitum speculativum simpliciter, qui tamen sit ars simpliciter loquendo. Ad probationem verò dico, quod si ly factivum non sumatur rigorosè, prout condistinguitur contractivũ, sed per hoc intelligatur, ut intelligi debet in præsenti applicativum, constructivum; vel operativũ; neganda est major, quod scilicet non possit habitus esse simul speculativus simpliciter & factivus, sive applicativus & operis constructivus, ex eo scilicet, quod opus cujus est constructivus esse potest in materia speculabili, & conducere ad speculandum, ut de facto contingit in operibus Logicalibus & mathematicis, subindeque per hoc quod habitus est taliter factivus, seu constructivus operis, non propterea extrahi debet à ratione speculativi.

Instabis, Implicat aut saltem implicare videtur in terminis fieri & construi opera in materia speculabili: Ergo nulla responsio. *Probat. antecedens*, omne quod opus construit, procedit componendo: seu implicare videtur, quod procedatur in materia speculabili componendo: Ergo implicare videtur, fieri &

con-

construi opera in materia speculabili. Major patet ex terminis *Probatur Minor*: processus speculativus, hoc ipso quod talis, habet resolvere, non componere, cum hoc ipso quod talis, habeat veritatem discutere, quæ quidem non discutitur nisi per resolutionem, seu reductionem ad principia sua & suas partes: sed processus omnis, qui fit in materia speculabili est processus speculativus, ut per se patet: Ergo implicare videtur, quod procedatur in materia speculabili componendo.

Respond. Negando antecedens. Ad probationem verò distinguo minorem: sed implicare videtur, quod procedatur in materia speculabili componendo, compositione, quæ fiat per inductionem realis formæ in materiam, transeat; compositione, quę fiat per objecti cognitionem sub tali & tali ratione, nego: siquidem in hoc casu materia non habet formam suscipere, nisi per esse cognitam sic vel sic, adeoque cum habeat reddi talis per speculationem ad eam sic vel sic terminatam, consequenter fit, quod materia talis compositionis sit materia speculabilis, ut fusè ostensum fuit supra in tertia probatione; compositio autē, de qua in præsenti est sermo, sive quàm facit Logica sua construendo opera, est compositio in hoc secundo sensu, cum construat Logica definitionem, apprehendendo objectum, sub ratione communi & propria, sive proponendo intellectui objectum sub his duabus rationibus, ut circa illud suum eliciat actū definientem, repræsentando scilicet duas illas objecti rationes & sic de ceteris operibus logicalibus ut supra fusè exposuimus: Ergo quantumvis procedat Logica, in suis construendis operibus, componendo, adhuc tamen procedere potest, atque componere in materia speculabili. Dixi autem supra, *transeat*; non enim existimo ego verum esse, absolutè loquendo, quod compositio, quæ fit per inductionem realis formæ in materiam, sit semper & ubique extra materiam speculabilem; siquidem fieri potest, ut revera fit in scientiis mathematicis, quod talis compositio ulterius ordinetur ad quid speculabile, neque fiat ut sit facta, sed magis ut sit apta, seu aptum medium ad speculandum, ut contigit in astrolabiis quæ componunt scientiæ mathematicæ; in quo quidem casu nemo non videt, adhuc versari hanc compositionem in materia speculabili, cum adhuc habeat speculationem pro fine: subindeque & speculativum quid pro principio, cum inter principium & finem sit habitudo & proportio. *Nota.*

Objicies 4. Habitus speculativus simpliciter est in omnibus suis actibus speculativus: sed Logica non est in omnibus suis

suis actibus speculativa : Ergo non est ita simpliciter speculativa, quin simul & semel sit practica. *Probatur Minor*, non est Logica in omnibus suis actibus speculativa, si aliquando actus eliciat in materia non speculabili : sed hoc aliquando contingit in Logicâ : Ergo Logica non est in omnibus suis actibus speculativa. *Probatur Minor*, hoc ipso quod quis syllogismum conficit, ad demonstrandum, qualiter sit facienda domus, conficit in materia non speculabili : sed conficit beneficio Logicæ : Ergo Logica aliquando elicit actus in materia non speculabili.

Respondeo Negando minorem, cum enim practicum & speculativum, sint differentiæ essentiales scientiarum & habituum inferiorum, taliter quod in habitibus inferioribus practicum rationem excludat speculativi, & speculativum rationem practici ; ex eo scilicet, quod eodem modo de illis Philosophandum sit, ac de sensibus particularibus & inferioribus, in quibus, quia inferiores sunt, reperitur ratio propria unius specificativa, cum exclusione rationis specificativę alterius, licet hujusmodi rationes possint sine tali exclusione unius ab alterâ reperiri in aliqua potentia superiori, ut in sensu communi ; cum, inquam, practicum & speculativū sic se mutuo excludant in habitibus & scientiis inferioribus, & consequenter in Logica, quæ est scientia inferior, utpote ancillaria & ministerialis, hoc ipso quod est Logica simpliciter speculativa, non potest per consequens non esse speculativa in omnibus suis actibus, cum hoc ipso non possit esse simul practica, neganda ergo est illa minor, sicut & minor sequentis argumenti. Ad tertium verò, nego majorem; talis enim constructio syllogismi, qui conficitur ad demonstrandum, v. g. qualiter sit facienda domus talis inquam constructio syllogismi, cum ordinetur, non ad constructionem domus, sed ad cognitionem & contemplationem [& quidem modo resolutorio] naturæ domus & constructionis illius, versatur consequenter circa materiam speculabilem.

Instabis : Ideo ergo constructio illa syllogismi est adhuc in materiâ speculabili, quia ordinatur ad cognitionem demonstrativam naturæ domus : sed talis demonstrativa cognitio ulterius ordinatur, aut ordinari potest ad exercitium domus construendæ : Ergo constructio illa syllogismi ultimatè ordinatur ad praxim, sive ad aliquid non speculabile ; Sed omne id quod ad aliud ordinatur, sive quod aliud respicit, denominatur simpliciter ab eo, quod ultimatę respicit : Ergo constructio illa syllogismi absolutè & simpliciter loquendo, est de materia non speculabili.

Respondeo Distinguendo minorem: Sed talis demonstrativa cognitio alterius ordinatur aut ordinari potest ad exercitium domus construendæ, loquendo per accidens & ex fine operantis, concedo: loquendo per se & ex fine operis, nego: etenim quantum est ex parte operis sive syllogismi confecti ad demonstrandum qualiter sit facienda domus, finis illius intrinsecus non est alius, quam cognitio & contemplatio naturæ domus, ac constructionis illius: & quia quod quis actum vel habitum omnino speculativum & contemplativum, cujus scilicet finis est sui objecti contemplatio, ex sua intentione ad aliquod etiam exterius opus ordinet; & ordinare velit, non tollit à tali actu vel habitu rationem speculativi, eo quod scilicet extrinsecum quid nusquam potest aliud in suis intrinsecis variare; consequenter fit, quod constructio illa syllogismi adhuc sit actus speculativus, & sit simpliciter loquendo de materiâ speculabili; & si construens illum possit cognitionem per illum habitam ulterius ad exercitium construendæ domus ordinare.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam omnino favere præfatæ nostræ conclusioni: quod quidem colligo ex duobus aut tribus locis, quorum primus, ex quo duo ad intentum eruo argumenta, habetur *in* 1. 2. *quaest.* 57. *art.* 3. ubi habet, *Quod etiam in speculabilibus est aliquid per modum cujusdam operis, puta constructio syllogismi, aut opus numerandi, vel mensurandi, & ideo quæcumque ad hujusmodi operationes habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quamdam similitudinem artes.* Hæc divus Thomas ex quibus argumentor sic.

Hoc ipso quod non deperdit Logica rationem simpliciter speculativi habitus, constructione syllogismi, est omnino dicenda simpliciter speculativa. Sed ex divo Thoma ibi non deperdit Logica rationem simpliciter speculativi per syllogismi constructionem: Ergo ex divo Thoma debet dici Logica simpliciter speculativa. *Probatur Minor*: D. Thomas loco citato, pari modo & eadem verborum serie loquitur de syllogismi constructione, ac de opere numerandi vel mensurandi; Sed non deperdit habitus per opus mensurandi & numerandi rationem simpliciter speculativi, ut concedunt omnes, cum mathematicæ scientiæ, ad quas spectat hujusmodi opus, dicantur simpliciter speculativæ; Ergo nec deperdit ex D. Thoma habitus

bitus Logicæ rationem simpliciter speculativi constructione syllogismi.

Secundo non solum actum Logicæ, sed ipsum etiam habitum vocat D. Thomas speculativum; Sed in doctrina D. Thomæ scientia est unus tantum habitus, ut docet 1. 2. *q. 54. art. 4.* Ergo Logica ex D. Thoma est tantum speculativa. Sed non est ex eodem tantum speculativa per exclusionem practici secundum quid, sive similitudinariè sumpti, cum hoc admittat D. Thomas: Ergo est Logica speculativa tantum per exclusionem practici simpliciter sumpti, subindeque & est simpliciter speculativa ex D Thoma.

Alius vero locus ex quo hoc idem colligo habetur 2. 2. *q. 47. art. 2. ad tertium* ubi habet: *Datur ars speculativa, sed non speculativa prudentia, quia speculativa ratio quadam facit, puta, Syllogismum, propositionem, &c.* Hæc sanctus Doctor ex quibus argumentor sic.

Logica, de qua ibi loquitur divus Thomas, quæ scilicet syllogismum facit, est speculativa ad differentiam prudentiæ, quæ speculativa non est: Sed negans D. Thomas prudentiam speculativam, loquitur de speculativo simpliciter: Ergo & ibidem affirmans esse Logicam, ad differentiam prudentiæ, speculativam, intelligit de speculativo simpliciter. *Probatur Minor:* insipienter ageret, qui inquirens, in quo genere cognitionis ponatur prudentia, omisso genere simpliciter, diceret quod est in speculativo secundum quid; sic enim inexplicatum relinqueret, quod explicandum foret, in quo scilicet genere esse absolutè & simpliciter: Sed in præfato loco inquirit D. Thomas in quo genere cognitionis ponatur prudentia: Ergo negans esse speculativam, intelligere & intelligi debet de speculativo simpliciter.

QUÆSTIO IV.

Vtrum Logica docens & utens sint duo distincti realiter habitus.

PRÆMITTENDUM I. Pro intelligentia tituli, quod cum Logica non tantum tradat, præbeat, & explicet omnia logicalia præcepta, demonstrando vel probabiliter de illis concludendo,

dendo, quæ demonstrativè vel probabiliter solum attingi possunt, sed præterea præceptis traditis, dispositione syllogisticâ & definitionibus utatur, sive in propria materia: sive etiam in materia aliarum scientiarum: quod quidem dico, quia cum in physicâ, v. g. fit demonstratio, duplex ibi videtur concurrere habitus, habitus videlicet physicæ ad eliciendum conclusionis assensum, sicut & præmissarum, & habitus Logicæ, ad disponendum in modo & figurâ præmissas physicæ, ad inferendam conclusionem; meritò propterea dividitur Logica in docentem & utentem; & quidem non solum prout supponit Logica pro parte sua topica & probabili, ut aliqui existimãt, sed in tota sua latitudine accepta, sive prout partem etiam comprehendit demonstrativam; patet enim, quod secundum utramque partem Logica docet, & Logica utimur; neque minus utimur præceptis traditis demonstrativè à Logica, cum illa & in qualibet alia scientia demonstrativos syllogismos ad aliquid scientificè cognoscendum conficimus, quam utimur, cum probabiles & topicos syllogismos, & discursus ad aliquid probabiliter concludendum formamus; est ergo Logica in tota sua latitudine accepta, in docentem & utentem divisa & dividenda, quamquam, ut verum fateat, si ejus acciperetur usus strictiori & specialiori modo, quatenus scilicet ea utuntur aliæ scientiæ, non solum ab ea accipiendo definiendi & syllogisandi modum, sed prout etiam ab ea aliquando accipiunt principia aliqua, ex quibus suas deducant conclusiones, tunc Logica præcisè quantum ad partem topicam & probabilem in utentem & docentem dividenda esset, cum taliter præbere principia aliqua aliis scientiis, solum competat Logicæ secundum partem topicam & probabilem; & hoc est quod intendit D. Thomas per verba, quæ aliqui contrarium sentientes afferre solent *ex 4. metaph. lect. 4.* ubi ipsemet S. Doctor semetipsum explicat *opusc. 7. q. 6. art. 1.* hac ergo supposita divisione, sensus tituli, est utrum idem sit entitativè habitus Logicæ docentis & utentis, qui videlicet unus realiter & indivisus existens, regulas tradat, & principia logicalia, ac passiones de illis & de objecto demonstret; nec non & à quo eliciatur usus, quem præceptorum Logicæ in ipsa Logica, vel in aliqua scientia habemus; adeo ut in ordine ad tales diversos actus & diversa officia, non nisi distinctionem rationis ratiocinatæ, seu intellectus distinguentis cum fundamento in re, habeant inter se Logica utens & Logica docens; an vero sint duo de facto & distincti realiter habitus.

In quo sensu sit Logica docens & utens secundũ omnem sui partem.

Prætermittendum 2. Pro intelligentia principiorum, ad quæ conclu-

conclusionis veritas resolvi debet ; hæc tria esse apud omnes Philosophos receptissima , subindeque vim habitura principii philosophici,respectu conclusionis inferendæ; puta quod , *utens Logica utitur docente :* quod , *usus Logicæ est directivus :* quod, *Logica docens non est tantum doctrinam tradens,sed & usum docens.* Primo quidem utens Logica utitur docente, sive, quod in idem recidit, utitur ipsis Logicæ docentis principiis: si namque Logica utens alia applicaret principia,quæ ad docentem Logicam non pertinerent , seu quæ à docente Logica non essent tradita, jam non esset Logica illa utens tantum,sed esset & docens, utpote alia tradens principia, quæ non essent tradita,& sic dicerentur duæ docentes,non docens & utens, contra suppositionem factam : applicat ergo Logica utens in usu suo ipsa Logicæ docentis principia,sicque verificatum manet,quod utens Logica utitur docente

Secundum vero, quod etiam ut receptissimum habetur,est, quod usus Logicæ est directivus, sive quod,quando utitur Logica ministrando & applicando regulas definiendi & syllogisandi , ut ipsa vel aliæ scientiæ recte & sine errore in suis actibus procedant,quod, inquam,hoc non facit influendo & operando reale quid artificiosum in ipsis actibus, sed dirigendo solum , hoc est proponendo intellectui conceptus ipsos objectivos, circa quos debent scientiæ suos elicere actus,proponendo inquam intellectui hujusmodi conceptus objectivos ut ordinatos. Etenim sicut aliæ artes,quæ dirigunt inferiores , quæque vocantur propterea à philosophis architectonicæ,non habent dirigere,per hoc quod habeant pro objecto actus inferiorum artium, in quos influant , & imprimant reale quid, sed per hoc quod suum proponunt objectum inferioribus illis artibus, per cujus propositionem redduntur aliæ inferiores artes directæ in suis artibus , quo etiam modo lumen superioris angeli inferiorem illuminantis,explicando & proponendo objectum, ipsum illuminat : sic similiter, hoc ipso quod Logica proponit aliis scientiis conceptus objectivos , per intentiones Logicales ordinatos, sine alio reali influxu eas dirigit in suis actibus, utpote qui tendentes naturaliter, & naturaliter repræsentantes conceptus objectivos,sunt per consequens sufficienter ordinati à Logica,per hoc præcisè, quod eis proponuntur à Logica objecta ordinata circa quæ versentur : est ergo usus Logicæ præcise & rigorose directivus, sensu scilicet ibi exposito,

Tertium denique quod etiam ut receptissimum habendum est,habet,quod Logica docens non est tantum doctrinam tradens,

dens,sed & usum docens, usus namque, sive modus utendi ut cognitus, necessario præsupponi debet ad se ipsum, prout exercitum. Ergo ante sui exercitium præcognosci debet;sed nihil est ante ipsius exercitiū,à quo scilicet præcognosci possit præter Logicam, secundum quod est docens, cum ab ejus exercitio incipiat denominari Logica utens; Ergo Logica docens, hoc ipso quod est doctrinam, seu doctrinalia præcepta tradens habet,quod sit & usum,seu utendi modum præcognoscens, & consequenter docens, his ergo tribus suppositis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Logica docens & utens non sunt duo distincti realiter habitus,sed unus & idem entitativè.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio. *Vtens Logica utitur docente*: Ergo non est Logica utens, habitus realiter distinctus à Logica docente. *Probatur consequentia* hoc ipso quod utens Logica cognoscit scientificè, quæ alia docet, est hoc ipso unus & idem cum illa habitus: sed non potest uti docente, & non cognoscere scientificè ea quæ docet: Ergo hoc ipso quod utens Logica utitur docente, est unus cum illa & indistinctus realiter habitus. Major supponitur certa; alias distinctus habitus extenderetur ad scientificè cognoscendum objectum alterius; quod est falsissimum. *Probatur Minor*: non potest utens Logica uti docente,ad dirigendum scientificè, & non cognoscere scientificè ea,quæ docet: sed hoc ipso quod docente utitur,ea utitur ad dirigendum scientificè:Ergo non potest Logica uti docente,& non cognoscere scientificè ea quæ docet. Major supponitur certa ex terminis. *Probatur Minor*: usus alicujus scientifici ad dirigendum,non nisi ad dirigendum scientificè esse potest, sed hoc ipso quod utens logica utitur docente, utitur aliquo scientifico, ejus scilicet principiis scientificis ad intellectum dirigendum ut per se patet: Ergo hoc ipso quod utens Logica docente utitur, ea utitur ad dirigendum scientificè: Ergo hoc ipso quod utitur docente, cognoscere debet scientificè,quæ ista docet: Ergo hoc ipso quod Logica utens, utitur docente, [quod est primum præmissum principium] hoc ipso sequitur,utentem Logicam esse eundem realiter habitum cum docente.

Probatur 2. Conclusio ex secundo præmisso principio. *Vsus Logica est propriè & rigorosè directivus*: Ergo docens Logica est idem realiter habitus cum utente. *Probatur consequentia*, hoc

hoc ipso quod potest Logica docens idem quod utens, est hoc ipso idem realiter habitus cum utente, sed hoc ipso quod usus utentis Logicæ est rigorosè directivus, potest Logica docens idem quod utens: Ergo hoc ipso quod usus Logicæ est rigorosè directivus, Logica docens est idem habitus cum docente. Major patet ex terminis, alias multiplicarentur entia sine necessitate, cum fieret per duos habitus, quod posset fieri per unum. *Probatur Minor:* potest in hoc casu Logica docens idem quod utens, si potest usum habere directivum; sed potest usum habere directivum: Ergo casu quo usus utentis Logicæ est directivus, potest habitus Logicæ docentis idem quod utens. Major supponitur certa, cum id quod potest in hoc casu Logica utens, sit usum habere directivum. *Probatur Minor:* usum habere directivum est facere, quod actum eliciat intellectus ordinatum; sed hoc potest facere habitus Logicæ docentis: Ergo & potest usum habere directivum. Major per se patet. *Probatur Minor:* per hoc præcisè, quod intellectui proponitur ordinatum objectum, actum elicit ordinatum, cum naturaliter tendat ad objectum propositum, & illud naturaliter repræsentet ut jam dictum est: sed negari non potest, posse docentem Logicam proponere intellectui ordinatum objectum, ordinatum inquam per secundas intentiones; cum hoc ipso quod docet definitionem constare genere & differentia, v. g. possit objectum aliquod attingere, sub ratione generica & differentiali, & consequenter ordinatum: Ergo potest facere habitus Logicæ docentis, quod suum eliciat actum intellectus, circa ordinatum objectum: Ergo potest habitus ille docentis Logicæ usum habere directivum; Ergo hoc ipso quod usus utentis Logicæ est directivus, potest Logica docens seu habitus Logicæ docentis idem quod utens: Ergo hoc ipso quod usus Logicæ utentis est directivus (quod est secundum præmissum principium) sequitur hoc ipso utentem Logicam esse eundem realiter habitum cum docente.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio. *Logica docens non est tantum doctrinam tradens, sed & usum docens:* Ergo non est Logica utens novus & alius realiter habitus à docente: *Probatur consequentia:* novus habitus non requiritur, nisi ubi nova occurrit difficultas: sed hoc ipso quod Logica docens non est tantum doctrinam tradens, sed & usum docens, seu utendi modum, non occurrit ad utendum nova difficultas: Ergo hoc ipso quod est usum docens, non est Logica utens novus & alius ab ea realiter habitus. Major supponitur & conceditur

Proba-

Probatur Minor : non major adest difficultas ad utendum in materia inde terminata, quam in materia determinata: sed docens Logica, usum seu utendi modum docendo, de facto utitur in materia indeterminata : Ergo & hoc ipso quod usum docet, sine difficultate uti potest in materia determinata, sive in quacumque materia. Major supponitur certa, cum materia indeterminata, in qua fit usus, sit loco determinatæ supposita, adeoque qua facilitate fit usus in illa, eadem facilitate fieret & usus in ista, si apponeretur.

Probatur Minor : Non aliter docere solet Logica docens usum formæ syllogisticæ, seu doctrinæ de ea traditæ, quam exemplum apponendo in litteris alphabeticis, dicendo, v. g. *omne B est A*, ut supponitur; *sed omne C est B*, ut etiam supponitur : *Ergo omne C est A*: sed litteræ alphabeticæ sunt ibi materia indeterminata, seu loco determinatæ supposita : Ergo docens Logica usum, seu utendi modum docendo, de facto & sine difficultate utitur in materia indeterminata : Ergo hoc ipso quod Logica docens non est tantum doctrinam tradens, sed & usum docens, potest sine nova difficultate uti in quacumque materia. Ergo hoc ipso quod Logica docens non est tantum doctrinam tradens, sed & usum docens [quod est tertium præmissum principium] sequitur hoc ipso utentem Logicam esse realiter eundem habitum cum docente.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Si Logica docens & utens essent unus & idem habitus, quod incompatibile esset cum uno, esset etiam incompatibile cum altero : sed quod est incompatibile cum habitu Logicæ utentis, non propterea incompatibile est cum habitu Logicæ docentis : Ergo Logica docens & utens non sunt unus & idem habitus. Major per se patet. *Probatur Minor*: habitus erroneus circa usum Logicæ incompatibilis est, cum habitu Logicæ utentis, sed non est incompatibilis, cum habitu Logicæ docentis : Ergo quod incompatibile est cum uno, non propterea est incompatibile cum altero. Major supponitur certa sicut enim actus habitus erronei circa usum Logicæ non est compatibilis cum actu scientifico, circa eundem usum, ita nec consequenter habitus erroneus, cum ipso habitu scientifico Logicæ utentis. *Probatur Minor*: per actum erroneum generatur habitus erroneus, sicut per scientificum actum habitus scientificus; sed fieri potest, quod cum habitu Logicæ docentis

Videantur aliæ conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

erret aliquis circa usum: Ergo & habitus erroneus circa usum Logicæ stare potest, cum habitu Logicæ docentis.

Respondeo Distinguendo majorem si Logica docens & utens essent unus & idem habitus, quod incompatibile esset cum uno, esset etiam cum altero incompatibile, sumpto ly uno & ly altero adæquatè, & secundum omnem suam extensionem, concedo majorem: sumpto ly uno vel ly altero inadæquate, seu non sumpto, cum omni sua extensione, nego majorem. Similiter distinguo minorem: sed quod est incompatibile cum Logica utente, non est incompatibile cum Logica docente, sumpta ly Logica docente inadæquatè tantum, concedo, sumpta adæquatè, & pro omni sua extensione, nego minorem; & consequentiam pro quo dico, quod sicut habitus quilibet scientificus, si sumatur solum inadæquatè, prout scilicet dicit assensum scientificum, circa unam tantum conclusionem, potest tunc compati cum habitu erroneo, circa secundam de eodem objecto conclusionem, absq; eo quod adveniente deinde assensu scientifico, circa eandem secundam conclusionem & habitum circa illam erroneum excludente, novus propterea addatur & generetur habitus; quia scilicet quod cum primo assensu scientifico compateretur erroneus habitus circa secundam conclusionem, proveniebat illud ex eo, quod habitus per illum assensum generatus, nondum habeat omnem, quam potest habere extensionem, unde ulterius fit, quod per solam sui extensionem & applicationem, sine novo per consequens habitu, possit deinde excludere erroneum illum habitum: sic similiter, quamvis sumpta Logica inadæquatè solum, seu præcisè secundum quod est doctrinam tradens, possit cum ea erroneus compati habitus circa usum, ex eo scilicet, quod cũ eâ ita sumptâ possit quis errare in utendo, licet regulariter loquendo illud non fiat, nõ propterea sequitur quod alius sit habitus ab habitu utentis, nec quod per actum utentis, per quem deinde excluditur erroneus ille habitus, novus addatur & generetur habitus ex eo scilicet, quod, ut dictum fuit supra, hoc non ita contingit, nisi ex eo quod tunc habitus docentis non habet sumi nisi inadæquatè, loquendo non de substantiâ, sed de perfectione habitus, nec adhuc tunc habebat omnem, quam potest habere extensionem; ex quo ulterius fit, quod per solam sui extensionem, seu applicationem, sine novo per consequens habitu, possit deinde excludere erroneum illum habitum circa usum.

Nota.

Instabis: Extensio, hoc ipso quod talis: petit esse seu fieri supra

supra eandem, seu similem materiam, sed usus illæ Logicæ, medio quo excluditur erroneus ille habitus, non elicitur circa similem materiam Logicæ docentis: Ergo non habetur usus ille ex sola extensione habitus Logicæ docentis, ut intendit præfata responsio. Major supponitur certa cum enim in extensione sit eadem forma, aut quasi forma quæ extenditur, debet consequenter supponi eadem, seu similis materia supra quam fiat extensio. *Probatur Minor*; habitus Logicæ docentis, inquantum talis, versatur circa propriam & logicalem materiam, cum ut talis examinet principia, & proprietates sui objecti: Sed usus Logicæ est ut plurimum circa materiam aliarum scientiarum: Ergo usus ille Logicæ, medio quo excluditur erroneus ille habitus, non elicitur, aut potest non elici circa materiam eandem, seu similem Logicæ docentis.

Respondeo Negando minorem ad cujus probationem Distinguo minorem; sed usus Logicæ est ut plurimum circa materiam aliarum scientiarum, cum exclusione propriæ & logicalis materiæ, nego minorem: circa materiam aliarum scientiarum, prout subinducentem propriam Logicæ docentis materiam, concedo minorem; & nego consequentiam, sensus ergo solutionis est, quod quia non versatur usus ille Logicæ circa materiam aliarum scientiarum, nisi inquantum super eam applicat, quæ per se considerantur à Logica docente, principia, scilicet secundarum intentionum, quæ tradit & docet, consequenter fit, quod quamvis illud, circa quod materialiter versatur usus Logicæ, sit ut plurimum materia aliarum scientiarum, illud tamen, circa quod versatur formaliter; seu ratione cujus habet versari circa præfatam materiam, sit propria Logicæ docentis materia; ac proinde, cum sit ibi continuatio, sive extensio materiæ, debet per consequens esse & continuatio, sive extensio formæ, seu habitus, non autem variatio aut additio novi habitus per talem usum.

Objicies 2. Ea quæ non sunt unum specie, multo minus esse possunt unum & idem realiter: Sed Logica docens & utens non sunt unum specie, sive unius speciei: Ergo Logica docens & utens, non sunt, nec esse possunt realiter & entitativè unus & idem habitus. Major est certa, cum enim unitas realis sit unitas numerica, aut saltem eam involvat, & unitas numerica sit maxima unitatum, consequenter fit, quod ea, quæ non sunt unum specie, non possint esse unum realiter, cum id quod non habet minus in aliqua linea, sive unitatis sive cujusvis alterius, non possit in eadem linea habere majus, seu maxi-

 mum,

mum. *Probatur Minor* : quæ per se primo respiciunt distincta specie, esse non possunt unius speciei ; Sed Logica docens & Logica utens respiciunt per se primo distincta specie : Ergo non possunt esse unius speciei. Major est certa, cum ea quæ per se primo respiciunt specie distincta, habeant specificativa diversa, ex eo scilicet, quod unumquodque specificatur ab eo, quod per se primo respicit. *Probatur Minor* : res & usus rei non possunt non distingui specie, cum usus rei dici non possit res in recto, sed in obliquo tantum, subindeque nec habeat definitionem rei sibi communem : Sed Logica docens per se primo respicit rem, sive doctrinam, cujus Logica utens per se primo respicit usum : Ergo Logica docens & utens respiciunt per se primo specie diversa.

Respondeo Negando minorem: data scilicet non tamen concessa majori. Ad secundum vero nego similiter minorem. Ad tertium autem, in quo videtur sita vis argumenti; Respondeo primo negando majorem ; usus namque rei, cum sit aliquid rei, nec sit res ipsa, est per consequens aut saltem quasi est modus rei : unde cum modus rei inquantum talis non constituat genus aliquod, nec aliquam speciem, ut dicunt Philosophi, eo quod non sit completum ens, sed reducatur ad genus & speciem rei, cujus est modus, consequenter fit quod usus rei reducatur ad speciem rei, cujus est usus; sicque tantum abest, quod exinde inferri debeat specifica distinctio inter habitus Logicæ docentis & utentis, quin potius argumentum colligitur in contrarium, quod quidem sic construo. Ad eundem spectat habitum agere de re, & de modo rei, cum modus præcipuè in esse scibili reducatur ad speciem rei, cujus est modus : Sed doctrina Logicæ & doctrinæ usus, se habent ut res & modus rei, cum usus sit aliquid rei, nec tamen sit res ipsa, quod quidem est proprium modi : Ergo ad eundem spectat habitum doctrinam tradere logicalem, & uti doctrina saltem quantum est ex parte usus rei, & rei cujus est usus, vel

Respondeo 2. Distinguendo eandem majorem sic : res & usus rei non possunt non distingui specie loquendo in esse entis, transeat : loquendo in esse scibili, subdistinguo, si sub eadem abstractione à materia non attingantur, concedo ; secùs nego ; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, cujus quidem solutionis sensus est, quod sicut potentia visiva, v. g. ad plures colores in esse entis specie distinctos, absque aliqua formali sui diversitate terminatur, quia omnes prædicti colores

in

in ratione formali objecti visus, nullam prorsus formalem habent diversitatem; sic similiter, quia scientiæ, inquantum tales formaliter tendunt in sua objecta, sub ratione abstractionis à materia, cum in tantum aliquid est directe cognoscibile, inquantum est immateriale; propterea fit quod ab illis sub hac ratione acceptis, unitatem & distinctionem accipiant, formalem & specificam: quia igitur doctrina, quam tradit Logica docens, & usus illius, in eadem conveniunt abstractione à materia, cum doctrinæ usus sit ipsamet doctrina ut applicata, propterea fit, quod quantumcumque videantur distingui doctrina Logicæ, ejusque usus, non tamen sufficienter distinguantur in esse scibili, seu in esse objecti, ut inter docentem & utentem Logicam arguant diversitatem specificam & formalem. Porro dixi supra in principio responsionis [data sed non concessa majori] non enim reputo ego inconveniens, posse aliqua duo adunari entitativè & realiter, & tamen distingui quasi specificè, cum non repugnet fundari in eadem entitate respectus ad opposita, qui consequenter in tali entitate arguent virtualitates formaliter, & quasi specificè distinctas; quod quidem patet in actione & passione, quæ licet in eadem entitate motus entitativè & realiter adunentur, ratione tamen respectuum ad opposita, habent specificè imo & genericè ab invicem distingui.

Nota.

Instabis: Abstractio à materia ex genere suo est tantum triplex, puta à materia singulari, & hæc convenit physicis; à materia sensibili, seu sensibilibus accidentibus affecta, & hæc convenit mathematicis; & tandem ab omni materia, quæ quidem convenit Metaphysicis: Sed quæ respiciuntur à Logica docente & utente, distinguuntur ab illis omnibus; Ergo non respiciuntur, contra solutionem datam, sub una communi abstractione à materia, in qua adunentur.

Respondeo Ad majorem, quod quamvis abstractio à materia, ex prima sui divisione, sit tantum triplex, ex subdivisione tamen est quintuplex, in quo quidem quinario numero, una est abstractio, quæ logicalibus respondet. Etenim abstractio illa tertia, scilicet ab omni materia, alia est abstractio positiva ab omni materia, & hæc est quæ constituit objectum Metaphysicæ unum in esse scibilis & objecti, quia quamvis plura, de quibus agit Metaphysica, in materia realiter sint, illa tamen ut à Metaphysica attinguntur, positivè ab omni materia abstrahunt, cum attingantur sub præcisa ratio-

ne entis; alia vero est abstractio ab omni materia, quæ dicitur negativa; & hoc genere abstractionis dicuntur objectum Theologiæ, & Logicæ abstrahere ab omni materia, ex eo scilicet, quod in omni materia realiter non sunt; ad differentiam objecti metaphysicæ, quod cum secundum plura, quæ implicat, sit realiter in materia, ideo secundum quod à metaphysica attingitur, dicitur positivè à materia abstrahere. Neque propterea sequitur, quod conveniant Theologia & Logica in esse scibilis & objecti, quia negativè utraque abstrahit ab omni materia. Hæc enim negativa abstractio objecti à materiâ est duplex, alia quæ provenit ex summa perfectione & actualitate objecti, & talis est ea quæ dicitur abstrahere objectum Theologiæ, quod quidem, propter suam perfectionē & actualitatem summam est omnis materiæ & potentialitatis expers: alia autem est negativa abstractio, quæ potius ex objecti imperfectione provenit; & talis est ea, quæ dicitur abstrahere objectum Logicæ, quod quidem cum sit minimæ & minutissimæ entitatis, materiam non habet, sicque non propterea adunantur objectum Logicæ & Theologiæ, in ratione formali abstractionis à materia; nec consequenter in esse objecti aut scibilis.

Objicies 3. Si habitus utentis Logicæ esset idem realiter, cum habitu docentis esset etiam per actus solius docentis acquisitus; Sed per actus docentis Logicæ, ut tales, non potest habitus utentis Logicæ acquiri; Ergo non sunt unus & idem realiter habitus. Major est certa, cum enim habitus Logicæ docentis per solos illius actus acquiratur, per eos etiam, præcisè ut sunt docentis Logicæ, acquiri debet & habitus utentis, si supponantur unus & idem habitus. *Probatur Minor:* non aliter acquiritur habitus, quam per actus similes iis, quos producit; Sed actus, quos producit habitus Logicæ utentis, similes non sunt actibus Logicæ docentis: Ergo nec potest acquiri talis habitus per actus Logicæ docentis, in quantum tales.

Respondeo Negando minorem; cum enim per actus Logicæ docentis, talis acquiratur habitus, ut dictum fuit in probatione tertia conclusionis, qui sine difficultate uti possit ea, quā docet, doctrina in materia indeterminata, cum de facto sic ea utatur, utpote qui non est tantum doctrinam tradens, sed & usum docens; nec sit major difficultas ad utendum in materia determinata, ut ibidem dictum fuit, quam in materia indeterminata, consequenter fit, quod per actus docentis Logicæ sit acquisitus

tus habitus, qui possit de facili & sine difficultate usum elicere in omni materia, subindeque quod acquisitus sit & habitus Logicæ utentis. Ad probationem vero distiguo Majorem: non aliter acquiritur habitus quam per actus similes iis, quos producit; si sermo sit de acqusito habitu, quantum ad omnem sui perfectionem & extensionem, concedo: si autem sermo sit de acquisito habitu, solum quantum ad sui substantiam, nego Majorem, quod scilicet per eos tantum actus sit acquisitus, qui similes sunt iis, quos producit, seu quod non alios possit actus producere, quam eos, seu iis similes, per quos fuit acquisitus. Certum enim est apud omnes ferè Philosophos, quod habitus cujuslibet scientiæ, loquendo quantum ad substantiam & entitatem, acquiritur per primos, imo & per primum illum actum, per quem aliqua demonstratur conclusio de objecto, cum tunc quidditate objecti cognitâ non indigeat, nisi speciebus aliarum conclusionum repræsentativis, ut similiter eas de eodem objecto demonstret, & quidem sine difficultate: nihilominus certum etiam est, quod actus, quos deinde elicit adeptis hujusmodi speciebus repræsentativis, similes non sunt, saltem materialiter, primo illi actui, per quem fuit quantum ad substantiam acquisitus, & quod potest alios etiam actus elicere, ex eo scilicet, quod tunc perficitur & extenditur habitus. Unde nec mirati debemus, quod alios tunc possit producere actus, cum unumquodque plus possit, dum sic perfectum est, quam possit sumptum tantummodo essentialiter & substantialiter: sic ergo à pari, quamvis habitus Logicæ utentis sit, quantum ad substantiam productus, per actus Logicæ docentis, per quos scilicet fuit habitus Logicæ docentis, acquisitus, non tamen propterea sequitur, quod talis habitus ita acquisitus per actus Logicæ docentis, non nisi actus docentis Logicæ possit producere, cum adhuc stet, quod adhuc extendi possit ac perfici: & unumquodque in extensione & perfectione sua aliud & magis possit, quam inextensè seu mere essentialiter & substantialiter sumptum.

Instabis: Impossibile est quod aliter acquiratur habitus, etiam quantum ad substantiam, quam per actus similes iis, quos producit: Sed actus, quos producit Logica utens, similes non sunt iis, quos producit Logica docens, ut supponitur, & per se patet; Ergo contra solutionem datam, non potest habitus Logicæ utentis non tantum quoad perfectionem, sed neque quantum ad substantiam acquiri, per actus Logicæ do-

docentis. *Probatur Major*: habitus etiam, quantum ad substantiam, est habilitas quædam atque facilitas ad actus singulos, quos producit: Sed si alios produceret actus, quam eos, seu iis similes, per quos fuit acquisitus, non importaret talem habilitatem; atque facilitatem; Ergo impossibile est, quod habitus etiam quoad substantiam per alios acquiratur actus, quam per eos, seu iis similes, quos producit. Major conceditur ab omnibus. *Probatur Minor*: ideo importat habitus ad actus suos habilitatem, atque facilitatem, quia per repetitionem similium actuum fuit acquisitus: Sed si alios actus produceret, quam eos, seu iis similes, per quos fuit acquisitus, non haberet locum hæc repetitio, nec valeret hæc ratio ut patet: Ergo si alios actus produceret, quam eos seu iis similes, per quos fuit acquisitus, non esset habitus, ad actus suos singulos habilitas quædam, atque facilitas.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti. Ad tertium autem, in quo sita videtur difficultas, nego majorem, quod scilicet ideo tantum sit habitus ad actus suos singulos habilitas atque facilitas, quia non nisi per repetitionem similium actuum fuit acquisitus; alia namque est causa, & ratio præfatæ habilitatis, dicendo scilicet, ex eo etiam provenire habilitatem illam ad actus singulos, quia actus singuli talis sunt naturæ, quod unus non addit specialem difficultatem supra alterum; & hoc quidem patet evidenter in habitibus infusis, v. g. charitatis & spei; quamvis enim illi non fuerint per repetitionem similium actuum acquisiti, sunt tamen adhuc habilitas & facilitas ad actus singulos, ex eo scilicet, quod actus sperans gloriam corporis; v. g. non addit specialem difficultatem super actum sperantem gloriam animæ; quia igitur actus utentis Logicæ novam non addunt difficultatem super actus docentis Logicæ, ut abunde colligitur ex dictis supra, & præcipuè ex secunda probatione conclusionis, ubi scilicet ex principio illo, quod usus Logicæ est proprie directivus, evidenter ostensum fuit posse docentem Logicam omne quod utens, cum possit usum habere directivum, ex eo scilicet, quod potest intellectui proponere ordinatum objectum, circa quod suum absque errore actum eliciat intellectus, consequenter fit, quod quamvis habitus utentis Logicæ acquisitus non sit quoad substantiam, per repetitionem similium actuum, quos producit, ut utens est, adhuc tamen esse possit habilitas ad tales actus, ex eo scilicet: quod intellectui proponere objecta secundo intentionaliter ordinata, in quo consistit usus Logicæ,

utpote

utpote directivus, non effectivus, non addit specialem difficultatem super actus docentis Logicae, quae quidem habet attingere secundas illas intentiones, objecta ordinantes, & consequenter objecta per eas ordinata potest de facili attingere, subindeque & intellectui proponere: neque enim attingentia formae in concreto addit de parte formae specialem difficultatem super attingentiam ejusdem formae in abstracto, nec ad alium spectat habitum agere de forma in abstracto, & ad alium de forma in concreto, subindeque nec ad alium spectat habitum attingentia secundarum intentionum, objecta ordinantium, & ad alium attingentia, ac propositio objectorum per secundas intentiones ordinatorum, in qua quidem ultima attingentia & propositione consistit, ut dictum fuit, usus praefatus Logicae, utpote propriè & rigorosè directivus. *Nota.*

Objicies 4. Objecta, quae in esse objecti distincta sunt atque diversa, non possunt attingi per unum & eundem habitum; Sed objectum Logicae docentis non tantum in esse rei, sed etiam in esse objecti distinguitur ab objecto utentis: Ergo ad haec non sufficit idem entitativè habitus. Major supponitur certa: objectum enim consideratum in esse objecti, habet respici ab eo, cujus est objectum, ejusque terminare respectum, subindeque non potest in esse objecti esse diversum, nisi in quantum respicitur à diversis. *Probatur minor*: distingui aliqua in esse scibilis, idem est ac distingui in esse objecti; Sed objectum Logicae docentis distinguitur ab objecto utentis, in esse scibilis: Ergo & distinguitur in esse objecti. Major per se patet. *Probatur minor*: non major potest dari distinctio inter duo aliqua in aliqua ratione, quam ea, quae datur per habere, & non habere: Sed objectum Logicae docentis rationem habet scibilis, quam non habet objectum Logicae utentis, cum hoc sit usus quidam in actu exercito, & consequenter quid contingens, ut objectum est: Ergo objectum Logicae docentis distinguitur ab objecto utentis in esse scibilis.

Respondeo 1. Distinguendo majorem: objecta, quae in esse objecti distincta sunt, non possunt attingi per unum & eundem habitum, si taliter in esse objecti distincta sunt, quod nullum inter se ordinem servent, concedo majorem; si autem cum hoc, quod in esse objecti distincta sunt, servent inter se ordinem primarii & secundarii, nego majorem; siquidem ex ratione talis ordinis petunt ab uno & eodem attingi habitu; cum tunc ex aequo non attingantur, qualiter tamen attingerentur

rentur, si à diversis habitibus attingerentur: dato autem quod objectum Logicæ docentis, & objectum utentis aliqualiter distinguantur in esse objecti, cum hoc tamen stat, quod inter se præfatum servent ordinem primarii & secundarii, cum primo & primario intendatur cognitio objecti docentis Logicę quod quidem patet ex eo, quod hęc propter se intenditur; cum tamē usus non propter se eliciatur, sed propter aliud, eoque tendat, vel ut habeatur assensus scientificus de objecto Logicæ docentis, dum scilicet fit talis usus, sive constructio in propria materia Logicali, vel ut habeatur assensus scientificus de objecto aliarū scientiarum, dum scilicet per earum materiam vagatur. Neque huic pręfato ordini obstat pręfata distinctio objectorum, vel actuum in esse objecti, seu in rationibus formalibus: patet enim quod amor, desiderium, & gaudium sunt tria, seu actus tres formaliter, & in rationibus formalibus distincti, & nihilominus procedunt ordinatè, & inter se servant præfatum ordinem primarii & secundarii, ex quo ulterius fit, quod quamvis sint ita formaliter distincti, adhuc tamen ab eodem procedant habitu charitatis.

Respondeo 2. Negando minorem primi & secundi argumenti, cujus quidem negati ratio fuit supra, in responsione ad objectionem secundam abundè insinuata. Ad tertium autem nego minorem, nimirum quod non habeat objectum utentis Logicæ, seu Logicalis usus rationem scibilis, cum enim usus ille sit idem ex parte formę, & in materia probabili, & in materia demonstrativa: & in hac ultima materia, demonstrativa scilicet, fit scientificus; alias demonstrans non esset omnino certus de assensu conclusionis, cum non esset de eo scientificè certus, ex parte formæ; consequenter fit, quod utens Logica versando circa usum, versetur circa aliquid scibile, cùm de forma, qua utitur, sit certa certitudine scientifica. Addo quod usus ille seu constructio logicalis, dato quod in recto non esset scibilis, est tamen scibilis in obliquo, cum viam paret ad eliciendum assensum scientificum, sitque id medio quo ipsum cognoscitur scibile, adeoque cum scibile sit, si non absolutè (quod tamen gratis dico) saltem respectivè, non excludit per consequens rationem scibilis à suo conceptu sicque non potest dici, distingui ab objecto docentis Logicæ in ratione scibilis per habere & non habere.

Objicies Ultimo: habitus illi distinguuntur entitativè & realiter, quorum uno entitativè variato, alterum manet invariatum: sed variato entitative habitu Logicæ utentis, manet habitus

habitus docentis invariatus: ergo distinguuntur entitativè duo illi habitus. *Probatur minor*: variatur unumquodque entitativè, hoc ipso quod intenditur; Sed intenso habitu utentis Logicæ, non propterea intenditur habitus docentis: Ergo variato illo entitativè, manet iste invariatus. *Probatur minor*: sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis; Sed loquendo simpliciter, quando exercetur Logica utens, non propterea exercetur docens, quin imo cessat hęc exerceri, sive docere, quando incidit altera exerceri, seu uti; Ergo fieri potest, quod magis exerceatur Logica utens in utendo, nec propterea magis exerceatur docens in docendo; subindeque & quod intendatur illa, hac non intensâ.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti. Ad tertium autem. concessâ majori; Distinguo minorem; sed magis exercetur Logica utens, absque eo quod magis exerceatur docens, activè, concedo minorem; absque eo quod magis exerceatur Logica docens passivè, nego minorem, & consequentiam, pro cujus solutionis intelligentiâ notandum est, posse docentem Logicam exerceri, & consequenter magis exerceri dupliciter, activè scilicet, quando ipsamet suos elicit actus, & laborat in tradendis regulis, circa secundas intentiones, eisque tradendo demonstrandis; sed præter exercitium illud activum datur aliud, quo scilicet passivè exercetur, quod quidem accidit, quando per usum ejus ponuntur documenta in exercitio: licet autem possit exerceri, & magis exerceri Logica utens, absque eo quod exerceatur activè Logica docens, ut benè probat arguens, non tamen, absque eo quod exerceatur passivè, ex eo scilicet, quod tunc quæ activè tradidit documenta, passivè assumuntur, in quantum scilicet ponuntur & reducuntur in usum; cum ergo Logica docens non tantum habeat intendi & perfici per hoc, quod exercetur activè, seu per hoc quod plures elicit actus, sed per hoc etiam quod magis exercetur passivè, in quantum scilicet per exercitium illud passivum majus, magis tunc radicatur intellectus in cognitione Logicæ docentis, quatenus majori experientia discit, quod per Logicam docentem agnoverat, consequenter fit, quod intendatur Logicæ docentis habitus; hoc ipso quod per exercitium majus intenditur habitus utentis, cum in majori illo utentis exercitio reperiatur inclusum exercitium passivum docentis, per quod etiam, dum majus est, intenditur, ut dictum fuit, Logica docens. *Nota.*

Restat Igitur eundem realiter entitativè habitum sufficere

ad

ad actus Logicæ docentis & utentis, subindeque & illud omne, quod prædicatur de docente, v. g. posse similiter de utente prædicari, si nimium fiat & usurpetur prædicatio in sensu identico seu ex parte entitatis. Unde sicut vera est hæc propositio, entitas actionis est passio, & falsa ista, entitas actionis non est passio; licet hæc vera non sit, ut in terminis sonat, actio est passio ex eo scilicet, quod in hac ultima non fit sensus identicus & realis, sed formalis, seu exprimens formalitatem actionis & passionis, ita & vera est hæc: entitas Logicæ docentis est utens, vel habitus Logicæ utentis est docens, licet hæc falsa sit ut in terminis sonat, Logica docens est Logica utens, quia cum nulla fiat mentio de entitate, bene quidem de officio & munere, hunc facit aut faceret sensum, quod scilicet Logica docens, secundum rationem propriam & munus suum est Logica utens secundum suum, quod quidem est falsum. Est igitur una & eadem entitas, idemque habitus, qui duo illa exercet munera docentis scilicet & utentis; neque huic opponitur D. Thomas, ut quidam inconsultò existimarunt, dum 2.2. *quæst.* 41. *art.* 2. distinctum admittit habitum Eubuliæ, atque prudentiæ, quia illa ad consiliandum de opere, prudentia vero ad imperandum voluntati, circa usum operis ordinatur; hoc enim ideo verificatur in moralibus, quia cum sæpè, qui de opere faciendo rectè consiliatur & judicat, difficilis ad illud imperandum voluntati inveniatur, merito ad hanc vincendam difficultatem, distinctus à Synesi & Eubuliâ ponitur habitus prudentiæ: quia vero, ut sæpius demonstravimus, habens habitum Logicæ docentis, novam in ipso Logicæ usu difficultatem non invenit: ideo nec requirit ad talem usum distinctum realiter habitum.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thom. præfatæ favere sententiæ; quod quidem ex uno aut altero loco colligo, & 1. *ex 4. metaph. lect.* 4. ubi ait: *Quod Logica, secundum quod est docens, habet considerationem de istis intentionibus, instituens modum, quo per eas procedi possit probabiliter in singulis scientiis. Utens verò est, secundum quod modo instituto utitur, ad concludendum aliquid in singulis scientiis.* Hæc ille ex quibus argumentor sic.

Ex D. Thoma ibi conveniunt docens & utens Logica in principiis, cum utens sit ex D. Thoma, secundum quod mo-

do instituto utitur, cujusmodi institutione sit docens: Ergo difficultas occurrens, in cognoscendis principiis utentis Logicæ, fuit omnino evacuata & victa in Logica docente, cum in eâ supponantur scientificè cognita principia, quæ supponuntur eadem in utraque; Sed semel victa difficultate, in cognoscendis Logicæ utentis principiis non alia occurrit vincenda ex D. Thoma, in eorumdem applicatione; Ergo utens Logica novam non addit difficultatem, supra docentem; subindeque nec novus & distinctus est habitus. *Probatur subsumptum* ex eodem D. Thoma 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 4. perfectio artis, ad differentiam prudentiæ consistit in judicando, non in præcipiendo; Ergo perfectio utentis Logicæ consistit in judicando; sed non habetur perfectio habitus, quandiu alia restat vincenda difficultas; Ergo semel victa difficultate, judicando de Logicalibus principiis, non alia ex D. Thoma restat vincenda difficultas, ex parte utentis Logicæ.

Nota.

Alius vero locus, ex quo hoc idem colligo, est *ex 2. 2. quæst. 47. art. 2. ad 3.* ubi habet: *dari artem speculativam, quia speculativa ratio, quadam facit, puta syllogismum, propositionem, &c.* ex quibus verbis sic arguere licet.

Ars illa, de qua ibi loquitur D. Thomas, supponit pro unico habitu, cum per hoc quod est ars, & ars speculativa, restringatur ad esse unicum; Sed supponit pro docente Logica simul & utente: Ergo ex D. Thoma unus & idem est habitus docentis Logicæ & utentis. *Probatur minor*: Logica prout speculativa, est Logica docens ex eodem D. Thoma *in 4. metaph. lect.* 4. & secundum quod syllogismos construit & facit, est utens ex eodem: Sed ars illa speculativa, de qua in præfatis verbis loquitur D. Thomas, supponit pro Logica speculativa, & pro Logica, quæ syllogismos facit, Ergo supponit ars ille speculativa, de qua ibi loquitur D. Thomas, pro docente Logica, & utente.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Vtrum ad alias acquirendas scientias ita necessaria sit Logica ut sine ea haberi non possit assensus ullus essentialiter & substantialiter scientificus.

PRÆMITTENDUM I. Pro quæsiti intelligentiâ unum in præsenti supponi & aliud inquiri. Supponitur namque artificialem Logicam, de qua sola fuit sermo in decursu hujus libri, necessariam esse ad acquisitionem scientiarum quæ verè & substantialiter scientiæ sunt, necessariam, inquam, esse eâ necessitate, quæ communiter dicitur, ad melius & facilius esse, sine qua scilicet absolutè finis acquiri potest, melius tamen & facilius cum eo, quod ita necessarium dicitur consequimur, quam sine illo. Hoc igitur in præsenti supponimus tanquam certum: cum enim omnis scientia, si verè & substantialiter scientia sit, necessario per demonstrationem acquiratur, ut dicemus infra, & ut ex dictis supponimus; & demonstrationis natura melius, sine dubio prævia Logica artificiali, quam sine illa cognoscatur, melius per consequens & facilius acquiretur quælibet scientia cum Logica artificiali, quam sine illâ. Hoc ergo suppposito tanquam certo, jam quod in præsenti inquiritur, est, utrum eadem Logica sit præterea ita & taliter necessaria, ut nulla scientia, non tantum quoad facilius acquiri, non tantum quoad extensivam sui perfectionem, sive cognitionem, extendentem se & ad faciliores, & ad difficiliores conclusiones cognoscendas acquiri non possit sine Logicâ; sed nec etiam quantum ad perfectionem, & rationem essentialem & substantialem scientiæ, adeò ut ne quidem unius conclusionis assensum verè scientificum habere possit scientia aliqua sine Logica.

Præmittendum 2. Pro intelligentiâ principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, tria hæc esse apud omnes Philosophos receptissima, subindeque vim habitura principii, respectu conclusionis inferendæ, puta quod *assensus verè scientificus cognosci debet talis, ut talis sit*; quod *assensui scientifico subesse non potest falsum, etiam apparens*; & quod *assentiens scientificè ex assensu præmissarum convinci debet ad assentiendum*. Primo quidem assensus verè scientificus cognosci-

ei debet talis, ut talis sit: cum enim scire sit semper causam cognoscere, in tantum consequenter potest aliquis assensum præstare verè scientificum, inquantum illud, cui assentitur, cognoscit per causam; Sed non potest illud per causam cognoscere, quin cognoscat illud, per quod cognoscit causam esse; Ergo in tantum potest aliquis assensum præstare verè scientificum, inquantum cognoscit illud, propter quod assentitur alteri esse illius causam; atqui cognoscere quod illud, propter quod assentitur alteri, est illius causa, est cognoscere assensum esse scientificum, cum hoc ipso rationem possit reddere, cur sit scientificus, ut per se patet: Ergo in tantum assensus aliquis est verè scientificus, inquantum cognoscitur talis.

Secundum vero, quod etiam habetur ut receptissimum, est, quod assensui scientifico subesse non potest falsum, etiam apparens; cujus quidem ratio est, quia assensus scientificus nec est, nec esse potest formidolosus, cum per hoc condistinguatur ab opinativo; jam sic est, quod falsum apparens formidinem & dubitationem causat in eo, respectu cujus est falsum apparens, cum falsum apparens tale non sit, nisi respectu illius, cui non apparet ratio, cur revera falsum non sit, bene quidem, cur falsum sit ut ex terminis patet; & respectu illius non possit non causare formidinem & dubitationem, ut per se patet: Ergo assensus verè scientificus, cum nec sit nec esse possit formidolosus, debet esse talis, cui non possit subesse falsum etiam apparens, seu, quod in idem redit, esse debet de aliquo, quod licet possit apparere falsum respectu alterius, qui de eo non habet assensum verè scientificum, minimè tamen respectu illius, qui ei ita assentitur scientificè.

Tertium denique quod similiter apud omnes receptum est, habet, quod assentiens scientificè ex assensu præmissarum, convinci debet ad assentiendum; & ratio hujus est, quia assensus omnis scientificus non est nisi de duobus adunandis inter se, ex vi unionis eorundem cum uno tertio, cum sit de duorum extremorum adunatione, ut ex alio conclusa, nec aliud sit ex quo præfata extremorum adunatio concludi possit, præter eorumdem adunationem cum aliquo tertio in quo quidem virtualiter & implicitè relucet eorumdem extremorum unio inter se: modo sic est quod assentiri unioni duorum inter se, ex vi unionis eorumdem cum uno tertio, est ex assensu præmissarum convinci, ad alteri assentiendum, cum unio cujuslibet extremi cum tertio, quæ quidem convincit ad eorumdem inter

inter se unioni assentiendum, unam faciat præmissam: Ergo assentiens scientificè ex assensu præmissarum convinci debet ad assentiendum. His ergo tribus suppositis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis; jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *ad alias acquirendas scientias ita simpliciter necessaria est Logica, ut nullus sine eâ haberi possit assensus verè & substantialiter scientificus.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio: *assensus verè scientificus cognosci debet talis ut talis sit*: Ergo non potest sine Logica haberi talis assensus. *Probatur consequentia*: non potest sine Logica cognosci assensus esse scientificos; Ergo hoc ipso quod assensus scientificus cognosci debet talis, ut talis sit; non potest sine Logica haberi talis assensus. Consequentia est evidens. *Probatur antecedens*: intantum cognoscitur assensus esse scientificus, inquantum cognoscitur, quod illud per quod est, facit scire; Sed non potest illud cognosci sine Logica: Ergo nec Logicâ cognosci potest assensus esse scientificos. Major supponitur certa ex terminis. *Probatur minor*: facere scire, est syllogismi demonstrativi proprietas, secundum quod demonstrativus est; sed non potest sine Logica cognosci hujusmodi proprietas: Ergo nec potest sine Logica cognosci, quod illud, sive syllogismus ille, per quem est assensus scientificus, facit scire. Major supponitur & conceditur. *Probatur minor*: illud, ex cujus cognitione constituitur Logica, seu logicalis scientia haud dubiè cognosci non potest sine Logica, ut ex terminis patet: Sed ex cognitione proprietatis syllogismi demonstrativi constituitur Logica; cum ex tali cognitione utpote demonstrativa (qualis esse solet cognitio quævis certa proprietatum) constituatur scientia aliqua, & illa esse non possit alia, quam Logica, seu logicalis, ut per se patet: Ergo non potest sine Logica cognosci syllogismi demonstrativi proprietas: Ergo sine Logica cognosci non potest, quod syllogismus assensum causans scientificum, faciat scire: Ergo nec sine Logica cognosci potest, assensum scientificum esse vere talem: Ergo hoc ipso quod assensus verè scientificus cognosci debet talis, ut talis sit, non potest sine Logicâ esse assensus verè scientificus.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *Assensui scientifico subesse non potest falsum etiam apparens*: Ergo non potest sine Logica haberi talis assensus. *Probatur consequentia*: assensus scientificus potest, seclusâ Logicâ, esse apparenter falsus: Ergo

Ergo hoc ipso quod assensui scientifico subesse non potest falsum etiam apparens, non potest sine Logica haberi talis assensus. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* : illud, contra quod concludit syllogismus apparens, est apparenter falsum; Sed potest seclusâ Logicâ, concludere syllogismus apparens contra assensum scientificum : Ergo potest assensus scientificus esse apparenter falsus, seclusâ Logicâ. Major supponitur certa ex terminis. *Probatur minor* : respectu illius datur syllogismus apparenter concludens, respectu cujus non apparet, in quo peccet; Sed respectu assentientis scientificè, non apparet seclusâ Logicâ, in quo peccet syllogismus, contra concludens : Ergo contra assensum scientificum potest, seclusâ Logicâ, concludere syllogismus apparens. Major patet ex terminis. *Probatur minor* : potest peccare syllogismus, vel variatione proprietatum terminorum, ut suppositionis, appellationis, &c. vel ex non servatis regulis figurarum, pro distributione medii : Sed non potest seclusâ Logicâ apparere assentienti, quandonam hæc contingant, cum in his & similibus docendis tota ferè sit Logica: ergo respectu assentientis scientificè, non apparet seclusâ Logicâ, in quo peccet syllogismus contra concludens: Ergo contra assensum scientificum, sive scientificè assentientem, potest seclusâ Logicâ concludere syllogismus apparens: Ergo assensus scientificus potest seclusâ Logica esse apparenter falsus: Ergo hoc ipso quod assensui scientifico subesse non potest falsum etiam apparens (quod est secundum præmissum principium) non potest seclusâ Logicâ haberi talis assensus.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio : *assentiens scientificè, ex assensu præmissarum, convinci debet ad assentiendum* : Ergo non potest sine Logica assensus haberi scientificus. *Probatur consequentia*: assentiens scientificè, non potest sine Logica assentiri præmissis, ut convincentibus; Ergo hoc ipso quod ex assensu præmissarum convinci debet ad assentiendum scientificè, non potest sine Logica haberi assensus scientificus. Consequentia est evidens. *Probatur antecedens*: impossibile est assentiri intellectum præmissis, ut convincentibus, & non cognoscere, ex quo sunt convincentes; Sed sine Logica cognoscere non potest, ex quo sunt convincentes: Ergo nec potest sine Logica assentiri præmissis, ut convincentibus. Major certa supponitur ex terminis. *Probatur minor*: intantum præmissæ aliquæ sunt convincentes, inquantum sunt propositiones per se ; Sed cognosci non potest sine

Logica eas esse propositiones per se; Ergo neque sine Logica potest cognosci id, ex quo sunt convincentes. Major supponitur certa, præmissæ namque intantum sunt convincentes ad assensum conclusionis, seu unionis extremorum inter se, inquantum habet includere unionem necessariam extremorum cum uno medio, subindeque & inquantum sunt propositiones per se. *Probatur minor*: non cognitis modis dicendi per se, cognosci non possunt præmissæ aliquæ esse propositiones per se; Sed modi docendi per se cognosci non possunt sine Logica: Ergo nec sine Logica cognosci potest, præmissas aliquas esse propositiones per se. *major patet* ex terminis: *Probatur minor*: quod habet cum omnibus ferè logicalibus connexionem, non potest illud cognosci sine Logica: sed doctrina de modis dicendi, per se, habet connexionem cum omnibus ferè materiis logicalibus, cum ad duos primos explicandos, in quibus scilicet vel prædicatum est de definitione subjecti, ut in primo, vel subjectum est de definitione prædicati, ut in secundo, in quo scilicet prædicatur proprietas de essentia, præmitti debet notitia prædicabilium & prædicamentorum, in quibus scilicet gradus essentiales, & proprii, sive accidentales exponi solent: Ergo modi dicendi per se cognosci non possunt sine Logicâ; Ergo sine Logicâ cognosci nequit præmissas aliquas esse propositiones per se; Ergo nec potest cognosci sine Logica id, ex quo præmissæ sunt convincentes; Ergo assentiens scientificè non potest sine Logicâ assentiri præmissis, ut convincentibus: Ergo hoc ipso quod assentiens scientificè ex assensu præmissarum, convinci debet ad assentiendum (quod est tertium præmissum principium) non potest quis sine Logica scientificè assentiri.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Objicies 1. Si esset Logica ita necessaria simpliciter ad assensum habendum scientificum, esset homo naturaliter inclinans ad habendam Logicam; Sed dici non potest, quod ita naturaliter inclinet homo ad Logicam: Ergo nec dici potest, quod sit Logica ita simpliciter necessaria ad assensum habendum scientificum. Major est certissima, cum enim homo naturaliter inclinet ad assensum, sive assensus habendos scientificos juxta illud *Omnis homo naturaliter scire desiderat*, & similis, imò & eadem sit inclinatio ad finem & ad medium, conducens ad finem, quando scilicet est simpliciter necessarium, consequenter

quenter fit, quod si logica sit ita simpliciter necessaria, quod homo ad eam, sicut & ad assensus scientificos naturaliter inclinabit. *Probatur minor* id ad quod inclinat homo naturaliter, nulli potest apparere homini disconveniens; sed multis disconveniens apparet logica: Ergo non inclinat homo ad logicam naturaliter. Major est certa: cum terminus naturalis inclinationis sit perfectio inclinantis, quæ quidem in quantum talis, nec esse nec apparere potest disconveniens, cum bonum, seu conveniens, & perfectio convertatur, ex eo scilicet, quod bonum est id, quod omnia appetunt; & omnia appetant suam perfectionem: consequenter fit quod id, ad quod inclinat homo naturaliter, nulli potest homini disconveniens esse, vel apparere. *Probatur Minor*: illud ad cujus acquisitionem recusat homo se applicare, non potest non apparere homini disconveniens: sed plures hujusmodi sunt respectu logicæ: Ergo & plures sunt, quibus homines disconveniens apparet logica.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti. Ad tertium autem distinguo majorem: illud, ad cujus acquisitionem recusat homo se applicare, non potest non apparere homini disconveniens, si recuset ad acquisitionem se applicare ratione illius, si vero non ratione illius sed ratione potius difficultatis illi annexæ, recuset se applicare, *nego*; quod illud propterea apparere debeat homini disconveniens; sicut nec apparet homini disconveniens bonum virtutis, quamvis multoties recuset virtutem acquirere: quia cum id non recuset, nisi ratione laboris & difficultatis, nec non arduitatis hujusmodi virtutis boni, id non est per consequens odio habere tale bonum, nec consequenter apprehendere, ut disconveniens, sed laborem solum & difficultates illi annexas respuere: non aliter autem recusat homo acquisitionem logicæ, nisi ratione laboris & difficultatis in tali acquisitione intervenientis, non autem ratione ipsius logicæ; nullus namque est homo, qui habita aliquali, vel confusâ cognitione perfectionis logicæ, ad illius appetitum elicitum non necessitetur, quoad specificationem, & qui eam aquisitionem non vellet, & si respuat ratione laboris eam acquirere; homo namque, cum sit naturaliter discursivus ad logicam, quæ discursus est directiva, non potest non propendi naturaliter.

Instabis: Difficultatem & laborem experitur homo in acquisitione logicæ, ut experientia constat, & ut conceditur: Ergo ad logicam homo naturaliter non inclinat. *Probatur consequentia*

ad id omne, ad quod habet homo naturale pondus, seu naturalem inclinationem, tendit faciliter & delectabiliter: sed hoc ipso quod in acquisitione Logicæ laborem & difficultatem experitur, non tendit faciliter & delectabiliter ad illam. Ergo non inclinat hoc ipso naturaliter ad Logicam. Minor patet ex terminis. *Probatur major*: non minus facilitatem & delectationem causat naturale pondus, in sui termini acquisitionem, quam habitus in suis operationibus; cum pondus illud sit æquivalenter habitus sicut habitus est æquivalenter pondus illud; sed habitus & facilitatem & delectationem causat, in ordine ad suas operationes: Ergo & naturale pondus facilitatem & delectationem causat, in tendentia ad terminum, seu in termini acquisitione.

Respondeo Negando consequentiam: ad cujus probationem distinguo Majorem; ad id omne ad quod habet homo naturale pondus, tendit faciliter & delectabiliter, loquendo de tendentia in sui principio, concedo: loquendo de tendentia in sui progressu, vel in sui complemento, nego Majorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: licet igitur ubi adest naturale pondus ad aliquid, oriatur tendentia ad tale quid cum facilitate, & delectabilitate, nec in ortu talis tendentiæ experiatur quis difficultatē & laborem, ex eo scilicet quod præfatæ tendentiæ, quantum ad ortum suum, præfatum naturale pondus est sufficiens principium: potest tamen cum tali pondere non adesse talis facilitas; & delectabilitas in progressu hujus tendentiæ, aut in ejus complemento: ex eo scilicet, quod in ejus progressu & complimento plures intervenire solent difficulates, ad suas quidem vincendas non sufficit naturale illud pondus, sed alia requiruntur principia & adminicula, quæ quia aut non habentur faciliter, aut non nisi cum difficultate ad usum applicantur, tollunt per consequens, & impediunt in tali progressu, aut complemento tendentiæ facilitatem & delectationem: patet hæc solutio in exemplo de labore manuali, ad quem quidem habet homo ex certa dispositione corporis pondus, & inclinationem naturalem, qua de causa dicitur. *Iob. 5. capite; homo ad laborem nascitur & avis ad volatum*; & nihilominus, & si experiatur homo facilitatem quandam, quantum ad ortum & initium tendentiæ hujus, quæ ad præfatum laborem tendit, non propterea facilitatem & delectationem experitur, in progressu aut complemento talis tendentiæ: ob rationem scilicet supra adductam, quę quidem potest etiam ad habitus extendi, ut pote qui, ex parte sui fiunt expediti ad operandum; & ideo in ortu operationis, aut ut operativi facilitatem

Nota.

cilitatem quandam & delectationem præ se ferant, propter tamen difficultatem in progressu, aut complemento operationum occurrentem, laborem adhuc experiuntur.

Objicies 2. Si non posset sine Logicâ ullus haberi assensus scientificus, nec posset ad Logicam habitam, præsupponi habita Metaphysica; sed ad Logicam habendam, prærequiri & præsupponi debet habita Metaphysica; ergo verum non est quod nullus sine Logica haberi possit assensus scientificus. Major est certa, siquidem in hoc casu prærequireretur Logica ad scientiam Metaphysicæ, cum ab ea tunc penderet Metaphysica, in suis eliciendis assensibus scientificis; subindeque non posset in hoc casu prærequiri, & præsupponi ad Logicam, Metaphysica ipsa jam habita. *Probatur minor*: non est habita Logica, nisi per usum suorum principiorum ad suas demonstrandas conclusiones; sed ad usum principiorum prærequiri & præsupponi debet ipsa Metaphysicæ scientia: Ergo & ad habitam Logicam præsupponi debet Metaphysica habita. Major per se patet. *Probatur minor*: principiorum usus, ad demonstrandas conclusiones, præsupponit principia probata, explicata, & defensata: sed ut testatur Philosophus 4. *Metaph.* & D. Thomas 1. *p. qu.* 1. *art.* 8 ipsa est Metaphysica, quæ probat, explicat & defendit sua, & omnium aliarum scientiarum principia: Ergo ad usum principiorum Logicæ, prærequiritur habita Metaphysica.

Respondeo Negando minorem: ipsa namque Logica prærequiritur, & prius addiscenda est quam addiscantur cæteræ aliæ scientiæ, quæcumque illæ sint, & quantumcumque faciles & faciliores sint, ipsa acquisitâ, aut acquirenda Logica, ut enim notat D. Thomas *in opusculo* 7. *quæst. ultima art.* 2. incipere à facilioribus solum oportet, quando necessitas & dependentia unius scientiæ ab alia non compellit ad oppositum: Logica ergo ad ipsam Metaphysicam prærequiritur, non Metaphysica ad Logicam, ut per minorem negatam intendit arguens. Ad probationem vero hujus minoris, nego similiter minorem. Ad tertium autem distinguo majorem, principiorum usus præsupponit principia probata & defensata, ut diu continuetur & conservetur talis principiorũ usus, concedo, præsupponit principia probata & defensata, ut talis acquiratur usus, nego: & concessa minori nego consequent. vel distinguo similiter consequens: non igitur ad usum principiorum logicalium necesse est ea præsupponi, ab habitu Metaphysicæ probata & defensata, si sermo sit de usu ut solum acquisito aut acquirendo: ad hunc enim habendum & acquirendum usum sufficit habitus primorum principiorum, talia tradens & attingens principia, licet ut diu

Nota.

conservetur & continuetur talis usus, opus deinde sit habitu Metaphysicæ; ex co scilicet, quod in usu continuo principiorum, cum non possint non occurrere multa apparente saltem præfatis principiis repugnantia, necesse est per consequens talia defendi & probari principia, subindeque & opus est in hoc casu Metaphysicâ, quæ cum ex una parte principia habeat universalissima, & extendentia se ad quælibet; & ex altera principia aliarum scientiarum attingat, non unico intuitu, ut habitus primorum principiorum, sed discurrendo & ut conclusa, habet per consequens ipsa sola, quod probare possit atque defendere principia, sive logicæ sive aliarum scientiarum.

Instabis: Hoc ipso quod objectum Metaphysicæ est prius sciendum, seu prius scibile, quam objectum logicæ, hoc ipso & prior & prius est addiscenda Metaphysica, quam logica; Sed objectum Metaphysicæ, sive ens reale est prius scibile, quàm objectum logicæ, sive quam ens rationis: Ergo & prius addici debet, & potest Metaphysica, quam Logica. Major per se patet, cum enim objectum scibile non sit, nisi per scientiam hoc ipso per consequens quod est prius scibile, quam objectum alterius scientię, terminare etiam debet scientiam, quę sit prior. *Probatur Minor*: quod est prius & primum cognoscibile, non potest non esse prius & primum scibile: Sed ens reale est primum & prius cognoscibile, quam ens rationis: Ergo & prius scibile est ens reale, quam ens rationis. Minor per se patet: cum enim ens rationis non nisi per connotationem ad ens prius cognitum reale, & per speciem illius possit cognosci, non potest per consequens reale ens non esse prius & primum cognoscibile *Probatur major*: hoc ipso quod valet hæc consequentia; *non est primum cognoscibile; ergo non est primum scibile*, hoc ipso est aliquid primum scibile si sit primum cognoscibile, sed hæc valet consequentia: non est aliquid primum cognoscibile, ergo non est primum scibile; ergo & est aliquid primum scibile, hoc ipso quod est primum cognoscibile. *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*: à superiori ad inferius valet consequentia negativè, ut docent dialectici; unde & valet hæc: *non est animal; ergo non est homo*: Sed in exemplo non adducto, arguitur à superiori ad inferius negativè: Ergo valet hæc consequentia; non est primum cognoscibile ergo non est primum scibile. *Probatur minor*: abstrahit cognoscibile à scientificè vel non scientificè cognoscibili, sicut animal ab equo & homine; Ergo est cognoscibile superius quid ad scibile; Sed in exemplo adducto arguitur à cognoscibili ad scibile: Ergo arguitur in hoc exemplo à superiori ad inferius.

Re-

Respondeo Negando minorem, licet enim ens reale sit prius cognoscibile cognitione absoluta, quam ens rationis, propterea quod istud non habet cognosci, nisi per speciem entis realis & per connotationem ad illud, non tamen propterea est prius cognoscibile cognitione scientifica, eo quod scilicet dependentia, quam habet ens rationis ab ente reali, non est nisi ex specie movente ad cognitionem, quæ debet esse alicujus realis, non autem in specie terminante cognitionem, quæ in hoc casu est species entis rationis; ac proinde cum ex parte speciei terminantis desumatur cognitio, secundum quod est scientifica, cum scientifica sit, per hoc quod taliter cognoscit, & consequenter per hoc quod ad cognitum taliter terminatur, seu per hoc quod speciem habet taliter terminantem, sequitur de primo ad ultimum, quod quamvis pendeat ens rationis in cognitione sui absoluta ab ente reali, prius absolutè cognito, non tamen in cognitione sui scientifica ab ente reali pendeat, prius scientificè cognito, sicque falsum est, quod ens reale, sive objectum Metaphysicæ sit prius scibile ente rationis, & si sit concedendum, quod sit prius absolutè cognoscibile. Neganda ergo est illa minor, ad cujus probationem nego similiter majorem. Ad tertium vero nego minorem. Ad quartum autem, in quo sita est difficultas, Distinguo majorem: à superiori ad inferius valet consequentia negativè, ubi & quando arguitur purè negativè, concedo majorem, ubi non purè negativè arguitur, sed virtualiter affirmativè, vel partim affirmativè & partim negativè, nego majorem; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam, pro quo

Notandum est ex D. Thoma 3 *p. q. 16. art. 9. ad 2.* quod sicut propositiones *de incipit*, hoc habent, quod esse non possunt purè negativæ, sed habent semper, quod sint virtualiter affirmativæ, seu partim negativæ, partim affirmativæ: hæc namque propositio: *Domus hæc non incipit esse*, hunc facit sensum: *Domus hæc antea erat*, qui quidem sensus est affirmativus, ut patet: sic similiter dicendum est de propositionibus *de primo* seu in quibus negatur ly *primum*; hæc enim propositio: *mundus*, verbi gratia, *non est primum cognoscibilis*, hunc facit sensum, & quidem affirmativum, *est aliud quid cognoscibile ante mundum*; aut saltem hunc reddit sensum affirmativum partim, & partim negativum, *vel mundus non est cognoscibilis, vel est aliquid cognoscibile ante mundum*: sicut ergo non valet consequentia, in propositionibus negativis de incipit, & si arguatur à superiori ad inferius, quia non arguitur purè negativè; qua de

causa negat D. Thomas loco citato hanc consequentiam. *Christus non incipit esse; ergo non incipit esse homo*: idem similiter dico ego, & ab omnibus dicendum puto, quod quamvis in propositionibus negativis de primo, arguatur & argui possit à superiori ad inferius, non tamen valet propterea consequentia, quia non arguitur purè negativè, sed virtualiter affirmativè, in quo quidem casu nón valet consequentia à superiori ad inferius, ut docent dialectici; sicque non valet hæc consequentia: *Ens rationis non est primum cognoscibile: ergo nec est primum scibile.*

Objicies 3. Illud, sine quo haberi non potest assensus scientificus, conducit simpliciter ad talem habendum assensum; Sed Logica non conducit simpliciter loquendo, ad habendum assensum scientificum: Ergo sine Logicâ haberi potest talis assensus, Major per se patet. *Probatur Minor*: quod conducit ad habendum facile; non conducit simpliciter ad habendum; Sed conducit Logica ad facile habendum assensum scientificum: Ergo non conducit Logica ad habendum simpliciter loquendo assensum scientificum. Major est certa; est enim commune dictum, quod id. quod datur ad facile posse, non datur ad simpliciter posse. *Probatur Minor*: ad habendum assensum scientificum non conducit Logica, nisi per modum habitus: Sed proprium est habitus, ad differentiam potentiæ facilitare, seu dari ad faciliter & delectabiliter habendum illud, ad quod datur: Ergo conducit Logica, ad facile habendum assensum scientificum.

Respondeo. Negando minorem. Ad probationem vero, licet negari posset major, eo quod scilicet dantur multa, quæ quidem simul & semel conducunt, & conducere possunt ad aliud habendum, & faciliter & simpliciter loquendo: sic in supernaturalibus, idem habitus charitatis conducit simpliciter, ad eliciendum charitatis actum, utpote qui sine eo non potest elici, & conducit ad hunc eliciendum faciliter & delectabiliter: in naturalibus vero, species intelligibiles conducunt, & ad cognoscendum simpliciter, cum sine hujusmodi speciebus elici non possit cognitio; & ad faciliter & delectabiliter cognoscendum. Data igitur majori illa, & non concessa, nego minorem, si nimirum ita intelligatur [ut in sensu arguentis debet intelligi] quod non nisi & tantummodo ad facile habendum talem assensum, conducat Logica. Ad tertium autem, in quo videtur posita vis argumenti concessa majori, Distinguo minorem: sed proprium est habitus facilitare

ad

ad aliud habendum, si sermo sit de habendo, quoad substantiam, concedo; si autem sit sermo de aliquo habendo, quantum ad modum, ut de facto in præsenti est sermo, nego: sensus autem solutionis est, quod quia, ubi agitur de assensu habendo scientificè, non agitur præcisè de assensu, quoad substantiam, sed de assensu habendo, cum tali modo scientifico, aut ut verius dicam, de tali modo agitur, ut modificante assensum habendum, propterea fit quod, quia habitus potest simpliciter loquendo requiri ad modum rei habendum, sive ad rem habendam, cum tali modo, qua de causa dici solet, quod ad habendum actum cum facilitate requiritur simpliciter habitus, ideo potest Logica conducere & concurrere ad assentiendum scientificè, non tantum faciliter, sed etiam simpliciter, quamtumvis concurrat per modum habitus.

Instabis: dicit Philosophus 9. *metaph. text. 7.* quod *addiscens artem potest actionem artis operari sine arte*: Ergo illud ad quod operatur Logica per modum artis, potest haberi sine Logica: Sed non nisi per modum artis operatur Logica, dum concurrit cum aliis scientiis, ad assensum eliciendum scientificum; cum concurrat, ut inquit Philosophus, per modum organi & instrumenti: Ergo & potest sine Logica assensus haberi scientificus.

Respondeo distinguendo, & explicando antecedens: dicit Philosophus, quod addiscens artem potest actionem artis operari sine arte, & loquitur ibi Philosophus de omni & quacumque actione artis, nego antecedens; & loquitur ibi Philosophus de actione, qua artis habitus acquiri solet, concedo; & sub eadem distinctione, concedo & nego consequentiam. Dico ergo, quod quando dicit Philosophus, quod addiscens artem, potest actionem artis operari sine arte, intendit solum, quod actus alicujus habitus sine proprio habitu possit haberi, quod quidem verissimum, imo & necessarium est de omni primo actu, quo aliquis habitus generatur; unde hoc exponens dictum Divus Thomas *ibid. lect. 2.* hæc habet: *Quia potest homo aliqualiter exire in scientiæ & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ & virtutis, quo deinde adepto perfectè operatur*: Non autem per hoc intendit Philosophus, quod id omne, quod habetur dependenter ab arte, sive ab habitu, possit id omne elici sine arte; alias haberi posset sine artis habitu facilitas ad operandum, quod tamen est, & ab omnibus conceditur esse falsissimum. Non ergo sequitur ex illo Philosophi dicto, quod possit sine Logica haberi assensus

scien-

ſcientificus, ſicut habetur ex arte, ſeu artificio Logicæ, ſed præcisè exinde ſequitur, quod actus aliquis demonſtrativus, quem in propria materia elicit Logica, poteſt nondum habita Logica elici, quod quidem verificatur in primo illo actu, per quem generatur habitus Logicæ, qui ſcilicet elicitur ſine Logicæ habitu, & ſimilis deinde producitur per habitum Logicæ ſemel acquiſitum.

Objicies 4. Aſſenſus certus & evidens, ac per diſcurſum habitus, eſt aſſenſus ſcientificus: Sed poteſt ſine Logica talis haberi aſſenſus: Ergo & poteſt haberi aſſenſus ſcientificus. Major eſt certiſſima; talis namque aſſenſus, cum ea ratione, qua certus & evidens eſt, non ſit nec habitus fidei, neç opinativi, & quatenus eſt per diſcurſum habitus, pertinere non poſſit ad habitum, ſeu lumen primorum principiorum, qui non eſt diſcurſivus, debet per conſequens talis aſſenſus ad habitum ſcientiæ reduci, & eſſe ſcientificus. *Probatur Minor*: aſſenſus ex certis & evidentibus elicitus, eſt aſſenſus certus & evidens, & per diſcurſum habitus: Sed poteſt ſine Logica talis haberi aſſenſus: Ergo & ſine Logica haberi poteſt aſſenſus certus & evidens, ac per diſcurſum habitus. *Major patet*, ex terminis, *Probatur Minor:* ad hunc ex certis & evidentibus eliciendum aſſenſum non aliud requiritur, quam quod evidenter cognoſcat aſſentiens duo aliqua certa, & certam conſequentiam unius tertii ex illis: Sed hoc poteſt aſſentiens cognoſcere ſine Logica; Ergo & poteſt ſine Logica aſſenſus elici, ex certis & evidentibus. Major per ſe patet. *Probatur Minor*: eorum, quæ ſunt naturali lumine cognoſcibilia, poteſt cognitio haberi ſine Logica: Sed naturali lumine eſt cognoſcibile, duo aliqua eſſe in ſe certa, & unum tertium ex illis certo conſequi: Ergo poteſt aſſentiens cognoſcere ſine Logica duo aliqua certa, & conſequentiam unius tertii ex illis. Major eſt evidens. *Probatur Minor*: naturali lumine eſt cognoſcibile, quod *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, cum ſit dictum illud principium per habitum, ſeu lumen principiorum cognitum; ſed naturali lumine eſt cognoſcibile, duo aliqua eſſe eadem cum uno tertio, cum experimentaliter cognoſcatur, Petrum v. g. & rationale eſſe idem cum homine: Ergo naturali lumine eſt cognoſcibile duo aliqua eſſe eadem inter ſe, ex vi identitatis naturaliter cognitę, cum uno tertio: ſed hoc eſt naturali lumine cognoſcere duo aliqua & conſequentiam unius tertii ex illis; Ergo poteſt aſſentiens naturali lumine cognoſcere certa duo aliqua, & unum tertium ex illis ſequi.

Reſpon-

Respondeo Negando minorem primi, secundi, tertii, & quarti argumenti. Ad quintum verò, in quo est posita vis argumenti, nego majorem & minorem, si nimirum sermo sit (ut est & esse debet in præsenti) de cognoscibili, non utcumque, sed certo & evidenter, tali scilicet certitudine & evidentiâ, quæ nec virtualiter & implicite sit dubitativa, seu quæ in nullo casu, nec ex ullo occurrente fieri possit dubitativa. Inprimis igitur nego, quod naturali lumine possit ita certo cognosci, quod quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se: illa namque certitudo debet esse talis, quod respectu cognoscentis principium illud, non possit esse etiam apparenter falsum, cum sit certitudo scientifica, seu deserviens cognitioni scientificæ, quæ quidem hoc ipso quod talis, sicut potest reddere rationem veritatis, sic & potest solvere apparentiam falsitatis: modo sic est, quod respectu illius, qui solo naturali lumine cognoscit hoc principium, potest principium illud fieri apparenter falsum, si nimirum hoc ei proponatur argumentum, vel aliud simile, in quo apparet identitas duorum cum uno tertio, & ex quo tamen falso colligitur eorumdem identitas inter se: dicendo scilicet: *homo est species: sed Petrus est homo: Ergo Petrus est species*: vel, *animal rationale est oratio: sed Petrus est animal rationale: Ergo Petrus est oratio.* Non ergo ex solo naturali lumine potest certò cognosci principium illud, eâ scilicet certitudine, quæ possit deservire cognitioni scientificæ, cum cognoscens ex occurrente aliquo, possit in oppositum deduci assensum, aut saltem de illo, quem habebat, dubitare incipiat, cum falsitatem oppositi nesciat resolvere, sitque in tali casu principium illud, quod antea habebat ut certissimum, apparenter falsum. *Nota.*

Jam autem negata majori præfati argumenti, nego similiter minorem, puta quod naturali lumine possit certo cognosci, duo aliqua esse eadem cum uno tertio, si similiter sermo sit de certitudine, quæ fieri non possit dubitativâ, quæque respectu illius, quem certum facit, fieri non possit apparenter falsa: etenim duo aliqua esse eadem cum uno tertio, nequit ita certo cognosci, nisi simul & semel cognoscatur, qua identitate sint eadem, & an tertium rationem ibi habeat unius; tunc enim solum adesse potest præfata certitudo, cum tunc solum reddi possit ratio præfatæ certitudinis: atqui ex solo naturali lumine & seclusâ Logica cognosci nequit, qua identitate, seu unione sint duo aliqua eadem, & unum cum uno tertio, nec an tertium rationem habeat unius: non quidem primum, tum quia ad hoc requiritur cognitio modorum dicendi per se, quæ ut dictum fuit in proba-

probatione tertia haberi non potest sine Logicâ, cum etiam quia vel levi fallaciâ in dubium revocabitur talis identitas, ut si sermo sit de identitate essentiali hominis, cum rationali, & arguatur sic in contrarium: *Rationale est differentia; sed homo non est essentialiter differentia: Ergo homo non est essentialiter idem cum rationali.* Similiter neque cognosci potest seclusâ Logicâ, an tertium sit verè unum, ut de facto debet esse, ad vere concludendum; cum ad hoc sciri debeat quot modis variari & deperdi debet unitas tertii, ut sciatur, quod ab illis defectibus tertium, de quo est sermo, liberum est, quod tamen sine Logica sciri nequaquam potest, cum ad hoc habenda sit notitia de suppositione, appellatione & aliis hujusmodi terminorum proprietatibus, ex quarum variatione variari solet, & deperdi unitas tertii: Ergo sicut non potest cognosci certo sine Logica, quod quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, certitudine scilicet, quæ fieri non possit dubitativa; nec etiam sine Logica cognosci potest, quod duo aliqua sint eadem cum uno tertio, loquendo semper de cognitione quæ præfata certitudine scientificâ certa sit; & si cognoscenti videatur prima fronte; quod de talibus sit omnino certus.

Nota.

Objicies 5. si esset Logica ad assensum omnem scientificum necessario prærequisita, esset maxime, quia ad assensum omnem scientificum, præcognosci debet, demonstrationem, per quam acquiritur, generare scientiam; sed hoc est falsum: Ergo & falsum est, esse Logicam ad omnem assensum scientificum prærequisitam. Major constat ex prima conclusionis probatione. *Probatur Minor:* assensus, quem de hoc habet Logica, quod demonstratio generet scientiam, est assensus scientificus, cum hoc demonstret Logica: sed ad talem assensum præcognosci non potest, quod demonstratio generet scientiam, cum hoc in tali solum assensu scientificè cognoscatur: Ergo ad assensum omnem scientificum præcognosci non debet, quod demonstratio generet scientiam.

Respondeo negando minorem, nec enim potest ullus veram habere scientiam, & assensum verè scientificum, nisi in exercitio sciat se scire quod quidem fieri non potest, nisi prius evidenter cognoscat, demonstrationem rectè factam generare scientiam, ut postea in exercitio cognoscens se per demonstrationem alicui conclusioni assentiri, in exercitio etiam cognoscat se illam scire. Pro quo videatur, quæ dicta sunt in primâ probatione conclusionis. Ad probationem autem concessa majori, distinguo minorem; sed ad talē assensum præcognosci

non

non potest, quod demonstratio generet scientiam ; præcognosci non potest, cognitione & assensu expresso & formali, concedo ; præcognosci non potest, cognitione & assensu virtuali & implicito nego, & nego consequentiam, vel distinguo similiter consequens. Sensus autem solutionis est, quod quia, dum quis de demonstratione demonstrat ipsam generare scientiam, cognitio & assensus hujus conclusionis habetur virtualiter & implicitè in cognitione præmissarum, antequam per ipsius conclusionis expressum & formalem assensum formaliter habeatur ; propterea fit quod ad assensum formalem talis conclusionis quod demonstratio generat scientiam, præcedit & præsupponitur in assensu præmissarum virtualis ejusdem conclusionis cognitio ; quod quidem sufficit, & ut posteà expressa, formalis & scientifica ejusdem conclusionis habeatur cognitio, & ut verificetur, quod ad omnem assensum scientificum, etiam Logicalem præcognosci debet vel formaliter & expresse, vel saltem virtualiter & implicite ; quod demonstratio generat scientiam nec non ut vitetur processus in infinitum in acquirendâ Logicâ ; quæ quidem cum non incipiat acquiri ut scientia, nisi per illam demonstrationem, per quam de ipsa demonstratione demonstrat generare scientiam, & ad hunc habendum assensum formaliter scientificum, non requiratur alius assensus formaliter scientificus, sed sufficiat virtualis ejusdem assensus in cognitione præmissarum habitus, sistendum est per consequens pro acquirendâ Logica ut scientiâ, seu ad habendum assensum illius verè & formaliter scientificum, sistendum inquam est in virtuali illo de tali conclusione assensu in cognitione præmissarum habito ; proindeque vitatur processus in infinitum, cum non sit recurrendum ad alium assensum etiam formaliter & verè scientificum.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè expositæ sententiæ, quod quidem apertè colligo *ex 1. poster, lect. 1.* ubi discurrit sic sanctus Doctor. *Ars quædam necessaria est quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis procedat sine errore & ars illa est Logica seu rationalis scientia*, hæc divus Thomas, ex quibus sic argumentor.

Nullus est nec esse potest actus verè & quoad substantiam scientificus, qui non sit liber ab omni errore : Sed ex dire

divo Thoma in verbis relatis necessaria est Logica, ut procedat homo in actu rationis sine errore; Ergo & ex eodem debet necessaria esse Logica ad assensum omnem verè & substantialiter scientificum.

Sed audito discipulo audiamus & magistrum, beatum scilicet Albertum magnum dicentem *cap. 3. prædicabilium, nesciens Logicam etsi scire aliquid videatur, nescit tamen, cum rationem sui sciti nesciat*, ex quibus verbis habes [Amice Lector] quod quamvis in facilioribus conclusionibus existimes & videatur tibi, te illis certò & evidenter assentiri, revera tamen si Logicus non es, non nisi nutanter & formidolose assentiris, cum rationem sciti ignores, nesciens scilicet cur syllogismus per quem scis, scire faciat, cur præmissæ quæ solæ de tuo scire certum faciunt, sunt in se certæ seu propositiones per se & necessariæ; cur ex eo quod illæ sunt certæ, debet & ista conclusio esse certa; quorum quidem signum ut diximus supra, est, quod vel levi fallacia à certitudine quam ipse existimabas habere, facillimè dimoveris, si Logicus non es, & in oppositum transis assensum, vel saltem de illo quem habebas formidare incipis & dubitare, quapropter *Logicus esto [Amice Lector] ut sis omniscius, qui sine Logica omnium es nescius.*



LIBER

LIBER SECUNDUS DE ENTE RATIONIS.

Cum materia, quæ per se objicitur consideranda à Logica, sit ens rationis, ut vidimus in quæstione primâ præcedentis libri: est enim secunda intentio objectiva, ex cujus propositione habet intellectus ordinatè procedere in suis actibus, ut fusius eodem libro ostensum fuit, quæ quidem secunda intentio, licet pro materiali sit ut plurimum natura aliqua realis, qua de causa exponi solent in Logica naturæ omnes reales generaliter sumptæ in prædicamentorum coordinatione & expositione; est tamen pro formali ens rationis, quod patet ex eo, quod secunda intentio formalis, cui correspondet objectiva est, & dici solet conceptus, quem format intellectus de re aliqua, secundum id præcisè quod habet per ordinem ad intellectum, ac proinde ex parte objecti, seu rationis formalis objectivæ solum correspondere debet aliquid, cujus totum suum esse sit esse objectivè in intellectu, subindeque quod sit formaliter ens rationis; cum igitur materia quæ per se objicitur consideranda à Logica, sit ens rationis ad pleniorem illius intelligentiam, hunc propterea librum de ente rationis in communi prælibamus, ut sic ab universalioribus procedentes solidum prosequamur doctrinæ ordinem.

QUÆSTIO I.

Vtrum detur Ens rationis.

PRÆMITTENDUM I. Pro quæsiti intelligentia quod cum ens rationis ut tale habitudinem dicat ad rationem seu intellectum cujus dicitur ens, ideo juxta triplicem ad intellectum habitudinem triplex distingui potest ens rationis; aliud scilicet quod ordinem & habitudinem dicit ad intellectum, tanquam ad sui subjectum, seu tanquam ad receptivam causam: aliud, quod ordinem & habitudinem dicit ad intellectum tanquam efficientem seu effectivum; aliud denique quod habitudinem dicit ad intellectum tanquam ejus objectum seu terminus ejus cognitionis;& hoc adhuc duplex est;aliud quidem quod præter esse objectivũ quod habet respectu intellectus, habet simul reale esse ab intellectu independens,aliud verò quod non aliud habet esse quam esse illud quod habet objectum respectu intellectus.& quod in tantum est in quantum objicitur considerandum: hoc autem supposito jam pro quæsiti intelligentiâ dico non procedere titulum de ente illo rationis quod tale dicitur, vel ex habitudine ad intellectum ut ad subjectũ, vel ad eumdẽ ut efficientem causam; talia namque dari entia rationis ut certum & indubitatum supponitur,cum indubitatum sit apud omnes dari species intelligibiles,verbum mentis, & actionem intellectivam,quæ quidem ad intellectum præfatam dicunt habitudinem, cum vel subjectentur in eo, vel ab eo effectivè causentur simul & subjectentur;non procedit etiam quęsitum tituli de illo ente rationis quod præter esse objectivum quod habet respectu intellectus, aliud habeat reale esse, ut habet Petrus quando intellectui objicitur considerandus; cum enim ens illud rationis sit simpliciter ens reale & ens extra animam, non est illud per consequens de quo inquirimus, quod quidem taliter est & esse debet ens rationis, ut ab ente reali condistinguatur: de illo enim ente rationis procedit quæstio, quod tale dicitur per hoc, quod habet tantum esse objectivè in intellectu; adeo ut sensus sit an possibile, an verò implicet in terminis dari aliquid quod esse habeat objectivum in intellectu, & præter hoc esse objectivum; aliud non habeat esse; cum enim tale quid non sit ens reale, ut per se

pa-

patet, nec sit purum nihilum; si semel detur, & aliunde dicat habitudinem aliquam ad rationem seu intellectum, est per consequens pure dumtaxat & propriissime ens rationis, quod est id quod in præsenti inquirimus.

Præmittendum 2. Pro intelligentia principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet hæc tria receptissima esse apud omnes, subindeque vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ: puta quod *ens rationis, sive affirmetur dari, sive negetur, semper apprehensivè concipitur:* quod *detur forma syllogistica:* quod *unitas rationis sit ens rationis.* Primo quidem ens rationis, sive affirmetur dari, sive negetur, semper apprehensivè concipitur; & hujus ratio est, quia ratione subordinationis essentialis quæ reperitur inter operationes intellectus discurrentis, semper apprehensiva cognitio præsupponitur ad affirmationem & negationem, adeo ut non negetur nec affirmetur dari, nisi quod apprehensivè cognoscitur: Ergo cum id quod affirmatur dari aut negatur in isto casu sit ens rationis, evidenter sequitur ens rationis semper apprehensivè concipi & cognosci, sivè affirmetur dari, sivè negetur.

Secundum autem quod etiam tanquam conclusionis principium adducitur, puta quod detur forma syllogistica non est minùs certum, cum detur & dari supponatur ab omnibus, qui Logicam aut Dialecticam vel à limine salutarunt, certa quædam dispositio trium terminorum secundum subjectionem & prædicationem, & ex illis tribus trium propositionum secundum affirmationem & negationem, universalitatem, & particularitatem, in quibus duorum unio & identitas inter se concludatur ex vi eorumdem identitatis cum uno medio termino: talis autem certa dispositio est quod intelligendum venit per formam syllogisticam: quod Ergo detur forma syllogistica est plus quam certum.

Denique receptissimum est etiam tertium quod adducitur ut conclusionis principium, puta quod unitas rationis sit ens rationis: unitas namque cum hoc ipso quod talis consequatur ad ens, sicut & veritas & bonitas, sitque per consequens proprietas entis de necessitate sapit naturam entis, cujus est unitas sivè proprietas quantum ad inclusionem aut exclusionem realitatis, cum ex reali emanare non possit nisi reale, & reale emanare & derivari non possit ex non reali: ergo cum unitas rationis non sapiat naturã entis realis, ut ex terminis patet, sapit

per consequens naturam entis rationis condistincti ab ente reali, sicque unitas rationis est de necessitate ens rationis, his ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Datur seu dari potest ens rationis.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, *Ens rationis, sivè affirmetur dari sivè negetur, semper apprehensivè concipitur;* Ergo datur seu dari potest ens rationis. *Probatur consequentia*, ens rationis habet esse per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur: Ergo hoc ipso quod semper apprehensivè concipitur, sivè affirmetur dari, sivè negetur, hoc ipso datur: consequentia est evidens. *Probatur antecedens*, hoc ipso quod ens rationis est in conceptu certum quid, hoc ipso habet esse; sed per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur, sivè ab affirmante sivè à negante, est certum quid in apprehensivo conceptu: Ergo per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur habet esse. *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*, quod est in apprehensivo conceptu, nec est in illo nihilum aut tanquam nihilum, est certum quid in tali conceptu; sed hoc ipso quod ens rationis apprehensivè concipitur, est objectivè scilicet in apprehensivo conceptu & non est tanquam nihilum: Ergo hoc ipso est certum quid in tali conceptu: *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor*: Ens rationis non est in apprehensivo conceptu, nisi id quod deinde per affirmativum aut negativum conceptum negamus aut affirmamus, ut per se patet; cum non negemus nisi quod apprehendimus: Sed qui negat ens rationis, non negat esse nihilum, sed qui negat esse ens: Ergo non est ens rationis in apprehensivo conceptu nihilum seu tanquam nihilum; Ergo hoc ipso quod apprehensivè concipitur sive ab affimante sive negante, est certum quid in apprehensivo conceptu; Ergo hoc ipso quod apprehensivè concipitur hoc ipso datur; atqui sive affirmetur dari sive negetur, semper apprehensivè concipitur; ergo hoc ipso quod sive affirmetur dari sive negetur apprehensivè concipitur (quod est primum præmissum principium) hoc ipso datur Ens rationis.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio, *datur forma syllogistica*; Ergo & datur Ens rationis. *Probatur consequentia*; forma syllogistica importat ens rationis: Ergo hoc ipso quod talis datur syllogistica forma, datur hoc ipso ens rationis. *Probatur antecedens*: forma syllogistica in illo ut plurimum fundatur principio: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem*

in-

inter se; Sed principium illud importat ens rationis: Ergo & forma syllogistica. *Major* admittitur ab omnibus. *Probatur minor*: principium illud quae sunt eadem &c. ternarium quemdam importat numerum; Sed ternarius ille quem importat numerus est ens rationis; Ergo praefatum illud principium importat ens rationis. *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*: numerus qui realis non est, nec realiter formalis, non potest non esse ens rationis; Sed numerus ille quem importat praefatum principium, nec realis est nec ut plurimum realiter formalis; ergo numerus ille est ens rationis. Major per se patet. *Probatur minor*: numerus exurgit ex numeratis ut plura sunt, & non prout sunt idem ut per se patet; Sed quae numerantur in tali principio sunt semper realiter idem, ut patet ex terminis; & esse possunt realiter formaliter idem, ut accidit quando probatur ex illo principio, duo aliqua esse idem inter se etiam formaliter; Ergo numerus ille quem importat praefatum principium nec realis est nec aliquando realiter formalis: Ergo numerus ille quem importat principium illud est ens rationis: Ergo principium in quo fundatur ars syllogistica importat ens rationis: ergo & importatur ens rationis in formâ syllogistica: ergo hoc ipso quod datur forma syllogistica, [quod est secundum praemissum principium] datur hoc ipso ens rationis.

Probatur 3. Ex tertio praemisso principio, *unitas rationis est ens rationis*: Ergo datur seu dabile est ens rationis. *Probatur consequentia*: datur unitas rationis: Ergo hoc ipso quod unitas rationis est ens rationis, datur hoc ipso ens rationis. *Probatur antecedens*: definitum est unum quid, respectu definitionis, & definitio aliud unum, respectu definiti: Sed unitas illa qua sunt definitum & definitio unum & unum est unitas rationis tantum: Ergo datur unitas rationis. *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor*: talis est unitas qualis est divisio rei, cujus est unitas ab omni alio; Sed divisio definiti à definitione, verbi gratia, hominis ab animali rationali & è contra est divisio rationis tantum: Ergo & unitas qua sunt definitum & definitio unum & unum, est tantum rationis. *Major patet*, cum sit unitas indivisio rei in se, & divisio à quolibet alio. *Probatur minor*: divisio seu distinctio definiti a definitione puta hominis ab animali rationali est talis, qua non possit assignari minor ut consideranti patebit, nisi sit nugatoria distinctio, ut est ea, v. g. quae est inter Petrum & Petrum; Sed si divisio illa definiti à definitione non esset rationis tantum

(posset tunc assignari divisio minor, ea scilicet quæ est tantum rationis: Ergo divisio illa, quâ definitum est divisum quid à definitione, est rationis tantum; Ergo unitas illa qua definitum & definitio sunt unum & unum est unitas tantum rationis: Ergo datur unitas quæ est tantummodo unitas rationis: Ergo hoc ipso quod unitas rationis est ens rationis [quod est tertium præmissum principium] sequitur dari ens rationis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Objicies 1. Ens rationis est aliquid, cujus totum esse est esse objectivè in intellectu; Sed impossibile est dari tale quid; Ergo & impossibile est ens rationis. *Probatur Minor*: id cujus totum esse est esse objectivè; non est habens esse objectivè; Sed impossibile est dari aliquid cujus esse sit esse objectivè, & quod non sit habens esse objectivè; Ergo impossibile est dari aliquid cujus totum esse sit esse objectivè *Minor patet. Probatur major*: in omni eo quod habet esse aliquod, aliud est esse habitum & aliud id quod habet, ut patet in inductione; Sed in eo cujus totum esse est esse objectivè, non aliud est præter esse objectivum; Ergo id cujus totum esse est esse objectivè, non est habens esse objectivè.

Respondeo Negando minorem: quæro namque ab arguente, num quando negat ens cujus totum esse sit esse objectivè in intellectu, num inquam apprehendat illud quod negat, & neget id quod apprehendit: Sed negat hic aliquid, cujus totum esse sit esse objectivè; Ergo supponi debet apprehendere aut apprehendisse tale quid, cujus totum esse sit esse objectivè; Sed tale quid ita apprehensum non aliud habet esse præter esse objectivum ut supponitur: Ergo hoc ipso quod negat possibile esse tale quid, locum præbet ad probandum quod possibile sit & quod detur. Neganda ergo est illa minor; ad cujus probationem nego majorem, ob rationem mox afferendam. Unde ad tertium in quo sitá videtur vis argumenti, Distinguo majorem: in omni eo quod habet esse aliquod aliud est esse habitum, & aliud id quod habet. Si sermo sit de eo quod habet esse mediâ receptione, concedo, sin minùs nego; & concessa minori nego consequentiam, aut distinguo similiter consequens.

Verum ergo quod ubi habens esse habet media receptione, quod ibi aliud est esse habitum & aliud id quod habet, ex eo sci-

ſcilicet quod habens habendo ſe ibi per modum recipientis, habet ſe per modum materialis cauſæ & eſſe habitum prout receptum ad modum materialiter cauſati, ſubindeque neceſſario diſtingui ibi debet aliud & aliud: & ideo quia creaturæ omne quod habent reale eſſe habent media receptione, eo quod habeant ut perfectibile perfectionem, propterea in omni creatura diſtinguitur id quod habet, & eſſe habitum, juxta illud Boëtii *in libro de hebdomadibus*: *In omni eo quod eſt citra ens primum aliud eſt eſſe & id quod eſt*: verum tamen ubi habens eſſe non habet media receptione, tunc falſum eſt quod ibi aliud ſit eſſe habitum & aliud id quod habet, quod quidem patet evidenter in Deo, in quo non aliud eſt bonitas habita, & aliud habens bonitatem ſed ipſe Deus qui habet bonitatem eſt ipſa bonitas habita, & ipſa bonitas eſt ipſe Deus: modo ſic eſt, quod ens rationis, ſive illud cujus totum eſſe ſupponitur eſſe objectivè non eſt habens eſſe illud objectivum media receptione, tum quia eſſe quod habetur media receptione eſt eſſe ſubjectivum ſeu ſubjectatum & non tantum objectivum, tum etiam quia id quod habet ita totum ſuum eſſe objectivè, totum habet, quia objicitur, quod quidem verificatur ſecluſa etiam per intellectum omni receptione: Ergo quantumcumque ſupponatur aliquid habere totum ſuum eſſe objectivè, non propterea verificatur quod totum ejus eſſe ſit eſſe objectivè & quod illud idem non ſit habens eſſe objectivè.

Inſtabis: Illud cujus totum eſſe eſt eſſe objectivè, habet tantum eſſe quia objicitur: Sed de nullo verificari poteſt quod habeat tantum eſſe quia objicitur; Ergo de nullo verificari poteſt quod totum ejus eſſe ſit eſſe objectivè. *Major patet*: *Probatur minor*: omne quod intellectui objicitur, vel objicitur ens vel objicitur non ens: Sed nec quod objicitur ens, nec quod objicitur non ens habet tantum eſſe quia objicitur: Ergo de nullo verificari poteſt quod habeat tantum eſſe quia objicitur. *Major patet*: ſicut & minor quoad ſecundam partem: quid enim objicitur non ens, eſt non ens objectivè, ſubindeque non habet eſſe quia objicitur. *Probatur* igitur *minor*: quoad primam partem. Quod potius objicitur, quia eſt ens, non tantum habet eſſe, quia objicitur; Sed quod intellectui objicitur ens, verè ita objicitur quia eſt ens; Ergo nec quod objicitur ens, habet tantum eſſe quia objicitur. *Major patet*. *Probatur Minor*: inter ens & non ens non datur medium; Sed quod objicitur ens,

non ita objicitur quia non ens: Ergo quod intellectui objicitur ens, verè ita objicitur, quia est ens.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas ex conclusionis probationibus colligi potest; & ulterius ex hoc colligitur argumento. Falsum est de nullo verificari posse quod habeat esse fictum ab intellectu; alias verum non esset quod posset intellectus fingere: Sed esse fictum ab intellectu in tantum habet esse inquantum intellectui fingenti objicitur, ut per se patet: Ergo falsum est de nullo verificari posse, quod habeat tantum esse quia objicitur, ad probationem autem hujus minoris nego similiter minorem, præsertim quoad primam partem: esse namque fictum, hoc ipso quod objicitur intellectui tale, objicitur ens cum objiciatur fictum & non sit fictum, nisi inquantum ens, & tamen ly esse fictum ut dictum fuit supra habet tantum esse, quia objicitur; falsa ergo est secunda illa minor sicut & prima.

Nota.

Ad tertium vero nego etiam minorem, si nimirum sumatur ut sumitur in argumento, universaliter & indefinitè; licet enim ex his quæ intellectui objiciuntur sub ratione entis plura immo & ferè omnia ita objiciantur, quia sunt ens, non tamen est hoc universaliter verum, cujus ratio est, quia inter ea quæ intellectui objiciuntur alia sunt quæ ipsum movent intellectum, & talia verè ita objiciuntur, quia sunt ens; Sed alia sunt quæ intellectui objiciuntur non ut ipsum moventia ad sui cognitionem, sed præcisè ut ejus terminantia cognitionem, & ad aliud supponentia, ex quo moveatur intellectus, & talia sunt entia rationis quæ cum concipiantur ad modum entis realis supponunt reale ens ex quo moveatur intellectus ad eorum cognitionem & ipsa solum habent ejus terminare cognitionem; talia autem cum non sint moventia ad cognitionem sed solum terminantia. magis ad cognitionem sive ad ipsum objici consequuntur, quam præcedant, subindeque non ideo objiciuntur ens, quia sunt ens, sed potius ideo sunt ens & habent esse quia objiciuntur ens. Ad ultimum autem Distinguo majorem sic: inter ens & non ens non datur medium, quantum ad esse unum vel alterum, concedo: quantum ad esse per unum vel per alterum nego; licet enim omne quod intelligitur vel sit ens vel sit non ens, non tamen omne quod est habet esse id quod est vel per hoc quod sit ens vel per hoc quod sit non ens: homo namque verbi gratia, neque quia non ens neque quia ens habet esse homo, sed quia est animal rationale: similiter ergo dicendum in præsenti, quod illud om-

Nota.

ne

ne quod objicitur ens, neque quia est non ens ita objicitur, neque etiam quia est ens, sed objicitur ens, quia intellectus motus per speciem entis realis, illud concipit ad modum entis, dum scilicet in se supponitur non ens.

Objicies secundò, in tantum datur aliquid aut dari intelligitur, in quantum formalem habet existentiam, qua scilicet formaliter existat; Sed non est assignabilis formalis existentia in ente rationis : Ergo nec intelligibile est dari posse ens rationis. *Probatur Minor* : si formaliter existeret ens rationis, vel per propriam vel per alienam existentiam, sive vel per existentiam sui fundamenti, vel per aliam sibi propriam : Sed neutrum dici potest: Ergo non est assignabilis formalis existentia in ente rationis. *Probatur Minor* & primo quidem pro existentia fundamenti : effectus realis formalis existentiæ non est tantum formaliter sed & realiter existere, cum formalis effectus sit ipsa forma ut communicata ; sed ens rationis non potest dici realiter existens : Ergo nec potest formaliter existere per existentiam realem fundamenti. *Probatur* autem eadem minor quoad alteram partem : existentia propria entis rationis non alia esse potest quam existentia rationis ; Sed quod dicitur ens rationis, formaliter existit ante existentiam rationis, cum antecedenter ad omnem cognitionem rationis cæcitas, quæ reputatur ens rationis hominem denominet formaliter cæcum : Ergo nec per propriam existentiam habet ens rationis quod existat formaliter.

Respondeo negando minorem. Ad cujus probationem concessa majori & minori quantum ad existentiam fundamenti, eamdem nego quantum ad aliud membrum de propria existentia. Licet enim concedant nonnulli formaliter existere ens rationis per existentiam sui fundamenti, quamvis minus connaturalem : immerito tamen illud conceditur tum propter rationem in contrarium adductam in argumento, quæ quidem meo judicio efficaciter probat, tum quia cum res producatur, quando ei formalis communicatur existentia, tunc per consequens produceretur ens rationis quando illius produceretur fundamentum, subindeque nec esset ens rationis, cum ita independens esset à ratione in sui esse & produci. Concessa igitur minori illa quantum ad membrum de existentia fundamenti ; nego eandem quoad alterum membrum. Ad hujus autem membri probationem nego similiter minorem puta quod non existat formaliter ens rationis per existentiam rationis. Dicit enim D. Thomas *opusculo 42. cap. 1. tunc effici ens*

rationis, quando intellectus nititur apprehendere id quod non est admodum entis, hæc ille id: ex quibus evidenter sequitur quod in sententia divi Thomæ antecedenter ad talem apprehensionem rationis nullam habet ens rationis existentiam formalem, nec connaturalem, nec alienam, cum in ejus sententia antecedenter ad talem apprehensionem sit adhuc ens rationis intra causas & consequenter intra statum possibilitatis.

Non ergo existit ens rationis formaliter nisi per existentiam rationis, quæ quidem rationis existentia consistit in passiva terminatione actualis cognitionis intellectus seu rationis; potestque illud ulterius colligi ex formali ratione formalis cujuslibet existentiæ, quæ consistit in hoc quod sit ultima rei existentis actualitas: cum ergo ultima actualitas entis rationis cujus totum esse est esse objectivum, sit haud dubiè objici actualiter intellectui & illius actualem cognitionem ad modum entis terminare, evidenter sequitur per eam tantum rationis existentiam seu passivam terminationem actualis cognitionis posse ens rationis formaliter existere. Ad id autem, quod in contrarium adducitur in argumento, quod cæcitas v. g. quæ reputatur ens rationis habet formaliter denominare cæcum antecedenter ad omnem considerationem rationis, Respondeo & illud similiter negando: licet enim ex fundamento proximo cæcitatis & antecedente ad operationem intellectus concipientis privationem visus ad modum formæ intrinsecæ homo denominari possit absolutè, simpliciter, & fundamentaliter cæcus, non tamen formaliter: quia autem solutio hæc quæ quidem recurrit pluries in materiis & Philosophicis & Theologicis, quia inquam qua facilitate adducitur, eadem facilitate refelli & negari potest, nisi aliundè fulciatur, propterea.

Instabis 1. gratis dicitur hominem antecedenter ad operationem intellectus non denominari formaliter, sed tantum absolutè aut fundamentaliter cæcum: Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*: gratis hoc dicitur, si hujus assignari non possit ratio, nisi recurrendo ad negatum principium; sed revera sic est; quod hujus assignari non potest ratio nisi recurrendo ad negatum principium; Ergo quod in solutione adducitur gratis & sine fundamento dicitur. *Probatur Minor*: ideo dicitur homo non denominari formaliter cæcus, antecedenter ad præfatam rationis operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio visus ad modum cujusdam intrinsecæ formæ quæ pro tunc nondum sic intelligitur: Sed hoc est quod negatur

gatur principium: Ergo solutionis adductæ assignari non potest ratio, nisi recurrendo ad negatum principium.

Respondeo negando antecedens. Ad cujus probationem nego minorem. Ad tertium verò, in quo sita est difficultas, distinguo majorem: ideò dicitur homo non denominari formaliter cæcus, antecedenter ad præfatam intellectus operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio ad modum cujusdam intrinsecæ formæ, ita quod ly quia sit principium seu ultima ratio unde hoc deducitur nego, ita quod ly quia sit ibi loco principii & rationis ultimatæ concedo: sed exinde nil contra solutionem, ut mox dicemus, dico igitur rationem adductam puta quod homo non denominetur formaliter cæcus antecedenter ad præfatam intellectus operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio visus ad modum formæ alicujus intrinsecæ quæ pro tunc nondum intelligitur, esse quidem rationem immediatam, non tamen ultimatam & principiativam: datur namque rationis hujus ratio altera, quæ hæc est: in creatis esse tale formaliter non potest non esse effectus formalis & quia effectus formalis est ipsamet forma ut communicata, consequenter fit, quod omne quod est & dicitur tale formaliter, habet esse tale ratione alicujus sibi communicati & superadditi: atqui seclusa in præsenti casu [& sic in aliis casibus & exemplis quæ in hac vel aliis materiis objici solent] privatione visus ut intellectâ ad modum formæ alicujus intrinsecæ, non est assignabile quid sit illud, quo superaddito & communicato sit & dicatur formaliter cæcus: Ergo dato quod prima & immediata ratio solutionis præcedentis, negari soleat dum nude assumitur, non tamen negabitur in præsenti, quia hic non proponitur nuda, sed fulcita irrefragabili principio, puta quod in creatis esse formaliter tale sit effectus formalis, quod quidem est certissimum, cum ad differentiam entis increati quod est per se ipsum, & non per causam tale, esse tale in creatis, sit tale per causam, & causa illa non alia esse possit quam formalis causa, cum supponatur tale formaliter: non ergo recurrimus & nos ad negatum principium in assignanda ratione præfatæ seu præcedentis solutionis.

Instabis 2. nihil facit denominatio illa formalis, sive ly esse formaliter tale, ad quod non sufficiat denominatio absoluta & fundamentalis, sive esse tale absolutè & fundamentaliter: Ergo frustra additur denominatio illa formalis, supposita denominatione absoluta: sed forma illa rationis de qua est ibi sermo, v. g. privatio visus intellecta ad modum formæ alicujus,

hæc

hæc inquam forma rationis non admittitur nisi ad denominandum formaliter & præbendum esse formaliter tale : Ergo frustra admittuntur formæ illæ rationis, ac proinde nec dantur, ne frustra dentur.

Respondeo negando antecedens per hoc enim quod res sit formaliter talis, novum quoddam constituit genus, cum forma per quam formaliter fit talis utpotè ei communicata & superaddita sit ab eâ alterius rationis ; & quidem genericæ ut plurimum, quod quidem patet in exemplo de duobus albis: hæc enim seclusâ forma seu relatione superaddita similitudinis denominantur denominatione absoluta similia, ita tamen quod maneant semper intra limites generis qualitatis ; at hoc ipso quod fiunt formaliter similia per adventum formæ, seu relationis similitudinis extrahuntur è genere qualitatis & ponuntur reductivè in genere relationis : cum ergo quod facit unum genus non possit aliud facere & præstare, consequenter fit falsum esse præfatum antecedens, quod scilicet nil faciat denominatio illa formalis sivè ly esse formaliter tale, ad quod non sufficiat denominatio absoluta, subindeque & falsum est quod frustra addatur denominatio illa formalis, suppositâ denominatione absoluta, porrò ex his solutionibus & responsionibus, tum ad objectionem, tum ad instantias colligimus

Nota. quod quamvis antecedenter ad cognitionem intellectus dicatur Deus absolutè & simpliciter Dominus creaturarum ; & Christus filius Beatæ Virginis ; & Eucharistia Sacramentum & signum ; & imago alicujus non existentis dicatur absolutè illius imago, & signum alicujus ad placitum dicatur absolutè illius signum, & manu ducat in illius cognitionem, quia ad hoc sufficit quod ejus existat fundamentum, scilicet impositio ad hoc significandum non retractata, sicut & ad hoc ut Sacramentum dicatur absolutè signum & Sacramentum sufficit fundamentum talis significationis, impositio scilicet non retractata, qua Christus tale Sacramentum imposuit ad significandum : nihilominus ut hæc omnia denominentur formaliter talia, cum juxta præfatam doctrinam requiratur forma aliqua ad modum formæ intrinsecæ, necesse est præcedere operationem intellectus, qui ibi apprehendat rationes quasdam rationis ea intrinsecè & formaliter denominantes.

Objicies 3. omne quod est, aut datur præter Deum fuit prius in potentia ad esse ; Sed ens rationis quod dari supponitur non prius fuit in potentia ad esse ; Ergo falso supponitur dari. Major patet, *Probatur Minor* ; quod est in potentia ad esse non

non est antecedenter ad esse purum nihilum; Sed ens rationis antecedenter ad esse habitum est purum nihilum : Ergo ens rationis non fuit in potentia ad esse. Minor est certa cum totum esse entis rationis sit esse actu cognitum & consequenter esse habitum. *Probatur Major*: purum nihilum deficit à tota latitudine entis; Sed quod est in potentiâ ad esse est intra latitudinem entis; cum ens in tota sua latitudine aliud sit ens in actu, & aliud ens in potentia: Ergo quod est in potentia ad esse, non est antecedenter ad esse purum nihilum.

Respondeo negando minorem primi argumenti, & similiter minorem secundi, non enim ens rationis antecedenter ad esse habitum est purum nihilum, cujus ratio est, quia purum nihilum quod tale dicitur, quia defecit à tota latitudine entis, neque ab intrinseco neque ab extrinseco importat ens, sive nec includit ens nec connotat ens; ens autem rationis, licet antecedenter ad esse habitum non dicatur ens ab intrinseco, nec sit intrinsecè ens & positivum quid, saltem in communi & communiori sententia, [cui tamen non assentior ego, contrarium Deo dante demonstraturus in Metaphysica, ubi de conceptu quidditativo possibilitatis rerum] nihilominus importat ens rationis rationem entis ab extrinseco & eam connotat, in quantum scilicet est pro tunc in potentia suæ causæ, sive in potentia activa intellectus potentis illud intelligere, & ad illud terminari sub ratione entis quam proinde connotat, & ex quâ connotata dicitur illud ens rationis possibile, non quidem per aliquid intrinsecum seu intrinsecam entitatem positivam juxta præfatam sententiam, sed per potentiam extrinsecam suæ causæ seu intellectus, neque urget quod in contrarium adducitur, puta quod totum esse entis rationis sit esse actu cognitum & consequenter esse habitum; non inquam hoc urget quia hoc solum verificatur de toto esse entis rationis actuali, non autem de toto esse abstrahente vel ab actuali vel à possibili; tale namque consistit in esse objectivo, non autem in esse actu objecto; ac proinde cum antecedenter ad esse actu cognitum adhuc verificetur quod habeat esse objectivum, licet non habeat esse objectum, eo quod adhuc verificetur quod detur intellectus illius cognoscitivus qui quidem inquantum cognoscitivus est velut correlativus ad ejus esse ut objectivum, sicut ut cognoscens est correlativus ad ejus esse ut objectum, consequenter fit quod antecedenter ad esse actu cognitum adhuc sufficienter habeat esse ut non sit purum nihilum, non obstante præfata ratione adducta in contrarium.

Insta-

formas quasdam rationis ut scilicet subjecta sua formaliter denominent: neque enim habent illa subjectum inhæsionis, nec habere possunt, sed denominationis tantum. *Probatur Minor*, in qua est difficultas: dari non potest formalis denominatio cognoscentis aut videntis, quin detur simul & semel formalis denominatio visi vel cogniti; cum hæ sint correlativæ & mutuæ: Sed intellectus meus per illam denominationem extrinsecam cogniti sive per cognitionem suam ad Petrum terminatam denominatur formaliter cognoscens: Ergo & Petrus per id præcisè quod eamdem terminat cognitionem in quo consistit denominatio illa extrinseca, denominabitur formaliter cognitus.

Respondeo negando majorem. Ratio autem hujus negati, brevis quidem sed efficax hæc esse potest: ea quæ dicimus & admittimus nos entia rationis, talia non sunt nisi inquantum esse habent objectivum in intellectu; atqui denominatio illa extrinseca cogniti in Petro, verbi gratia, quamvis à cognitione activâ proveniat & per eam cognitionem Petrus habeat esse objectivum in intellectu; ipsa tamen denominatio cogniti non habet in intellectu esse objectivum, donec eadem denominatio quasi reflexe ab intellectu cognoscatur & concipiatur ad modum formæ alicujus in ipso Petro existentis, fiatque per consequens intrinseca denominatio ut per se patet; cum donec ita cognoscatur non habeat terminare, sed magis habeat terminari; Ergo falsa est major illa propositio quod denominationes extrinsecæ cogniti sint hoc idem quod dicimus & admittimus nos ens rationis.

Ad hujus autem probationem nego minorem, in qua scilicet dicitur quod denominatio extrinseca cogniti habeat formaliter denominare subjectum cognitum, pro quo, ne eadem inutiliter repetamus, videantur quæ dixi supra in responsionibus ad secundam objectionem & ad instantias. Ad tertium vero nego majorem: non enim inconveniens est quod formali denominationi cognoscentis correspondeat ex parte Petri, solum fundamentalis, licet absoluta denominatio cogniti; cujus ratio est, quia denominationes illæ cognoscentis aut cogniti, videntis aut visi non sunt correlativæ seu mutuæ, nisi quoad eorumdem coexistentiam, adeo ut non existat nec existere queat denominatio cognoscentis, verbi gratia, quin ei coexistat denominatio cogniti, non autem mutuæ sunt & correlativæ quoad modum denominandi, utpote qui variari solet & debet ex modo vario, quo solet forma se habere in

Nota.

uno

uno & altero denominato: unde ſicut denominatur intrinſecè cognoſcens, abſque eo quod ei correſpondeat ex parte objecti denominatio intrinſeca cogniti, ſed extrinſeca tantum, ex eo ſcilicet quod cognitio denominans eſt intrinſeca cognoſcenti & extrinſeca ſolum reſpectu objecti cogniti; ita ſimiliter denominari poteſt formaliter cognoſcens & videns ex viſione & cognitione, abſque eo quod correſpondeat ex parte objecti denominatio formalis cogniti, ex eo ſcilicet quod cognitio cum objectum non informet, non denominet conſequenter per modum formæ, ſed fundamentalis ſolum ac abſoluta, utpote quæ fundamentum præbet intellectui ad reflectendum ſupra rationem cogniti, eamque apprehendendi rationem per modum formæ alicujus intrinſecè afficientis ſive denominantis objectum cognitum.

Inſtabis: ſi à denominationibus illis extrinſecis cogniti condiſtinguerentur entia rationis, condiſtinguerentur ad aliquem finem; Sed ad nullum conducunt finem rationis entia ita condiſtincta: Ergo non ſunt de facto ab illis denominationibus condiſtincta. Major per ſe patet, quod enim non eſt ad finem aliquem, cum ſuperfluum ſit non eſt admittendum. *Probatur Minor*: ideo condiſtinguuntur entia rationis à denominationibus illis extrinſecis cogniti, quia ratio cogniti ſe habet in illis per modum intrinſecè afficientis, non autem in iſtis; Sed quod ratio cogniti ita ſe habeat & ita conſideretur ad nihil prorſus conducit; nec enim aſſignabile eſt ad quid conducat: Ergo ad nullum conducunt finem entia rationis ita à denominationibus cogniti condiſtincta.

Reſpondeo negando minorem; ad cujus probationem nego ſimiliter minorem: quod enim denominationes illæ extrinſecæ cogniti fiant intrinſecè & formaliter denominantes, adeò ut ratio illa cogniti apprehendatur ab intellectu ad modum formæ alicujus intrinſecæ & intrinſecè afficientis & denominantis, ad duo conducit maximè neceſſaria, tum ut intellectus cognoſcat quænam denominatio cuilibet competat rei, tum ut cognoſcat naturam illius cui competit denominatio; cujus ratio eſt quia ratio illa cogniti ſic vel ſic, per hoc quod ita apprehenditur ad modum formæ intrinſecæ & intrinſecè afficientis vel denominantis ſortitur rationem prædicati reſpectu objecti quod denominat, nec habet ſe ratio illa cogniti per modum prædicati, donec per actum illum reflexum intellectus ita apprehendatur ut exiſtens quid in objecto, cum tunc ſolum objectum apprehenſum habeat ſe reſpectu illius per *Nota.*

per consequens naturam entis rationis condistincti ab ente reali, sicque unitas rationis est de necessitate ens rationis, his ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

CONCLUSIO: *Datur seu dari potest ens rationis.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, *Ens rationis, sivè affirmetur dari sivè negetur, semper apprehensivè concipitur;* Ergo datur seu dari potest ens rationis. *Probatur consequentia*, ens rationis habet esse per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur: Ergo hoc ipso quod semper apprehensivè concipitur, sivè affirmetur dari, sivè negetur, hoc ipso datur: consequentia est evidens. *Probatur antecedens*, hoc ipso quod ens rationis est in conceptu certum quid, hoc ipso habet esse; sed per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur, sivè ab affirmante sivè à negante, est certum quid in apprehensivo conceptu: Ergo per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur habet esse. *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*, quod est in apprehensivo conceptu, nec est in illo nihilum aut tanquam nihilum, est certum quid in tali conceptu; sed hoc ipso quod ens rationis apprehensivè concipitur, est objectivè scilicet in apprehensivo conceptu & non est tanquam nihilum: Ergo hoc ipso est certum quid in tali conceptu: *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor*: Ens rationis non est in apprehensivo conceptu, nisi id quod deinde per affirmativum aut negativum conceptum negamus aut affirmamus, ut per se patet; cum non negemus nisi quod apprehendimus: Sed qui negat ens rationis, non negat esse nihilum, sed qui negat esse ens: Ergo non est ens rationis in apprehensivo conceptu nihilum seu tanquam nihilum; Ergo hoc ipso quod apprehensivè concipitur sive ab affimante sive negante, est certum quid in apprehensivo conceptu; Ergo hoc ipso quod apprehensivè concipitur hoc ipso datur; atqui sive affirmetur dari sive negetur, semper apprehensivè concipitur; ergo hoc ipso quod sive affirmetur dari sive negetur apprehensivè concipitur (quod est primum præmissum principium) hoc ipso datur Ens rationis.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio, *datur forma syllogistica*; Ergo & datur Ens rationis. *Probatur consequentia*: forma syllogistica importat ens rationis: Ergo hoc ipso quod talis datur syllogistica forma, datur hoc ipso ens rationis. *Probatur antecedens*: forma syllogistica in illo ut plurimum fundatur principio: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem*

in-

inter se; Sed principium illud importat ens rationis: Ergo & forma syllogistica. *Major* admittitur ab omnibus. *Probatur minor*: principium illud quæ sunt eadem &c. ternarium quemdam importat numerum; Sed ternarius ille quem importat numerus est ens rationis; Ergo præfatum illud principium importat ens rationis. *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*: numerus qui realis non est, nec realiter formalis, non potest non esse ens rationis; Sed numerus ille quem importat præfatum principium, nec realis est nec ut plurimum realiter formalis; ergo numerus ille est ens rationis. Major per se patet. *Probatur minor*: numerus exurgit ex numeratis ut plura sunt, & non prout sunt idem ut per se patet; Sed quæ numerantur in tali principio sunt semper realiter idem, ut patet ex terminis; & esse possunt realiter formaliter idem, ut accidit quando probatur ex illo principio, duo aliqua esse idem inter se etiam formaliter: Ergo numerus ille quem importat præfatum principium nec realis est nec aliquando realiter formalis: Ergo numerus ille quem importat principium illud est ens rationis: Ergo principium in quo fundatur ars syllogistica importat ens rationis: ergo & importatur ens rationis in formâ syllogistica: ergo hoc ipso quod datur forma syllogistica, [quod est secundum præmissum principium] datur hoc ipso ens rationis.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, *unitas rationis est ens rationis*: Ergo datur seu dabile est ens rationis. *Probatur consequentia*; datur unitas rationis: Ergo hoc ipso quod unitas rationis est ens rationis, datur hoc ipso ens rationis. *Probatur antecedens*: definitum est unum quid, respectu definitionis, & definitio aliud unum, respectu definiti: Sed unitas illa qua sunt definitum & definitio unum & unum est unitas rationis tantum: Ergo datur unitas rationis. *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor*: talis est unitas qualis est divisio rei, cujus est unitas ab omni alio; Sed divisio definiti à definitione, verbi gratia, hominis ab animali rationali & è contra est divisio rationis tantum: Ergo & unitas qua sunt definitum & definitio unum & unum, est tantum rationis. *Major patet*, cum sit unitas indivisio rei in se, & divisio à quolibet alio. *Probatur minor*: divisio seu distinctio definiti à definitione puta hominis ab animali rationali est talis, qua non possit assignari minor ut consideranti patebit, nisi sit nugatoria distinctio, ut est ea, v. g. quæ est inter Petrum & Petrum; Sed si divisio illa definiti à definitione non esset rationis tantum

(posset tunc assignari divisio minor, ea scilicet quæ est tantum rationis : Ergo divisio illa, quâ definitum est divisum quid à definitione, est rationis rantum ; Ergo unitas illa qua definitum & definitio sunt unum & unum est unitas tantum rationis : Ergo datur unitas quæ est tantummodo unitas rationis : Ergo hoc ipso quod unitas rationis est ens rationis (quod est tertium præmissum principium) sequitur dari ens rationis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Objicies I. Ens rationis est aliquid, cujus totum esse est esse objectivè in intellectu ; Sed impossibile est dari tale quid; Ergo & impossibile est ens rationis. *Probatur Minor:* id cujus totum esse est esse objectivè ; non est habens esse objectivè ; Sed impossibile est dari aliquid cujus esse sit esse objectivè, & quod non sit habens esse objectivè ; Ergo impossibile est dari aliquid cujus totum esse sit esse objectivè *Minor patet. Probatur major :* in omni eo quod habet esse aliquod, aliud est esse habitum & aliud id quod habet, ut patet in inductione ; Sed in eo cujus totum esse est esse objectivè, non aliud est præter esse objectivum; Ergo id cujus totum esse est esse objectivè, non est habens esse objectivè.

Respondeo Negando minorem : quæro namque ab arguente, num quando negat ens cujus totum esse sit esse objectivè in intellectu, num inquam apprehendat illud quod negat, & neget id quod apprehendit : Sed negat hic aliquid, cujus totum esse sit esse objectivè ; Ergo supponi debet apprehendere aut apprehendisse tale quid, cujus totum esse sit esse objectivè ; Sed tale quid ita apprehensum non aliud habet esse præter esse objectivum ut supponitur : Ergo hoc ipso quod negat possibile esse tale quid, locum præbet ad probandum quod possibile sit & quod detur. Neganda ergo est illa minor ; ad cujus probationem nego majorem, ob rationem mox afferendam. Unde ad tertium in quo sitâ videtur vis argumenti, Distinguo majorem : in omni eo quod habet esse aliquod aliud est esse habitum, & aliud id quod habet. Si sermo sit de eo quod habet esse mediâ receptione, concedo, sin minùs nego ; & concessa minori nego consequentiam, aut distinguo similiter consequens.

Verum ergo quod ubi habens esse habet media receptione, quod ibi aliud est esse habitum & aliud id quod habet, ex eo sci-

ſcilicet quod habens habendo ſe ibi per modum recipientis, habet ſe per modum materialis cauſæ & eſſe habitum prout receptum ad modum materialiter cauſati, ſubindeque neceſſario diſtingui ibi debet aliud & aliud: & ideo quia creaturæ omne quod habent reale eſſe habent media receptione, eo quod habeant ut perfectibile perfectionem, propterea in omni creatura diſtinguitur id quod habet, & eſſe habitum, juxta illud Boëtii *in libro de hebdomadibus*: *In omni eo quod eſt citra ens primum aliud eſt eſſe & id quod eſt:* verum tamen ubi habens eſſe non habet media receptione, tunc falſum eſt quod ibi aliud ſit eſſe habitum & aliud id quod habet, quod quidem patet evidenter in Deo, in quo non aliud eſt bonitas habita, & aliud habens bonitatem ſed ipſe Deus qui habet bonitatem eſt ipſa bonitas habita, & ipſa bonitas eſt ipſe Deus: modo ſic eſt, quod ens rationis, ſive illud cujus totum eſſe ſupponitur eſſe objectivè non eſt habens eſſe illud objectivum media receptione, tum quia eſſe quod habetur media receptione eſt eſſe ſubjectivum ſeu ſubjectatum & non tantum objectivum, tum etiam quia id quod habet ita totum ſuum eſſe objectivè, totum habet, quia objicitur, quod quidem verificatur ſecluſa etiam per intellectum omni receptione: Ergo quantumcumque ſupponatur aliquid habere totum ſuum eſſe objectivè, non propterea verificatur quod totum ejus eſſe ſit eſſe objectivè & quod illud idem non ſit habens eſſe objectivè.

Inſtabis: Illud cujus totum eſſe eſt eſſe objectivè, habet tantum eſſe quia objicitur: Sed de nullo verificari poteſt quod habeat tantum eſſe quia objicitur; Ergo de nullo verificari poteſt quod totum ejus eſſe ſit eſſe objectivè. *Major patet: Probatur minor*: omne quod intellectui objicitur, vel objicitur ens vel objicitur non ens: Sed nec quod objicitur ens, nec quod objicitur non ens habet tantum eſſe quia objicitur: Ergo de nullo verificari poteſt quod habeat tantum eſſe quia objicitur. *Major patet*: ſicut & minor quoad ſecundam partem: quid enim objicitur non ens, eſt non ens objectivè, ſubindeque non habet eſſe quia objicitur. *Probatur* igitur *minor*: quoad primam partem. Quod potius objicitur, quia eſt ens, non tantum habet eſſe, quia objicitur: Sed quod intellectui objicitur ens, verè ita objicitur quia eſt ens; Ergo nec quod objicitur ens, habet tantum eſſe quia objicitur. *Major patet. Probatur Minor*: inter ens & non ens non datur medium; Sed quod objicitur ens,

non ita objicitur quia non ens: Ergo quod intellectui objicitur ens, verè ita objicitur, quia est ens.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas ex conclusionis probationibus colligi potest; & ulterius ex hoc colligitur argumento. Falsum est de nullo verificari posse quod habeat esse fictum ab intellectu; alias verum non esset quod posset intellectus fingere: Sed esse fictum ab intellectu in tantum habet esse inquantum intellectui fingenti objicitur, ut per se patet: Ergo falsum est de nullo verificari posse, quod habeat tantum esse quia objicitur, ad probationem autem hujus minoris nego similiter minorem, præsertim quoad primam partem: esse namque fictum, hoc ipso quod objicitur intellectui tale, objicitur ens cum objiciatur fictum & non sit fictum, nisi inquantum ens, & tamen ly esse fictum ut dictum fuit supra habet tantum esse, quia objicitur; falsa ergo est secunda illa minor sicut & prima.

Nota.

Ad tertium vero nego etiam minorem, si nimirum sumatur ut sumitur in argumento, universaliter & indefinitè; licet enim ex his quæ intellectui objiciuntur sub ratione entis plura immo & ferè omnia ita objiciantur, quia sunt ens, non tamen est hoc universaliter verum, cujus ratio est, quia inter ea quæ intellectui objiciuntur alia sunt quæ ipsum movent intellectum, & talia verè ita objiciuntur, quia sunt ens; Sed alia sunt quæ intellectui objiciuntur non ut ipsum moventia ad sui cognitionem, sed præcisè ut ejus terminantia cognitionem, & ad aliud supponentia, ex quo moveatur intellectus, & talia sunt entia rationis quæ cum concipiantur ad modum entis realis supponunt reale ens ex quo moveatur intellectus ad eorum cognitionem & ipsa solum habent ejus terminare cognitionem; talia autem cum non sint moventia ad cognitionem sed solum terminantia, magis ad cognitionem sive ad ipsum objici consequuntur, quam præcedant, subindeque non ideo objiciuntur ens, quia sunt ens, sed potius ideo sunt ens & habent esse quia objiciuntur ens. Ad ultimum autem Distinguo majorem sic: inter ens & non ens non datur medium, quantum ad esse unum vel alterum, concedo: quantum ad esse per unum vel per alterum nego; licet enim omne quod intelligitur vel sit ens vel sit non ens, non tamen omne quod est habet esse id quod est vel per hoc quod sit ens vel per hoc quod sit non ens: homo namque verbi gratia, neque quia non ens neque quia ens habet esse homo, sed quia est animal rationale: similiter ergo dicendum in præsenti, quod illud omne

Nota.

ne

ne quod objicitur ens, neque quia est non ens ita objicitur, neque etiam quia est ens, sed objicitur ens, quia intellectus motus per speciem entis realis, illud concipit ad modum entis, dum scilicet in se supponitur non ens.

Objicies secundò, in tantum datur aliquid aut dari intelligitur, inquantum formalem habet existentiam, qua scilicet formaliter existat; Sed non est assignabilis formalis existentia in ente rationis : Ergo nec intelligibile est dari posse ens rationis. *Probatur Minor* : si formaliter existeret ens rationis, vel per propriam vel per alienam existentiam, sive vel per existentiam sui fundamenti, vel per aliam sibi propriam : Sed neutrum dici potest: Ergo non est assignabilis formalis existentia in ente rationis. *Probatur Minor* & primo quidem pro existentia fundamenti : effectus realis formalis existentiæ non est tantum formaliter sed & realiter existere, cum formalis effectus sit ipsa forma ut communicata ; sed ens rationis non potest dici realiter existens : Ergo nec potest formaliter existere per existentiam realem fundamenti. *Probatur* autem eadem minor quoad alteram partem : existentia propria entis rationis non alia esse potest quam existentia rationis ; Sed quod dicitur ens rationis, formaliter existit ante existentiam rationis, cum antecedenter ad omnem cognitionem rationis cæcitas, quæ reputatur ens rationis hominem denominet formaliter cæcum : Ergo nec per propriam existentiam habet ens rationis quod existat formaliter.

Respondeo negando minorem. Ad cujus probationem concessa majori & minori quantum ad existentiam fundamenti, eamdem nego quantum ad aliud membrum de propria existentia. Licet enim concedant nonnulli formaliter existere ens rationis per existentiam sui fundamenti, quamvis minus connaturalem : immerito tamen illud conceditur tum propter rationem in contrarium adductam in argumento, quæ quidem meo judicio efficaciter probat, tum quia cum res producatur, quando ei formalis communicatur existentia, tunc per consequens produceretur ens rationis quando illius produceretur fundamentum, subindeque nec esset ens rationis, cum ita independens esset à ratione in sui esse & produci. Concessa igitur minori illa quantum ad membrum de existentia fundamenti; nego eandem quoad alterum membrum. Ad hujus autem membri probationem nego similiter minorem puta quod non existat formaliter ens rationis per existentiam rationis. Dicit enim D. Thomas *opusculo 42. cap. 1. tunc effici ens*

rationis, quando intellectus nititur apprehendere id quod non est admodum entis, hæc ille id: ex quibus evidenter sequitur quod in sententia divi Thomæ antecedenter ad talem apprehensionem rationis nullam habet ens rationis existentiam formalem, nec connaturalem, nec alienam, cum in ejus sententia antecedenter ad talem apprehensionem sit adhuc ens rationis intra causas & consequenter intra statum possibilitatis.

Non ergo existit ens rationis formaliter nisi per existentiam rationis, quæ quidem rationis existentia consistit in passiva terminatione actualis cognitionis intellectus seu rationis; potestque illud ulterius colligi ex formali ratione formalis cujuslibet existentiæ, quæ consistit in hoc quod sit ultima rei existentis actualitas: cum ergo ultima actualitas entis rationis cujus totum esse est esse objectivum, sit haud dubiè objici actualiter intellectui & illius actualem cognitionem ad modum entis terminare, evidenter sequitur per eam tantum rationis existentiam seu passivam terminationem actualis cognitionis posse ens rationis formaliter existere. Ad id autem, quod in contrarium adducitur in argumento, quod cæcitas v. g. quæ reputatur ens rationis habet formaliter denominare cæcum antecedenter ad omnem considerationem rationis, Respondeo & illud similiter negando: licet enim ex fundamento proximo cæcitatis & antecedente ad operationem intellectus concipientis privationem visus ad modum formæ intrinsecæ homo denominari possit absolutè, simpliciter, & fundamentaliter cæcus, non tamen formaliter: quia autem solutio hæc quæ quidem recurrit pluries in materiis & Philosophicis & Theologicis, quia inquam qua facilitate adducitur, eadem facilitate refelli & negari potest, nisi aliundè fulciatur, propterea.

Instabis 1. gratis dicitur hominem antecedenter ad operationem intellectus non denominari formaliter, sed tantum absolutè aut fundamentaliter cæcum: Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*: gratis hoc dicitur, si hujus assignari non possit ratio, nisi recurrendo ad negatum principium; sed revera sic est; quod hujus assignari non potest ratio nisi recurrendo ad negatum principium; Ergo quod in solutione adducitur gratis & sine fundamento dicitur. *Probatur Minor*: ideo dicitur homo non denominari formaliter cæcus, antecedenter ad præfatam rationis operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio visus ad modum cujusdam intrinsecæ formæ quæ pro tunc nondum sic intelligitur: Sed hoc est quod negatur

gatur principium: Ergo solutionis adductæ assignari non potest ratio, nisi recurrendo ad negatum principium.

Respondeo negando antecedens. Ad cujus probationem nego minorem. Ad tertium verò, in quo sita est difficultas, distinguo majorem: ideò dicitur homo non denominari formaliter cæcus, antecedenter ad præfatam intellectus operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio ad modum cujusdam intrinsecæ formæ, ita quod ly quia sit principium seu ultima ratio unde hoc deducitur nego, ita quod ly quia sit ibi loco principii & rationis ultimatæ concedo: sed exinde nil contra solutionem, ut mox dicemus, dico igitur rationem adductam puta quod homo non denominetur formaliter cæcus antecedenter ad præfatam intellectus operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio visus ad modum formæ alicujus intrinsecæ quæ pro tunc nondum intelligitur, esse quidem rationem immediatam, non tamen ultimatam & principiativam: datur namque rationis hujus ratio altera, quæ hæc est: in creatis esse tale formaliter non potest non esse effectus formalis & quia effectus formalis est ipsamet forma ut communicata, consequenter fit, quod omne quod est & dicitur tale formaliter, habet esse tale ratione alicujus sibi communicati & superadditi: atqui seclusa in præsenti casu [& sic in aliis casibus & exemplis quæ in hac vel aliis materiis objici solent] privatione visus ut intellectâ ad modum formæ alicujus intrinsecæ, non est assignabile quid sit illud, quo superaddito & communicato fit & dicatur formaliter cæcus: Ergo dato quod prima & immediata ratio solutionis præcedentis, negari soleat dum nude assumitur, non tamen negabitur in præsenti, quia hic non proponitur nuda, sed fulcita irrefragabili principio, puta quod in creatis esse formaliter tale sit effectus formalis, quod quidem est certissimum, cum ad differentiam entis increati quod est per se ipsum, & non per causam tale, esse tale in creatis, sit tale per causam, & causa illa non alia esse possit quam formalis causa, cum supponatur tale formaliter: non ergo recurrimus & nos ad negatum principium in assignanda ratione præfatæ seu præcedentis solutionis.

Instabis 2. nihil facit denominatio illa formalis, sive ly esse formaliter tale, ad quod non sufficiat denominatio absoluta & fundamentalis, sive esse tale absolutè & fundamentaliter: Ergo frustra additur denominatio illa formalis, supposita denominatione absoluta: sed forma illa rationis de qua est ibi sermo, v. g. privatio visus intellecta ad modum formæ alicujus,

hæc

hæc inquam forma rationis non admittitur nisi ad denominandum formaliter & præbendum esse formaliter tale: Ergo frustra admittuntur formæ illæ rationis, ac proinde nec dantur, ne frustra dentur.

Respondeo negando antecedens per hoc enim quod res sit formaliter talis, novum quoddam constituit genus, cum forma per quam formaliter fit talis utpotè ei communicata & superaddita sit ab eâ alterius rationis; & quidem genericæ ut plurimum, quod quidem patet in exemplo de duobus albis: hæc enim seclusa forma seu relatione superaddita similitudinis denominantur denominatione absoluta similia, ita tamen quod maneant semper intra limites generis qualitatis; at hoc ipso quod fiunt formaliter similia per adventum formæ, seu relationis similitudinis extrahuntur è genere qualitatis & ponuntur reductivè in genere relationis: cum ergo quod facit unum genus non possit aliud facere & præstare, consequenter fit falsum esse præfatum antecedens, quod scilicet nil faciat denominatio illa formalis sivè ly esse formaliter tale, ad quod non sufficiat denominatio absoluta, subindeque & falsum est quod frustra addatur denominatio illa formalis, suppositâ denominatione absoluta, porrò ex his solutionibus & responsionibus, tum ad objectionem, tum ad instantias colligimus *Nota.* quod quamvis antecedenter ad cognitionem intellectus dicatur Deus absolutè & simpliciter Dominus creaturarum; & Christus filius Beatæ Virginis; & Eucharistia Sacramentum & signum; & imago alicujus non existentis dicatur absolutè illius imago, & signum alicujus ad placitum dicatur absolutè illius signum, & manu ducat in illius cognitionem, quia ad hoc sufficit quod ejus existat fundamentum, scilicet impositio ad hoc significandum non retractata, sicut & ad hoc ut Sacramentum dicatur absolutè signum & Sacramentum sufficit fundamentum talis significationis, impositio scilicet non retractata, qua Christus tale Sacramentum imposuit ad significandum: nihilominus ut hæc omnia denominentur formaliter talia, cum juxta præfatam doctrinam requiratur forma aliqua ad modum formæ intrinsecæ, necesse est præcedere operationem intellectus, qui ibi apprehendat rationes quasdam rationis ea intrinsecè & formaliter denominantes.

Objicies 3. omne quod est, aut datur præter Deum fuit prius in potentia ad esse; Sed ens rationis quod dari supponitur non prius fuit in potentia ad esse; Ergo falsò supponitur dari. Major patet, *Probatur Minor*; quod est in potentia ad esse

non

non est antecedenter ad esse purum nihilum; Sed ens rationis antecedenter ad esse habitum est purum nihilum : Ergo ens rationis non fuit in potentia ad esse. Minor est certa cum totum esse entis rationis sit esse actu cognitum & consequenter esse habitum. *Probatur Major*: purum nihilum deficit à tota latitudine entis; Sed quod est in potentiâ ad esse est intra latitudinem entis; cum ens in tota suâ latitudine aliud sit ens in actu, & aliud ens in potentia: Ergo quod est in potentia ad esse, non est antecedenter ad esse purum nihilum.

Respondeo negando minorem primi argumenti, & similiter minorem secundi, non enim ens rationis antecedenter ad esse habitum est purum nihilum, cujus ratio est, quia purum nihilum quod tale dicitur, quia defecit à tota latitudine entis, neque ab intrinseco neque ab extrinseco importat ens, sive nec includit ens nec connotat ens; ens autem rationis, licet antecedenter ad esse habitum non dicatur ens ab intrinseco, nec sit intrinsecè ens & positivum quid, saltem in communi & communiori sententia, [cui tamen non assentior ego, contrarium Deo dante demonstraturus in Metaphysica, ubi de conceptu quidditativo possibilitatis rerum] nihilominus importat ens rationis rationem entis ab extrinseco & eam connotat, in quantum scilicet est pro tunc in potentia suæ causæ, sive in potentia activa intellectus potentis illud intelligere, & ad illud terminari sub ratione entis quam proinde connotat, & ex quâ connotata dicitur illud ens rationis possibile, non quidem per aliquid intrinsecum seu intrinsecam entitatem positivam juxta præfatam sententiam, sed per potentiam extrinsecam suæ causæ seu intellectus, neque urget quod in contrarium adducitur, puta quod totum esse entis rationis sit esse actu cognitum & consequenter esse habitum; non inquam hoc urget quia hoc solum verificatur de toto esse entis rationis actuali, non autem de toto esse abstrahente vel ab actuali vel à possibili; tale namque consistit in esse objectivo, non autem in esse actu objecto; ac proinde cum antecedenter ad esse actu cognitum adhuc verificetur quod habeat esse objectivum, licet non habeat esse objectum, eo quod adhuc verificetur quod detur intellectus illius cognoscitivus qui quidem inquantum cognoscitivus est velut correlativus ad ejus esse ut objectivum, sicut ut cognoscens est correlativus ad ejus esse ut objectum, consequenter fit quod antecedenter ad esse actu cognitum adhuc sufficienter habeat esse ut non sit purum nihilum, non obstante præfata ratione adducta in contrarium.

Insta-

formas quasdam rationis ut scilicet subjecta sua formaliter denominent: neque enim habent illa subjectum inhæsionis, nec habere possunt, sed denominationis tantum. *Probatur Minor,* in qua est difficultas: dari non potest formalis denominatio cognoscentis aut videntis, quin detur simul & semel formalis denominatio visi vel cogniti; cum hæ sint correlativæ & mutuæ: Sed intellectus meus per illam denominationem extrinsecam cogniti sive per cognitionem suam ad Petrum terminatam denominatur formaliter cognoscens: Ergo & Petrus per id præcisè quod eamdem terminat cognitionem in quo consistit denominatio illa extrinseca, denominabitur formaliter cognitus.

Respondeo negando majorem. Ratio autem hujus negati, brevis quidem sed efficax hæc esse potest: ea quæ dicimus & admittimus nos entia rationis, talia non sunt nisi inquantum esse habent objectivum in intellectu; atqui denominatio illa extrinseca cogniti in Petro, verbi gratia, quamvis à cognitione activâ proveniat & per eam cognitionem Petrus habeat esse objectivum in intellectu; ipsa tamen denominatio cogniti non habet in intellectu esse objectivum, donec eadem denominatio quasi reflexe ab intellectu cognoscatur & concipiatur ad modum formæ alicujus in ipso Petro existentis, fiatque per consequens intrinseca denominatio ut per se patet; cum donec ita cognoscatur non habeat terminare, sed magis habeat terminari; Ergo falsa est major illa propositio quod denominationes extrinsecæ cogniti sint hoc idem quod dicimus & admittimus nos ens rationis.

Ad hujus autem probationem nego minorem, in qua scilicet dicitur quod denominatio extrinseca cogniti habeat formaliter denominare subjectum cognitum, pro quo, ne eadem inutiliter repetamus, videantur quæ dixi supra in responsionibus ad secundam objectionem & ad instantias. Ad tertium vero nego majorem: non enim inconveniens est quod formali denominationi cognoscentis correspondeat ex parte Petri, solum fundamentalis, licet absoluta denominatio cogniti; cujus ratio est, quia denominationes illæ cognoscentis aut cogniti, videntis aut visi non sunt correlativæ seu mutuæ, nisi quoad eorumdem coexistentiam, adeo ut non existat nec existere queat denominatio cognoscentis, verbi gratia, quin ei coexistat denominatio cogniti, non autem mutuæ sunt & correlativæ quoad modum denominandi, utpote qui variari solet & debet ex modo vario, quo solet forma se habere in

Nota.

uno

uno & altero denominato: unde sicut denominatur intrinsecè cognoscens, absque eo quod ei correspondeat ex parte objecti denominatio intrinseca cogniti, sed extrinseca tantum, ex eo scilicet quod cognitio denominans est intrinseca cognoscenti & extrinseca solum respectu objecti cogniti; ita similiter denominari potest formaliter cognoscens & videns ex visione & cognitione, absque eo quod correspondeat ex parte objecti denominatio formalis cogniti, ex eo scilicet quod cognitio cum objectum non informet, non denominet consequenter per modum formæ, sed fundamentalis solum ac absoluta, utpote quæ fundamentum præbet intellectui ad reflectendum supra rationem cogniti, eamque apprehendendi rationem per modum formæ alicujus intrinsecè afficientis sive denominantis objectum cognitum.

Instabis: si à denominationibus illis extrinsecis cogniti condistinguerentur entia rationis, condistinguerentur ad aliquem finem; Sed ad nullum conducunt finem rationis entia ita condistincta: Ergo non sunt de facto ab illis denominationibus condistincta. Major per se patet, quod enim non est ad finem aliquem, cum superfluum sit non est admittendum. *Probatur Minor*: ideo condistinguuntur entia rationis à denominationibus illis extrinsecis cogniti, quia ratio cogniti se habet in illis per modum intrinsecè afficientis, non autem in istis; Sed quod ratio cogniti ita se habeat & ita consideretur ad nihil prorsus conducit; nec enim assignabile est ad quid conducat: Ergo ad nullum conducunt finem entia rationis ita à denominationibus cogniti condistincta.

Nota. *Respondeo* negando minorem; ad cujus probationem nego similiter minorem: quod enim denominationes illæ extrinsecæ cogniti fiant intrinsecè & formaliter denominantes, adeò ut ratio illa cogniti apprehendatur ab intellectu ad modum formæ alicujus intrinsecæ & intrinsecè afficientis & denominantis, ad duo conducit maximè necessaria, tum ut intellectus cognoscat quænam denominatio cuilibet competat rei, tum ut cognoscat naturam illius cui competit denominatio; cujus ratio est quia ratio illa cogniti sic vel sic, per hoc quod ita apprehenditur ad modum formæ intrinsecæ & intrinsecè afficientis vel denominantis sortitur rationem prædicati respectu objecti quod denominat, nec habet se ratio illa cogniti per modum prædicati, donec per actum illum reflexum intellectus ita apprehendatur ut existens quid in objecto, cum tunc solum objectum apprehensum habeat se respectu illius per

per consequens naturam entis rationis condistincti ab ente reali, sicque unitas rationis est de necessitate ens rationis, his ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

CONCLUSIO: *Datur seu dari potest ens rationis.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, *Ens rationis, sivè affirmetur dari sivè negetur, semper apprehensivè concipitur;* Ergo datur seu dari potest ens rationis. *Probatur consequentia,* ens rationis habet esse per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur: Ergo hoc ipso quod semper apprehensivè concipitur, sivè affirmetur dari, sivè negetur, hoc ipso datur: consequentia est evidens. *Probatur antecedens*, hoc ipso quod ens rationis est in conceptu certum quid, hoc ipso habet esse; sed per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur, sivè ab affirmante sivè à negante, est certum quid in apprehensivo conceptu: Ergo per hoc præcisè quod apprehensivè concipitur habet esse, *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*, quod est in apprehensivo conceptu, nec est in illo nihilum aut tanquam nihilum, est certum quid in tali conceptu; sed hoc ipso quod ens rationis apprehensivè concipitur, est objectivè scilicet in apprehensivo conceptu & non est tanquam nihilum: Ergo hoc ipso est certum quid in tali conceptu: *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor*: Ens rationis non est in apprehensivo conceptu, nisi id quod deinde per affirmativum aut negativum conceptum negamus aut affirmamus, ut per se patet; cum non negemus nisi quod apprehendimus: Sed qui negat ens rationis, non negat esse nihilum, sed qui negat esse ens: Ergo non est ens rationis, in apprehensivo conceptu nihilum seu tanquam nihilum; Ergo hoc ipso quod apprehensivè concipitur sive ab affimante sive negante, est certum quid in apprehensivo conceptu; Ergo hoc ipso quod apprehensivè concipitur hoc ipso datur; atqui sive affimetur dari sive negetur, semper apprehensivè concipitur; ergo hoc ipso quod sive affirmetur dari sive negetur apprehensivè concipitur (quod est primum præmissum principium) hoc ipso datur Ens rationis.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio, *datur forma syllogistica*; Ergo & datur Ens rationis. *Probatur consequentia*: forma syllogistica importat ens rationis: Ergo hoc ipso quod talis datur syllogistica forma, datur hoc ipso ens rationis. *Probatur antecedens*: forma syllogistica in illo ut plurimum fundatur principio: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem*

in-

inter se; Sed principium illud importat ens rationis: Ergo & forma syllogistica. *Major* admittitur ab omnibus. *Probatur minor*: principium illud quæ sunt eadem &c. ternarium quemdam importat numerum; Sed ternarius ille quem importat numerus est ens rationis; Ergo præfatum illud principium importat ens rationis. *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*: numerus qui realis non est, nec realiter formalis, non potest non esse ens rationis; Sed numerus ille quem importat præfatum principium, nec realis est nec ut plurimum realiter formalis; ergo numerus ille est ens rationis. Major per se patet. *Probatur minor*: numerus exurgit ex numeratis ut plura sunt, & non prout sunt idem ut per se patet; Sed quæ numerantur in tali principio sunt semper realiter idem, ut patet ex terminis; & esse possunt realiter formaliter idem, ut accidit quando probatur ex illo principio, duo aliqua esse idem inter se etiam formaliter: Ergo numerus ille quem importat præfatum principium nec realis est nec aliquando realiter formalis: Ergo numerus ille quem importat principium illud est ens rationis: Ergo principium in quo fundatur ars syllogistica importat ens rationis: ergo & importatur ens rationis in formâ syllogisticâ: ergo hoc ipso quod datur forma syllogistica, [quod est secundum præmissum principium] datur hoc ipso ens rationis.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, *unitas rationis est ens rationis*: Ergo datur seu dabile est ens rationis. *Probatur consequentia*; datur unitas rationis: Ergo hoc ipso quod unitas rationis est ens rationis, datur hoc ipso ens rationis, *Probatur antecedens*: definitum est unum quid, respectu definitionis, & definitio aliud unum, respectu definiti: Sed unitas illa qua sunt definitum & definitio unum & unum est unitas rationis tantum: Ergo datur unitas rationis. *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor*: talis est unitas qualis est divisio rei, cujus est unitas ab omni alio; Sed divisio definiti à definitione, verbi gratia, hominis ab animali rationali & è contra est divisio rationis tantum: Ergo & unitas qua sunt definitum & definitio unum & unum, est tantum rationis. *Major patet*, cum sit unitas indivisio rei in se, & divisio à quolibet alio. *Probatur minor*: divisio seu distinctio definiti à definitione puta hominis ab animali rationali est talis, qua non possit assignari minor ut consideranti patebit, nisi sit nugatoria distinctio, ut est ea, v. g. quæ est inter Petrum & Petrum; Sed si divisio illa definiti à definitione non esset rationis tantum

(posset tunc assignari divisio minor, ea scilicet quæ est tantum rationis: Ergo divisio illa, quâ definitum est divisum quid à definitione, est rationis tantum; Ergo unitas illa qua definitum & definitio sunt unum & unum est unitas tantum rationis: Ergo datur unitas quæ est tantummodo unitas rationis: Ergo hoc ipso quod unitas rationis est ens rationis [quod est tertium præmissum principium] sequitur dari ens rationis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Objicies 1. Ens rationis est aliquid, cujus totum esse est esse objectivè in intellectu; Sed impossibile est dari tale quid; Ergo & impossibile est ens rationis. *Probatur Minor:* id cujus totum esse est esse objectivè; non est habens esse objectivè; Sed impossibile est dari aliquid cujus esse sit esse objectivè, & quod non sit habens esse objectivè; Ergo impossibile est dari aliquid cujus totum esse sit esse objectivè *Minor patet. Probatur major:* in omni eo quod habet esse aliquod, aliud est esse habitum & aliud id quod habet, ut patet in inductione; Sed in eo cujus totum esse est esse objectivè, non aliud est præter esse objectivum; Ergo id cujus totum esse est esse objectivè, non est habens esse objectivè.

Respondeo Negando minorem: quæro namque ab arguente, num quando negat ens cujus totum esse sit esse objectivè in intellectu, num inquam apprehendat illud quod negat, & neget id quod apprehendit: Sed negat hic aliquid, cujus totum esse sit esse objectivè; Ergo supponi debet apprehendere aut apprehendisse tale quid, cujus totum esse sit esse objectivè; Sed tale quid ita apprehensum non aliud habet esse præter esse objectivum ut supponitur: Ergo hoc ipso quod negat possibile esse tale quid, locum præbet ad probandum quod possibile sit & quod detur. Neganda ergo est illa minor; ad cujus probationem nego majorem, ob rationem mox afferendam. Unde ad tertium in quo sita videtur vis argumenti, Distinguo majorem: in omni eo quod habet esse aliquod aliud est esse habitum, & aliud id quod habet. Si sermo sit de eo quod habet esse mediâ receptione, concedo, sin minus nego; & concessa minori nego consequentiam, aut distinguo similiter consequens.

Verum ergo quod ubi habens esse habet media receptione, quod ibi aliud est esse habitum & aliud id quod habet, ex eo sci-

ſcilicet quod habens habendo ſe ibi per modum recipientis, habet ſe per modum materialis cauſæ & eſſe habitum prout receptum ad modum materialiter cauſati, ſubindeque neceſſario diſtingui ibi debet aliud & aliud: & ideo quia creaturæ omne quod habent reale eſſe habent media receptione, eo quod habeant ut perfectibile perfectionem, propterea in omni creatura diſtinguitur id quod habet, & eſſe habitum, juxta illud Boëtii *in libro de hebdomadibus*: *In omni eo quod eſt citra ens primum aliud eſt eſſe & id quod eſt:* verum tamen ubi habens eſſe non habet media receptione, tunc falſum eſt quod ibi aliud ſit eſſe habitum & aliud id quod habet, quod quidem patet evidenter in Deo, in quo non aliud eſt bonitas habita, & aliud habens bonitatem ſed ipſe Deus qui habet bonitatem eſt ipſa bonitas habita, & ipſa bonitas eſt ipſe Deus: modo ſic eſt, quod ens rationis, ſive illud cujus totum eſſe ſupponitur eſſe objectivè non eſt habens eſſe illud objectivum media receptione, tum quia eſſe quod habetur media receptione eſt eſſe ſubjectivum ſeu ſubjectatum & non tantum objectivum, tum etiam quia id quod habet ita totum ſuum eſſe objectivè, totum habet, quia objicitur, quod quidem verificatur ſecluſa etiam per intellectum omni receptione: Ergo quantumcumque ſupponatur aliquid habere totum ſuum eſſe objectivè, non propterea verificatur quod totum ejus eſſe ſit eſſe objectivè & quod illud idem non ſit habens eſſe objectivè.

Inſtabis: Illud cujus totum eſſe eſt eſſe objectivè, habet tantum eſſe quia objicitur: Sed de nullo verificari poteſt quod habeat tantum eſſe quia objicitur; Ergo de nullo verificari poteſt quod totum ejus eſſe ſit eſſe objectivè. *Major patet: Probatur minor*: omne quod intellectui objicitur, vel objicitur ens vel objicitur non ens: Sed nec quod objicitur ens, nec quod objicitur non ens habet tantum eſſe quia objicitur: Ergo de nullo verificari poteſt quod habeat tantum eſſe quia objicitur. *Major patet*: ſicut & minor quoad ſecundam partem: quid enim objicitur non ens, eſt non ens objectivè, ſubindeque non habet eſſe quia objicitur. *Probatur* igitur *minor*: quoad primam partem. Quod potius objicitur, quia eſt ens, non tantum habet eſſe, quia objicitur; Sed quod intellectui objicitur ens, verè ita objicitur quia eſt ens; Ergo nec quod objicitur ens, habet tantum eſſe quia objicitur. *Major patet. Probatur Minor*: inter ens & non ens non datur medium; Sed quod objicitur ens,

non ita objicitur quia non ens: Ergo quod intellectui objicitur ens, verè ita objicitur, quia est ens.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas ex conclusionis probationibus colligi potest; & ulterius ex hoc colligitur argumento. Falsum est de nullo verificari posse quod habeat esse fictum ab intellectu; alias verum non esset quod posset intellectus fingere: Sed esse fictum ab intellectu in tantum habet esse inquantum intellectui fingenti objicitur, ut per se patet: Ergo falsum est de nullo verificari posse, quod habeat tantum esse quia objicitur, ad probationem autem hujus minoris nego similiter minorem, præsertim quoad primam partem: esse namque fictum, hoc ipso quod objicitur intellectui tale, objicitur ens cum objiciatur fictum & non sit fictum, nisi inquantum ens, & tamen ly esse fictum ut dictum fuit supra habet tantum esse, quia objicitur; falsa ergo est secunda illa minor sicut & prima.

Nota.

Ad tertium vero nego etiam minorem, si nimirum sumatur ut sumitur in argumento, universaliter & indefinite: licet enim ex his quæ intellectui objiciuntur sub ratione entis plura immo & ferè omnia ita objiciantur, quia sunt ens, non tamen est hoc universaliter verum, cujus ratio est, quia inter ea quæ intellectui objiciuntur alia sunt quæ ipsum movent intellectum, & talia verè ita objiciuntur, quia sunt ens; Sed alia sunt quæ intellectui objiciuntur non ut ipsum moventia ad sui cognitionem, sed præcisè ut ejus terminantia cognitionem, & ad aliud supponentia, ex quo moveatur intellectus, & talia sunt entia rationis quæ cum concipiantur ad modum entis realis supponunt reale ens ex quo moveatur intellectus ad eorum cognitionem & ipsa solum habent ejus terminare cognitionem: talia autem cum non sint moventia ad cognitionem sed solum terminantia, magis ad cognitionem sive ad ipsum objici consequuntur, quam præcedant, subindeque non ideo objiciuntur ens, quia sunt ens, sed potius ideo sunt ens & habent esse quia objiciuntur ens. Ad ultimum autem Distinguo majorem sic: inter ens & non ens non datur medium, quantum ad esse unum vel alterum, concedo: quantum ad esse per unum vel per alterum nego; licet enim omne quod intelligitur vel sit ens vel sit non ens, non tamen omne quod est habet esse id quod est vel per hoc quod sit ens vel per hoc quod sit non ens: homo namque verbi gratia, neque quia non ens neque quia ens habet esse homo, sed quia est animal rationale: similiter ergo dicendum in præsenti, quod illud om-

Nota.

ne quod objicitur ens, neque quia est non ens ita objicitur, neque etiam quia est ens, sed objicitur ens, quia intellectus motus per speciem entis realis, illud concipit ad modum entis, dum scilicet in se supponitur non ens.

Objicies secundò, in tantum datur aliquid aut dari intelligitur, inquantum formalem habet existentiam, qua scilicet formaliter existat; Sed non est assignabilis formalis existentia in ente rationis : Ergo nec intelligibile est dari posse ens rationis. *Probatur Minor* : si formaliter existeret ens rationis, vel per propriam vel per alienam existentiam, sive vel per existentiam sui fundamenti, vel per aliam sibi propriam : Sed neutrum dici potest: Ergo non est assignabilis formalis existentia in ente rationis. *Probatur Minor* & primo quidem pro existentia fundamenti : effectus realis formalis existentiæ non est tantum formaliter sed & realiter existere, cum formalis effectus sit ipsa forma ut communicata ; sed ens rationis non potest dici realiter existens : Ergo nec potest formaliter existere per existentiam realem fundamenti. *Probatur* autem eadem minor quoad alteram partem : existentia propria entis rationis non alia esse potest quam existentia rationis ; Sed quod dicitur ens rationis, formaliter existit ante existentiam rationis, cum antecedenter ad omnem cognitionem rationis cæcitas, quæ reputatur ens rationis hominem denominet formaliter cæcum : Ergo neç per propriam existentiam habet ens rationis quod existat formaliter.

Respondeo negando minorem. Ad cujus probationem concessa majori & minori quantum ad existentiam fundamenti, eamdem nego quantum ad aliud membrum de propria existentia. Licet enim concedant nonnulli formaliter existere ens rationis per existentiam sui fundamenti, quamvis minus connaturalem : immerito tamen illud conceditur tum propter rationem in contrarium adductam in argumento, quæ quidem meo judicio efficaciter probat, tum quia cum res producatur, quando ei formalis communicatur existentia, tunc per consequens produceretur ens rationis quando illius produceretur fundamentum, subindeque nec esset ens rationis, cum ita independens esset à ratione in sui esse & produci. Concessa igitur minori illa quantum ad membrum de existentia fundamenti ; nego eandem quoad alterum membrum. Ad hujus autem membri probationem nego similiter minorem puta quod non existat formaliter ens rationis per existentiam rationis. Dicit enim D. Thomas *opusculo 42. cap. 1. tunc effici ens*

rationis, quando intellectus nititur apprehendere id quod non est admodum entis, hæc ille id : ex quibus evidenter sequitur quod in sententia divi Thomæ antecedenter ad talem apprehensionem rationis nullam habet ens rationis existentiam formalem, nec connaturalem, nec alienam, cum in ejus sententia antecedenter ad talem apprehensionem sit adhuc ens rationis intra causas & consequenter intra statum possibilitatis.

Non ergo existit ens rationis formaliter nisi per existentiam rationis, quæ quidem rationis existentia consistit in passiva terminatione actualis cognitionis intellectus seu rationis; potestque illud ulterius colligi ex formali ratione formalis cujuslibet existentiæ, quæ consistit in hoc quod sit ultima rei existentis actualitas: cum ergo ultima actualitas entis rationis cujus totum esse est esse objectivum, sit haud dubiè objici actualiter intellectui & illius actualem cognitionem ad modum entis terminare, evidenter sequitur per eam tantum rationis existentiam seu passivam terminationem actualis cognitionis posse ens rationis formaliter existere. Ad id autem, quod in contrarium adducitur in argumento, quod cæcitas v. g. quæ reputatur ens rationis habet formaliter denominare cæcum antecedenter ad omnem considerationem rationis. Respondeo & illud similiter negando: licet enim ex fundamento proximo cæcitatis & antecedente ad operationem intellectus concipientis privationem visus ad modum formæ intrinsecæ homo denominari possit absolutè, simpliciter, & fundamentaliter cæcus, non tamen formaliter: quia autem solutio hæc quæ quidem recurrit pluries in materiis & Philosophicis & Theologicis, quia inquam qua facilitate adducitur, eadem facilitate refelli & negari potest, nisi aliundè fulciatur, propterea.

Instabis 1. gratis dicitur hominem antecedenter ad operationem intellectus non denominari formaliter, sed tantum absolutè aut fundamentaliter cæcum : Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*: gratis hoc dicitur, si hujus assignari non possit ratio, nisi recurrendo ad negatum principium; sed revera sic est; quod hujus assignari non potest ratio nisi recurrendo ad negatum principium; Ergo quod in solutione adducitur gratis & sine fundamento dicitur. *Probatur Minor*: ideo dicitur homo non denominari formaliter cæcus, antecedenter ad præfatam rationis operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio visus ad modum cujusdam intrinsecæ formæ quæ pro tunc nondum sic intelligitur : Sed hoc est quod negatur

gatur principium : Ergo solutionis adductæ assignari non potest ratio, nisi recurrendo ad negatum principium.

Respondeo negando antecedens. Ad cujus probationem nego minorem. Ad tertium verò, in quo sita est difficultas, distinguo majorem : ideò dicitur homo non denominari formaliter cæcus, antecedenter ad præfatam intellectus operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio ad modum cujusdam intrinsecæ formæ, ita quod ly quia sit principium seu ultima ratio unde hoc deducitur nego, ita quod ly quia sit ibi loco principii & rationis ultimatæ concedo : sed exinde nil contra solutionem, ut mox dicemus, dico igitur rationem adductam puta quod homo non denominetur formaliter cæcus antecedenter ad præfatam intellectus operationem, quia ad hoc intelligi debet privatio visus ad modum formæ alicujus intrinsecæ quæ pro tunc nondum intelligitur, esse quidem rationem immediatam, non tamen ultimatam & principiativam : datur namque rationis hujus ratio altera, quæ hæc est : in creatis esse tale formaliter non potest non esse effectus formalis & quia effectus formalis est ipsamet forma ut communicata, consequenter fit, quod omne quod est & dicitur tale formaliter, habet esse tale ratione alicujus sibi communicati & superadditi : atqui seclusa in præsenti casu [& sic in aliis casibus & exemplis quæ in hac vel aliis materiis objici solent] privatione visus ut intellectâ ad modum formæ alicujus intrinsecæ, non est assignabile quid sit illud, quo superaddito & communicato fit & dicatur formaliter cæcus : Ergo dato quod prima & immediata ratio solutionis præcedentis, negari soleat dum nude assumitur, non tamen negabitur in præsenti, quia hic non proponitur nuda, sed fulcita irrefragabili principio, puta quod in creatis esse formaliter tale fit effectus formalis, quod quidem est certissimum, cum ad differentiam entis increati quod est per se ipsum, & non per causam tale, esse tale in creatis, sit tale per causam, & causa illa non alia esse possit quam formalis causa, cum supponatur tale formaliter : non ergo recurrimus & nos ad negatum principium in assignanda ratione præfatæ seu præcedentis solutionis.

Instabis 2. nihil facit denominatio illa formalis, sive ly esse formaliter tale, ad quod non sufficiat denominatio absoluta & fundamentalis, sive esse tale absolutè & fundamentaliter : Ergo frustra additur denominatio illa formalis, supposita denominatione absoluta : sed forma illa rationis de qua est ibi sermo, v. g. privatio visus intellecta ad modum formæ alicujus,

hæc

hæc inquam forma rationis non admittitur nisi ad denominandum formaliter & præbendum esse formaliter tale : Ergo frustra admittuntur formæ illæ rationis, ac proinde nec dantur, ne frustra dentur.

Respondeo negando antecedens per hoc enim quod res sit formaliter talis, novum quoddam constituit genus, cum forma per quam formaliter fit talis utpotè ei communicata & superaddita sit ab eâ alterius rationis ; & quidem genericæ ut plurimum, quod quidem patet in exemplo de duobus albis : hæc enim seclusa forma seu relatione superaddita similitudinis denominantur denominatione absoluta similia, ita tamen quod maneant semper intra limites generis qualitatis ; at hoc ipso quod fiunt formaliter similia per adventum formæ, seu relationis similitudinis extrahuntur è genere qualitatis & ponuntur reductivè in genere relationis : cum ergo quod facit unum genus non possit aliud facere & præstare, consequenter sit falsum esse præfatum antecedens, quod scilicet nil faciat denominatio illa formalis sivè ly esse formaliter tale, ad quod non sufficiat denominatio absoluta, subindeque & falsum est quod frustra addatur denominatio illa formalis, supposità denominatione absoluta, portò ex his solutionibus & responsionibus, tum ad objectionem, tum ad instantias colligimus quod quamvis antecedenter ad cognitionem intellectus dicatur Deus absolutè & simpliciter Dominus creaturarum ; & Christus filius Beatæ Virginis ; & Eucharistia Sacramentum & signum ; & imago alicujus non existentis dicatur absolutè illius imago, & signum alicujus ad placitum dicatur absolutè illius signum, & manu ducat in illius cognitionem, quia ad hoc sufficit quod ejus existat fundamentum, scilicet impositio ad hoc significandum non retractata, sicut & ad hoc ut Sacramentum dicatur absolutè signum & Sacramentum sufficit fundamentum talis significationis, impositio scilicet non retractata, qua Christus tale Sacramentum imposuit ad significandum : nihilominus ut hæc omnia denominentur formaliter talia, cum juxta præfatam doctrinam requiratur forma aliqua ad modum formæ intrinsecæ, necesse est præcedere operationem intellectus, qui ibi apprehendat rationes quasdam rationis ea intrinsecè & formaliter denominantes.

Nota.

Objicies 3. omne quod est, aut datur præter Deum fuit prius in potentia ad esse ; Sed ens rationis quod dari supponitur non prius fuit in potentia ad esse, Ergo falsò supponitur dari. Major patet, *Probatur Minor* ; quod est in potentia ad esse

non

non est antecedenter ad esse purum nihilum; Sed ens rationis antecedenter ad esse habitum est purum nihilum: Ergo ens rationis non fuit in potentia ad esse. Minor est certa cum totum esse entis rationis sit esse actu cognitum & consequenter esse habitum. *Probatur Major*: purum nihilum deficit à tota latitudine entis; Sed quod est in potentiâ ad esse est intra latitudinem entis; cum ens in tota sua latitudine aliud sit ens in actu, & aliud ens in potentia: Ergo quod est in potentia ad esse, non est antecedenter ad esse purum nihilum.

Respondeo negando minorem primi argumenti, & similiter minorem secundi, non enim ens rationis antecedenter ad esse habitum est purum nihilum, cujus ratio est, quia purum nihilum quod tale dicitur, quia deficit à tota latitudine entis, neque ab intrinseco neque ab extrinseco importat ens, sive nec includit ens nec connotat ens; ens autem rationis, licet antecedenter ad esse habitum non dicatur ens ab intrinseco, nec sit intrinsecè ens & positivum quid, saltem in communi & communiori sententia, [cui tamen non assentior ego, contrarium Deo dante demonstraturus in Metaphysica, ubi de conceptu quidditativo possibilitatis rerum] nihilominus importat ens rationis rationem entis ab extrinseco & eam connotat, in quantum scilicet est pro tunc in potentia suæ causæ, sive in potentia activa intellectus potentis illud intelligere, & ad illud terminari sub ratione entis quam proinde connotat, & ex quâ connotata dicitur illud ens rationis possibile, non quidem per aliquid intrinsecum seu intrinsecam entitatem positivam juxta præfatam sententiam, sed per potentiam extrinsecam suæ causæ seu intellectus, neque urget quod in contrarium adducitur, puta quod totum esse entis rationis sit esse actu cognitum & consequenter esse habitum; non inquam hoc urget quia hoc solum verificatur de toto esse entis rationis actuali, non autem de toto esse abstrahente vel ab actuali vel à possibili; tale namque consistit in esse objectivo, non autem in esse actu objecto; ac proinde cum antecedenter ad esse actu cognitum adhuc verificetur quod habeat esse objectivum, licet non habeat esse objectum, eo quod adhuc verificetur quod detur intellectus illius cognoscitivus qui quidem inquantum cognoscitivus est velut correlativus ad ejus esse ut objectivum, sicut et cognoscens est correlativus ad ejus esse ut objectum, consequenter fit quod antecedenter ad esse actu cognitum adhuc sufficienter habeat esse ut non sit purum nihilum, non obstante præfata ratione adducta in contrarium.

Insta-

Instabis: purum nihilum est similiter ens ab extrinseco: Ergo quod ens rationis sit ita ens ab extrinseco, non impedit quo minus antecedenter ad esse habitum sit purum nihilum. *Probatur antecedens*: ideo ens rationis est ita ab extrinseco ens, quia supponit & connotat intellectum potentem illud intelligere ut ens; Sed etiam purum nihilum supponit & connotat eumdem intellectum illud potentem intelligere, etiam ut ens: Ergo & purum nihilum est similiter ens ab extrinseco.

Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem nego minorem utpote quæ in duobus & ex duplici capite reperitur falsa. Primo quidem falsa est in eo quod dicit purum nihilum supponere & connotare intellectum. Etenim quod aliud supponit & connotat non est nisi illo alio supposito & connotato; atqui sive sit & supponatur intellectus sive non supponatur, sed impossibilis sit, adhuc est purum nihilum. quin immo ex impossibilitate intellectus exurgit, ut ita dicam, purum nihilum ut per se patet: Ergo falsum est quod purum nihilum supponat & connotet intellectum. 2. falsa est illa eadem minor, in eo scilicet quod dicit in fine, puta quod purum nihilum supponat & connotet intellectum potentem illud intelligere ut ens: dato namque quod purum nihilum supponeret & connotaret intellectum, non tamen ut potentem illud intelligere ad modum entis, sed magis ut potentem illud intelligere, ut deficiens à tota latitude entis, cujus ratio est, quia quod supponit intellectum ut potentem illud intelligere ut ens, se habet in hoc statu per modum entis terminativi, aut terminativi sub ratione entis, proindeque cum esse ita terminativum sit aliqua ratio entis, non potest consequenter illud competere puro nihilo, quod inquantum tale habet deficere à tota latitudine, subindeque ab omni ratione entis, non ergo inferri potest ex hac instantia ens rationis converti cum puro nihilo, quin imo duplex ex ejus solutione deducitur ratio ex qua validissimè, ne dicam demonstrativè probatur ens rationis aliud esse à puro nihilo, subindeque & esse admittendum.

Nota. Ex prima namque parte solutionis sic arguo: tantum abest quod purum nihilum ut tale sit, supponat & connotet intellectum, quin imo ex impossibilitate intellectus exurgit purum nihilum ut per se patet; atqui hoc verificari non potest de ente rationis, quod scilicet totum suum esse habeat per esse objectivè in intellectu: Ergo illud cujus totum suum esse est

esse

esse objectivè in intellectu & quod dicitur ens rationis, est aliud à puro nihilo & consequenter admittendum : idem etiam ex secunda solutionis parte similiter deducitur, sic enim ex hac arguo parte : terminativum intellectus sub ratione entis est haud dubiè aliqua ratio entis , cum sit connexum cum ipso ente, sive cum ipsa ratione entis sub qua terminat, quod quidem dici non potest de puro nihilo : Sed purum nihilum deficit à tota latitudine entis subindeque ab omni ejus ratione : Ergo terminativum intellectus sub ratione entis est aliud à puro nihilo : Sed ens rationis hoc ipso quod tale est ita terminativum sive petit terminare intellectum sub ratione entis : Ergo ens rationis est aliud à puro nihilo, quod quidem dato quod ut tale terminare possit ita intellectum, non tamen ut tale petit sic terminare, ut intelligatur vel ut sit purum nihilum. Unde tertium exinde conficio argumentum ex quo non minus validè probatur idem quod prius : illud quod nedum potest, sed etiam petit terminare intellectum sub ratione entis non potest non esse aliud ab eo, quod potest quidem [ex dato tamen & non concesso] sed minimè petit : atqui ens rationis nedum potest, sed etiam petit intellectum terminare sub ratione entis; hoc autem minimè petit purum nihilum, ut tale sit aut tale intelligatur : Ergo ens rationis verè aliud est à puro nihilo, ac proinde est admittendum tanquam aliud à nihilo. *Nota.*

Objicies 4. denominationes extrinsecæ cogniti, sunt ea quæ dicimus nos entia rationis; Sed denominationes illæ extrinsecæ sunt quid reale ; Ergo & ea quæ diximus nos entia rationis sunt quid reale, ac proinde non dantur entia rationis condistincta ab ente reali. Minor est certissima : etenim denominatio extrinseca cogniti [& sic de cæteris denominationibus extrinsecis] est in recto ipsa cognitio ut terminata ad Petrum, cum ex hoc præcisè & secluso quocumque alio Petrus denominetur cognitus, patet autem quod cognitio ut ita terminata est quid reale, cum ut talis realiter pendeat mensuretur & specificetur à Petro, ut concedunt omnes Philosophi; verissima est igitur illa minor. *Probatur Major :* in quo sita est difficultas: ea quæ admittimus nos entia rationis, ideo admittimus ut formaliter denominent subjecta sic vel sic cognita : Sed denominationes extrinsecæ cogniti habent etiam formaliter denominare; Ergo denominationes extrinsecæ cogniti sunt ea quæ dicimus nos entia rationis. Major est certa, ideo namq; entia rationis præsertim logicalia volumus nos esse formas

formas quasdam rationis ut scilicet subjecta sua formaliter denominent: neque enim habent illa subjectum inhæsionis, nec habere possunt, sed denominationis tantum. *Probatur Minor,* in qua est difficultas: dari non potest formalis denominatio cognoscentis aut videntis, quin detur simul & semel formalis denominatio visi vel cogniti; cum hæ sint correlativæ & mutuæ: Sed intellectus meus per illam denominationem extrinsecam cogniti sive per cognitionem suam ad Petrum terminatam denominatur formaliter cognoscens: Ergo & Petrus per id præcisè quod eamdem terminat cognitionem in quo consistit denominatio illa extrinseca, denominabitur formaliter cognitus.

Respondeo negando majorem. Ratio autem hujus negati, brevis quidem sed efficax hæc esse potest: ea quæ dicimus & admittimus nos entia rationis, talia non sunt nisi inquantum esse habent objectivum in intellectu; atqui denominatio illa extrinseca cogniti in Petro, verbi gratia, quamvis à cognitione activâ proveniat & per eam cognitionem Petrus habeat esse objectivum in intellectu; ipsa tamen denominatio cogniti non habet in intellectu esse objectivum, donec eadem denominatio quasi reflexe ab intellectu cognoscatur & concipiatur ad modum formæ alicujus in ipso Petro existentis, fiatque per consequens intrinseca denominatio ut per se patet; cum donec ita cognoscatur non habeat terminare, sed magis habeat terminari; Ergo falsa est major illa propositio quod denominationes extrinsecæ cogniti sint hoc idem quod dicimus & admittimus nos ens rationis.

Ad hujus autem probationem nego minorem, in qua scilicet dicitur quod denominatio extrinseca cogniti habeat formaliter denominare subjectum cognitum, pro quo, ne eadem inutiliter repetamus, videantur quæ dixi supra in responsionibus ad secundam objectionem & ad instantias. Ad tertium vero nego majorem: non enim inconveniens est quod formali denominationi cognoscentis correspondeat ex parte Petri, solum fundamentalis, licet absoluta denominatio cogniti; cujus ratio est, quia denominationes illæ cognoscentis aut cogniti, videntis aut visi non sunt correlativæ seu mutuæ, nisi quoad eorumdem coexistentiam, adeo ut non existat nec existere queat denominatio cognoscentis, verbi gratia, quin ei coexistat denominatio cogniti, non autem mutuæ sunt & correlativæ quoad modum denominandi, utpote qui variari solet & debet ex modo vario, quo solet forma se habere in

Nota.

uno

uno & altero denominato: unde sicut denominatur intrinsecè cognoscens, absque eo quod ei correspondeat ex parte objecti denominatio intrinseca cogniti, sed extrinseca tantum, ex eo scilicet quod cognitio denominans est intrinseca cognoscenti & extrinseca solum respectu objecti cogniti; ita similiter denominari potest formaliter cognoscens & videns ex visione & cognitione, absque eo quod correspondeat ex parte objecti denominatio formalis cogniti, ex eo scilicet quod cognitio cum objectum non informet, non denominet consequenter per modum formæ, sed fundamentalis solum ac absoluta, utpote quæ fundamentum præbet intellectui ad reflectendum supra rationem cogniti, eamque apprehendendi rationem per modum formæ alicujus intrinsecè afficientis sive denominantis objectum cognitum.

Instabis; si à denominationibus illis extrinsecis cogniti condistinguerentur entia rationis, condistinguerentur ad aliquem finem; Sed ad nullum conducunt finem rationis entia ita condistincta: Ergo non sunt de facto ab illis denominationibus condistincta. Major per se patet, quod enim non est ad finem aliquem, cum superfluum sit non est admittendum. *Probatur Minor*: ideo condistinguuntur entia rationis à denominationibus illis extrinsecis cogniti, quia ratio cogniti se habet in illis per modum intrinsecè afficientis, non autem in istis; Sed quod ratio cogniti ita se habeat & ita consideretur ad nihil prorsus conducit; nec enim assignabile est ad quid conducat: Ergo ad nullum conducunt finem entia rationis ita à denominationibus cogniti condistincta.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem nego similiter minorem: quod enim denominationes illæ extrinsecæ cogniti fiant intrinsecè & formaliter denominantes, adeò ut ratio illa cogniti apprehendatur ab intellectu ad modum formæ alicujus intrinsecæ & intrinsecè afficientis & denominantis, ad duo conducit maximè necessaria, tum ut intellectus cognoscat quænam denominatio cuilibet competat rei, tum ut cognoscat naturam illius cui competit denominatio; cujus ratio est quia ratio illa cogniti sic vel sic, per hoc quod ita apprehenditur ad modum formæ intrinsecæ & intrinsecè afficientis vel denominantis sortitur rationem prædicati respectu objecti quod denominat, nec habet se ratio illa cogniti per modum prædicati, donec per actum illum reflexum intellectus ita apprehendatur ut existens quid in objecto, cum tunc solum objectum apprehensum habeat se respectu illius per *Nota.*

modum subjecti : jam sic est quod notitia alicujus sub ratione prædicati conducit maximè ad notitiam habendam de natura illius cujus est prædicatum. Tum quia non aliter explicari solet & manifestari natura nisi inquantum ejus exponuntur & manifestantur prædicata; tum quia quod aliquid sit alterius prædicatum, ex eo solum provenit, quia illud alterum talis est naturæ, quod tale petat habere prædicatum, cum prædicatum ut prædicatum debeat esse præcontentum in eo cujus est prædicatum ; atque ita cognosci non potest per actum illum reflexum intellectus quod esse cognitum sic vel sic sit prædicatum, seu habeat se per modum prædicati, quin cognoscatur natura illius, respectu cujus se habet per modum prædicati ; Ergo quod denominationes illæ extrinsecæ cogniti fiant intrinsecè & formaliter denominantes, sive quod ratio illa cogniti apprehendatur ita ab intellectu per modum formæ alicujus intrinsecæ, hoc inquam conducit maximè ad hoc, ut intellectus cognoscat naturas rerum denominatarum, proindeque & ut cognoscat, quæ & quænam denominatio cuilibet competeret rei.

Objicies ultimò : Omne quod præter Deum est, extra nihilum est ex vi alicujus causæ efficientis ; Sed non potest ens rationis esse ex vi alicujus causæ efficientis : Ergo nec esse potest extra nihilum, nec consequenter dari. Major est certa ; cum enim omne quod est præter Deum extra nihilum sit ex vi alicujus causæ, & sublata causa efficiente omnes aliæ auferantur causæ, cum finalis causa sit propter quam, & materialis sit in qua, & formalis sit qua efficiens causa operatur, consequenter fit quod omne quod præter Deum est extra nihilum sit ex vi alicujus efficientis. *Probatur Minor* : causa hoc ipso & secundum quod speculativa est, non est efficiens seu effectiva ; Sed dato quod ens rationis sit, est ex vi causæ prout speculativæ : Ergo non potest ens rationis esse extra nihilum ex vi alicujus efficientis causæ. *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor* : intellectus quando versatur circa proprium objectum est intellectus prout speculativus ; cum ex philosopho non nisi extensione fiat practicus ; ut fusè declaratum fuit in præcedenti libro ; Sed dato quod ens rationis sit, est ex vi intellectus versantis circa proprium objectum, scilicet circa ens vel ad modum entis : Ergo dato quod ens rationis sit, est ex vi causæ prout speculativæ.

Respondeo negando minorem, sumptam scilicet, ut sonat in terminis. Pro quo notandum est quod aliud est realiter efficî,

fici, seu immediatè terminare realem influxum, & aliud esse ex vi efficientis causæ: adeo ut quamvis id omne quod ita efficitur sit ex vi efficientis causæ, non tamen id omne quod est ex vi efficientis causæ ita efficitur, aut petit ita effici; cujus ratio est, quia ut verificetur aliquid esse ex vi efficientis causæ, sufficit quod non sit nisi quid tunc efficiatur & ad quid terminetur tunc realis influxus; ad hoc autem ut aliquid verè realiter efficiatur non tantum requiritur quod non sit, nisi quid tunc efficiatur, & ad quid terminetur tunc realis influxus, sed præterea requiritur quod illud quod dicitur ita realiter effici sit illud quid, ad quod realis ille influxus tunc terminatur: ex hâc autem doctrinâ patet evidenter falsam esse minorem illam primi syllogismi prout sonat in terminis. Quamvis enim ens rationis ob suam minutissimam entitatem, quæ quidem per hoc & intantum est inquantum intellectui etiam speculanti cognoscenda objicitur, non habeat posse sic effici ut immediatè terminet realem influxum; adhuc tamen habet esse ex vi efficientis causæ cum hac non obstante minutissimâ entitate, quin immo hoc ipso quod est & intantum est, inquantum intellectui consideranda objicitur, verificetur quod non est nisi inquantum effectivè elicit intellectus actum cognoscitivum quem terminat, proindeque quod non est nisi inquantum quid efficitur & ad quid terminatur realis & effectivus influxus, quod quidem ex doctrinâ supra exposita sufficit, ut esse dicatur ex vi efficientis causæ.

Hinc autem patet solutio ad sequens argumentum, potest enim major sic distingui: causa hoc ipso & secundum quod speculativa non est efficiens vel effectiva, in hoc sensu, ita quod non habeat efficere per ipsum speculari, concedo, si nimirum intelligatur de efficientia simpliciter tali; non est efficiens vel effectiva in hoc sensu, ita quod cum hoc quod habet speculari, non habeat efficere, nego: non enim habet intellectus speculari quin efficienter producat actum ipsum speculationis, cum igitur causa habeat esse efficiens & effectiva cum hoc ipso quod habet esse speculativa, evidenter sequitur quod illud quod nascitur ex ipso actu speculativo, quia habet esse per hoc quod apprehendatur esse, quale est ens rationis, quod inquam illud adhuc sit ex vi efficientis causæ, cum adhuc verificetur, or... non est, nisi inquantum efficitur aliquid.

Instabis: omne quod habet causam efficientem, habet aut habere debet per se ipsum terminare ejus influxum;

Sed quod est ita solum ex vi efficientis causæ sensu exposito, non habet per seipsum terminare ejus influxum: Ergo tale quid non habet causam efficientem, subindeque nec aliquid est; cum omne quod est aliquid causam habeat efficientem. Minor evidenter patet ex dictis supra in solutione. *Probatur Major*: debet omne quod habet efficientem causam per se ipsum terminare ejus influxum, si habere non possit terminando per aliud: Sed habere non potest aliquid efficientem causam terminando per aliud ejus influxum: Ergo omne quod habet efficientem causam debet se ipso terminare ejus influxum. *Major patet* ex terminis. *Probatur Minor*: non efficitur aliquid, per hoc quod efficitur aliud quid; Sed si haberet aliquid efficientem causam terminando per aliud ejus influxum, efficeretur aliquid, habendo scilicet efficientem causam, per hoc quod efficeretur aliud quid, per aliud scilicet terminando effectivum influxum: Ergo habere non potest aliquid efficientem causam terminando per aliud ejus influxum.

Respondeo 1. negando absolutè majorem: habere namque causam efficientem competit enti prout & secundum quod condistincto à Deo ac proinde huic omni competit quod ex modo essendi habet condistingui à Deo; jam sic est quod illud quod est ita ex vi efficientis causæ, adeo ut non sit nisi inquantum efficitur aliquid, & ad aliquid terminatur realis influxus, quamvis illud per seipsum non terminet, sed magis exurgat ex alio illo quod terminat, illud inquam ex proprio essendi modo habet condistingui à Deo, cum Deus ad hoc ut sit opus non habeat aliquo quod efficientis causæ influxum terminet, subindeque nec sit ex vi efficientis causæ: Ergo cum causam habere efficientem enti competat prout condistincto à Deo, illud per consequens habet efficientem causam, quod quamvis per se ipsum non terminet realem influxum; est tamen adhuc ex vi efficientis causæ, adeo ut non sit, nisi inquantum efficitur aliquid seu aliud quid.

Respondeo 2. claritatis gratia, Distinguendo eandem majorem. Omne quod habet efficientem causam, debet se ipso terminare ejus influxum, si causam habeat efficientem per effici, concedo; si autem causam habeat per effectum cognosci, subdistinguo: debet ejus terminare influxum objectivum, sive cognoscitivum, concedo effectivum, Nego. Pro quo notandum est, quod cum causam habere efficientem huic omni competat, quod ab alio est, & ab alio fit, non tantum quod est per effici, sed etiam quod est per effectum cognosci, cum

non

non minus ad istud requiratur aliud, à quo effectum cognoscatur, quam ad illud requiritur, à quo efficiatur, inde fit, quod possit aliquid causam habere efficientem, sive per effici, sive per effectum ab ea cognosci; supposito quod aliquid esse possit, per hoc quod effectum, sive ad modum effectus alicujus realis cognoscitur. Quod autem sit tale quid, aut quod tale quid sit aliquid, probant rationes supra adductæ in probanda conclusione, & in decursu articuli in solvendis argumentis, & hâc ulterius ratione confirmari potest: id quod effectum sive ad modum effectus cognoscitur, aliquid supponit hoc ipso quod tale, & si nihil ponat, cognoscentem scilicet ad modum effectus & effectum, ad cujus instar cognoscitur; Sed nihilum hoc ipso quod tale, nec ponit aliquid, nec ipsum supponit: Ergo id quod effectum, sive ad modum effectus cognoscitur, est condistinctum à nihilo: Ergo datur aliquid, quod est per hoc, quod effectum cognoscitur: Sed tale quid habet esse ab alio, ut demonstratum fuit supra: Ergo cum causam habere efficientem huic omni competat, quod ab alio est: datur per consequens aliquid, quod causam habet efficientem, non per effici, sed magis per effectum, sive ad modum effectus cognosci, quod proinde & si debeat se ipso terminare influxum objectivum, sive actum cognoscitivum, non tamen effectivum, proindeque nec esse reale quid, sed ens rationis; sicque ens rationis, etsi minutæ adeo entitatis, causam tamen adhuc habet efficientem sensu exposito; quod quidem clarè insinuat D. Thomas, *opusc. 42. cap. 2.* his verbis: *tunc habet effici ens rationis quando nititur intellectus apprehendere id quod non est ad modum entis:* Hæc ille.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam omnino favere expositæ sententiæ, quod quidem imprimis colligo *ex 1. p. q. 16. art. 3. ad 1.* ubi habet, quod *ens rationis dicitur, quod eum in re nihil ponat, & in se non sit, formatur tamen, seu accipitur ut ens in ratione* hæc ille: ex quibus subsumo sic: Sed datur ex divo Thomâ tale quid, quod scilicet, cum in se non sit, accipitur ut ens in ratione; Ergo datur ex D. Thoma ens rationis. *Probatur Minor:* ex D Thoma 4. *metaph. lect. 1. illa sunt entia in ratione, de quibus ratio negotiatur, quasi de quibusdam entibus, de eis aliquid affirmando, vel negando*, Sed dantur entia aliqua, de

 quibus

quibus ratio negotiatur quasi de quibusdam entibus, de eis aliquid affirmando vel negando; ut cum aliquis affirmat, vel negat de chimera, de vacuo, de morte, de cæcitate &c. Ergo datur ex D. Thoma tale quid, quod scilicet, cum in se non sit, accipitur ut ens in ratione.

Notandum tamen circa majorem illam propositionem depromptam ex D. Thoma *in 4. metaph.* quod non est major illa intelligenda, quasi ens rationis formetur solum per propositionem, quæ negat vel affirmat, sed quia formatio propositionis circa objectum, quod non habet esse à parte rei, est signum quod ad modum entis ab intellectu accipitur, cum illi applicetur copula significans esse.

Alius vero locus, ex quo id colligo, est *in q. 21. de veritate art. 1.* ubi ens rationis communissimè sumptum, in duo dividit membra, in negativum scilicet, & relativum: id inquit. *Quod est rationis, non potest esse nisi duplex, scilicet negatio, vel aliqua relatio; omnis enim positio absoluta aliquid in rerum natura existens significat*: Hæc ille: unde sic arguo ad intentum.

Insipienter de aliquo inquiritur, aut resolvitur, *quotuplex sit*, de quo non admittitur, *quod sit*: Sed in præfatis verbis resolvitur à D. Thoma, quotuplex sit ens rationis: Ergo & ab eodem admitti debet, quod sit, interim circa præfatam divisionem adductam à sancto Doctore, hoc unum pro pleniori ejus intelligentia notandum est, quod cum in ente rationis possint hæc tria considerari, subjectum scilicet, cui attribuitur, tum ratio ipsa, quæ ad modum entis concipitur, & attribuitur alteri, tum denique id, ad cujus instar concipitur: notandum inquam quod non divisit nec intendit dividere D. Thomas ens rationis ex parte subjecti cui attribuitur; sic enim dividi solet ens rationis in habens fundamentum, dum scilicet cum fundamento subjecto attribuitur, & sine fundamento; neque etiam divisit D. Thomas in præfata divisione ens rationis ex parte ejus, ad cujus instar concipitur; sic enim non repugnat per omnia genera divagari, quia aliquando potest aliquid apprehendi ad modum substantiæ, ut chimera; aliquando ad modum quantitatis, ut vacuum; & sic de cæteris: sed divisit D. Thomas ens rationis ex parte rei conceptæ, seu ex parte ejus, quod cum in se nihil sit, apprehenditur tamen ad modum entis, quomodo sumptum ens rationis, rectè & adæquatè dividitur tanquam in prima genera in illa duo membra, negationem scilicet, sive privationem & relationem; cujus

quidem

quidem ratio est, quia ratio ipsa entis rationis formaliter sumpta, ut in præsenti sumitur, consistit in oppositione ad ens reale, in eo scilicet, quod non sit capax existentiæ: jam sic est quod omne tale, vel est negatio, vel relatio; vel enim est positivum quid, vel non positivum, si secundum negatio est, sive privatio, id est non ponens sed tollens formam; si autem sit quid positivum, cum sit positivum non dicens existentiam in aliquo, & hoc soli competat relationi, utpote quæ ex suo præciso conceptu non dicit existentiam in se vel in alio, sed extrinsecam solum termini attingentiam, consequenter fit quod omne tale ens rationis per modum positivi relatio sit; sicque bona est divisio illa ex D. Thoma in negationem & relationem, & certè quid non bonum ex eo, qui bene de omnibus; dum bene de eo qui est omnia in omnibus.

QUÆSTIO II.

Vtrum per solum intellectum fiat ens rationis.

PRamittendum I. pro quæsiti intelligentiâ, quod ubi inquiritur de causâ factivâ, sive effectivâ entis rationis, non procedit ibi quæsitum de verâ & propriâ causâ, causante scilicet per proprium & verum influxum; cum enim ens rationis non sit propriè ens, sed tantummodo ad modum entis, ita nec causam habet propriè & verè efficientem, qualiter illam habent realia entia: nihilominus quia, ut ex dictis colligitur, habet quodammodo ens rationis causam sui efficientem; ex eo scilicet quod intellectus dum efficienter & realiter elicit intellectionem, qua aliquid, cum non sit ens, intelligit ad modum entis, resultat hoc ipso, aut quasi resultat quædam forma rationis, cujus totum esse & talem terminare intellectionem; quæ quidem ad actionem intellectus resultantia est quædam quasi efficientia prædictæ entitatis rationis, & quidem sufficiens, ad hoc ut talis diminuta entitas dicatur quodammodo creatura, ad differentiam creatoris qui suum habet esse omnino à semetipso, absque eo quod illud ab alio per veram efficientiam aut per aliqualem resultantiam causetur: quia

igitur habet quodammodo ens rationis causam sui efficientem, ratione scilicet præfatæ ab intellectione resultantiæ, ideo de hoc resultantiæ modo in præsenti inquirimus, adeo ut quæsiti sensus sit, utrum ens rationis resultet solum ad actionem intellectus, ut communiter docent Thomistæ, an verò etiam ad actionem voluntatis & imaginativæ ut sentit Scotus *in* 1. *dist.* 45. *quæst. unica*: vel ad actionem saltem imaginativæ, ut alii autumant.

Præmittendum 1. pro intelligentiâ principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima; subindeque vim habitura principii, respectu conclusionis inferendæ, puta quod *solus actus intellectus potest attingere non ens*: quod *solus actus intellectus comparare potest non ens ad ens, vel ens ad non ens*: quod *solus actus intellectus attingere potest ens rationis, ut ens rationis*; primo quidem receptissimum est apud omnes quod solus actus intellectus possit attingere non ens. Etenim non ens in quantum tale deficit à tota latitudine entis, ac proinde cum attingi non possit, nisi cum obliquo, quod negat, non potest consequenter attingi, nisi per actum qui potest attingere ens in tota sua latitudine, sive ens ut sic cum non ens sit negatio hujusmodi entis: est autem apud omnes indubitatum, quod solus actus intellectus potest attingere ens in tota sua latitudine cum sit ens ut sic proprium intellectus objectum: Ergo & est similiter indubitatum apud omnes, quod solus actus intellectus potest attingere non ens.

Item receptissimum est apud omnes, & indubitatum, quod solus intellectus actus potest comparare non ens ad ens, vel ens ad non ens; quod quidem præterquam quod ex illo capite entis, & non entis, apertè colligitur ex principio supra exposito, ubi scilicet verificatum fuit solum intellectum attingere posse non ens & ens, subindeque & illum solum posse taliter, comparativè scilicet illa attingere; potest præterea ex capite comparationis sic specialiter probari. Comparare unum ad alterum illius tantum est, qui potest rationem attingere, unde comparabilia sunt, sive comparanda, ut per se patet cum ratione illâ non attactâ moveri non possit ad comparandum; atqui solus intellectus potest rationem illam attingere, ex qua duo aliqua dicuntur comparanda, sive comparabilia; cum ratio illa non alia sit, quam eorumdem connexio, aut saltem esse non possit sine tali connexione; & hanc connexionem solus possit intellectus attingere; utpote, quæ cum importet

poscet exigentiam unius ab altero, imbibitur & radicatur in intimioribus naturæ, quam quidem solus potest intellectus attingere, ut concedunt omnes: ergo quod solus intellectus possit comparare non ens ad ens, vel ens ad non ens, est similiter apud omnes receptissimum & indubitatum.

Tandem certum etiam atque indubitatum haberi debet apud omnes, quod solus intellectus actus attingere potest ens rationis, ut ens rationis sive dignoscere quod sit ens rationis. Nam etsi controversum sit, an solus intellectus attingere possit ens rationis, nusquam tamen audivi controversum; nec puto controverti posse apud cordatos Philosophos, an solus intellectus attingere possit ens rationis, ut ens rationis, adeo ut dignoscat quod sit ens rationis; cujus ratio est, quia attingere sic ens rationis ut ens rationis, dignoscendo scilicet quod sit ens rationis, est illud attingere secundum ejus *quod quid est*, sive ejus attingere quidditatem, ut quidditas est, quod quidem proprium est solius intellectus, ut concedunt omnes; tum etiam quia attingere ens rationis, ut ens rationis, est rationem attingere, unde habet quod sit ens rationis; quam rationem solus potest intellectus attingere, cum in ea attingenda, attingi debeat ens & non ens, ex eo scilicet quod ratio illa sit, quia subrogatur ens loco non entis: Ergo certum atque indubitatum haberi debet, quod solus intellectus actus attingere potest ens rationis, ut ens rationis; & si controversum sit, an solus ille attingere possit ens rationis. His ergo tribus præmissis tanquam certis; & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione, fit:

CONCLUSIO: *A solo intellectu formari potest ens rationis.*

Probatur 1. Conclusio ex primo præmisso principio: *Solus actus intellectus potest attingere non ens*: Ergo à solo intellectu formari potest ens rationis. *Probatur consequentia*: ad formandum ens rationis, requiritur attingi non ens: Ergo hoc ipso quod solus actus intellectus attingere potest non ens, à solo intellectu formari potest ens rationis. *Probatur antecedens*: non potest aliquid attingi ad instar realis entis, quin hoc ipso attingatur non ens; sed formatur ens rationis, per hoc quod attingitur aliquid ad instar realis entis: Ergo formari non potest ens rationis, quin hoc ipso attingatur non ens. Minor conceditur ab omnibus. *Probatur major*: hoc ipso quod attingitur aliquid, ut condistinctum contra ens reale, attingitur hoc ipso non ens; sed per hoc quod attingitur aliquid ad-

instar realis entis, attingitur ut condistinctum contra ens reale: Ergo non potest aliquid attingi ad instar realis entis, quin hoc ipso attingatur non ens. Major supponitur certa ex terminis. *Probatur minor*: non potest aliquid attingi adinstar alterius, quin hoc ipso attingatur, ut condistinctum ab eo, ad cujus instar attingitur, ut patet ex terminis: Sed id, ad cujus instar in præsenti casu attingitur, est reale ens; Ergo non potest aliquid attingi adinstar realis entis, quin hoc ipso attingatur, ut condistinctum ab ente reali; Ergo non potest aliquid attingi adinstar realis entis, quin hoc ipso attingatur non ens: Ergo formari non potest ens rationis, quin hoc ipso attingatur non ens. Ergo hoc ipso quod solus actus intellectus attingere potest non ens (quod est primum præmissum principium) sequitur hoc ipso a solo intellectu formari posse ens rationis.

Probatur 2. Conclusio ex secundo præmisso principio: *solus actus intellectus potest comparare non ens ad ens, vel ens ad non ens.* Ergo à solo intellectu formari potest ens rationis *Probatur consequentia:* non potest formari ens rationis, nisi per actum ita comparantem non ens ad ens, vel ens ad non ens: Ergo hoc ipso quod solus actus intellectus potest hæc comparare, à solo intellectu formari potest ens rationis. Consequentia est evidens. *Probatur antecedens*: non potest actus aliquis attingere non ens ut ens, nisi sit actus comparativus; cum enim actus unus non possit simul attingere non ens, & ens, per hoc quod unum sit alterum, cum hoc repugnet, nec per hoc quod unum sit in altero, cum hoc similiter repugnet, sequitur quod debeat attingere, per hoc quod unum est ad alterum subindeque per actum comparativum: Sed actus per quem formatur ens rationis, attingere debet non ens & ens; Ergo non potest formari ens rationis, nisi per actum ita comparantem non ens ad ens, vel ens ad non ens. Major est certa. *Probatur minor*: hoc ipso quod formari non potest ens rationis per hoc solum, quod attingitur ens, aut solum non ens, formari tantum potest per hoc, quod attingitur non ens & ens: Sed formari non potest ens rationis, per hoc solum quod attingitur ens, aut solum non ens: Ergo formari tantum potest attingendo non ens & ens. Major patet ex terminis, supposito, ut supponunt omnes, quod ad formandum ens rationis; attingi debeat ens aut non ens. *Probatur minor.* & 1. quidem quoad primam partem, de qua præcipuè est difficultas: formari non potest ens rationis per hoc solum quod attingitur id, ad cu-

jus

cujus instar formatur & attingitur, ut per se patet, cum pro tunc nondum ipsum attingatur; sed per hoc solum quod attingitur ens, attingitur id tantum, ad cujus instar formatur & concipitur ens rationis, cùm illud solum sit ens, & aliud omne sit non ens simpliciter, vel ad summum non ens ad modum entis: Ergo formari non potest ens rationis, per hoc solum quod attingitur ens. *Probatur* jam eadem Minor quoad secundam partem: Per actum illum formari non potest ens rationis, per quem relinquitur intra limites puri non entis; sed per actum illum, per quem solum attingitur non ens, relinquitur intra limites puri non entis, ut patet ex terminis: Ergo nec per hoc solum, quod attingitur ens, aut solum non ens, formari potest ens rationis; Ergo formari tantum potest ens rationis, per hoc quod attingitur non ens & ens: Ergo formari tantum potest ens rationis, per actum comparantem non ens ad ens, vel ens ad non ens; Ergo hoc ipso quod solus actus intellectus potest comparare non ens ad ens, vel ens ad non ens, [quod est secundum præmissum principium] sequitur hoc ipso, ens rationis fieri tantum ab intellectu.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio. *Solus actus intellectus attingere potest ens rationis, ut ens rationis:* Ergo à solo intellectu formari potest ens rationis. *Probatur consequentia* per illum tantum actum formari potest ens rationis, per quem apprehenditur ut ens rationis: Ergo hoc ipso quod à solo intellectu apprehenditur ut ens rationis, à solo intellectu formari potest. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*; non potest ens rationis repræsentari quin repræsentetur ut ens rationis; sed per illum tantum actum formari potest, per quem repræsentatur ens rationis: Ergo per illum tantum actum formari potest, per quem attingitur, seu apprehenditur ut ens rationis. Minor est evidens; cum totũ esse entis rationis consistat in objici. *Probatur Major*: hoc ipso quod repræsẽtatur ens rationis aliud quid à nihilo, & ab ente reali, repræsentatur hoc ipso ut ens rationis; sed non potest repræsẽtari ens rationis, & non repræsentari aliud quid à nihilo, & ab ente reali: ergo non potest repræsentari ens rationis, quin hoc ipso repræsentetur ut ens rationis. Major supponitur certa ex terminis. *Probat. min.* quod non est aliud quid, nisi in quantũ repræsentatur, non potest repræsentari quin repræsẽtetur aliud quid, ut patet ex terminis: sed ens rationis non est aliud quid ab ente reali & nihilo, nisi inquantũ taliter repræsentatur: cum tale tantũ habeat esse, quale repræsẽtatur: Ergo non potest repræsentari ens rationis, & non repræsentari aliud quid

à

à nihilo, & ab ente reali: ergo non potest ens rationis repræsentari; quin repræsentetur ut ens rationis: Ergo per illum tantum actum formari potest, per quem repræsentatur, & attingitur ut ens rationis: Ergo hoc ipso quod solus actus intellectus potest ens rationis attingere ut ens rationis (quod est tertium præmissum principium,) sequitur à solo intellectu formari posse ens rationis.

Objicies 1. Hoc ipso quod ens rationis cadit sub objecto alterius potentiæ quam intellectus, potest & ab alio quam ab intellectu formari: Sed cadit ens rationis sub objecto alterius potentiæ quam intellectus, puta imaginativæ; Ergo ab alio quam ab intellectu formari potest ens rationis. *Major* supponitur certa, cum hoc ipso habeat ens rationis ab alio quam ab intellectu cognosci, in quo quidem passivo cognosci consistit passivum ejus fieri, seu esse factum. *Probatur minor*: unio sive compositum ex capra & dracone secundum figuram externam est ens rationis; sed unio illa sive illud compositum cadit secundum figuram externam sub objecto imaginativæ. Ergo sub objecto imaginativæ cadit ens rationis. *Minor* supponitur certa. *Probatur major*; ideo ex capra & dracone unio secundum naturas est ens rationis, quia cum in se non sit ens, apprehenditur ac si esset: Sed hoc idem verificatur de unione illa secundum figuram externam, cum illa reipsa non sit, & tamen apprehendatur ac si esset: Ergo unio sive compositum ex capra & dracone, v. g. secundum figuram externam est ens rationis.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Respondeo Negando minorem, cujus quidem negati ratio abundè colligitur ex probationibus conclusionis, & hoc insinuatur syllogismo quem existimo evidenter concludere: ens rationis ad quamcumque comparetur aut supponatur comparari potentiam est semper aliud quid à nihilo & ente reali, ut concedunt omnes & per se patet; Sed non est ens rationis nisi quod repræsentatur esse; cum non habeat nisi esse objectivum seu potentiæ repræsentatum, ut etiam concedunt omnes: Ergo ad quamcumque comparetur ens rationis aut supponatur comparari potentiam, debet repræsentari ut aliud quid à nihilo & ente reali: Sed respectu nullius alterius potentiæ ab intellectu potest ita repræsentari ut aliud quid, cum solus intellectus habeat attingere extrema illa duo, scilicet ens reale & nihilum, à quibus repræsentatur aliud quid ut per se patet: Ergo ut evidenter, & (meo videri) demonstrativè colligitur ex hoc argumento, falsissimum est quod cadat ens rationis sub objecto alicujus alterius potentiæ ab intellectu.

Nota.

Hinc

Hinc autem facile respondetur ad sequentia argumenta: ad majorem enim sequentis argumenti potest responderi distinguendo: unio ex capra & dracone secundum figuram est ens rationis, sumpta sive repræsentata ut aliud quid ab ente reali & nihilo, concedo: sin minus, nego: cum enim [ut dictum fuit supra] ens rationis sit aliud quid ab ente reali & nihilo; & aliundè non sit nisi quod repræsentatur esse, consequenter fit quod unio illa non possit esse ens rationis, nisi inquantum repræsentatur aliud quid ab ente reali & nihilo: quia vero non potest respectu imaginativæ ita repræsentari aliud quid, cum non possit illa percipere extrema à quibus repræsentari debet aliud quid, ut per se patet, evidenter sequitur quod unio illa secundum figuram externam non sit ut attingitur ab imaginativa ens rationis: Sed est solum unio illa ex capra & dracone ens rationis respectu intellectus, ex eo scilicet quod solus intellectus, cum solus possit percipere quod non est talis unio, sive sumpta secundum figuram externam, sive sumpta secundum naturas, solus etiam potest dici in ejus apprehensione apprehendere non ens ad modum entis, eamque apprehendere ut aliud quid ab ente reali & nihilo; inquantum nihilum quod attingit non est ut tale ad modum entis, ut illa unio; & ens reale est, non quod ad modum entis, sed id ad modum & instar cujus aliud est.

Instabis: Quod est & non est ens reale, est ens rationis; Sed præfata unio seu compositum ex capra & leone secundum figuram externam est comparativè ad imaginativam & non est ens reale; Ergo comparativè ad imaginativam est ens rationis. Major per se patet. *Probatur minor*, quoad secundam partem de qua sola potest esse dubium, ens reale est aliquid præter hoc quod objicitur; Sed præfata unio secundum figuram externam non est aliquid præter hoc quod imaginativæ objicitur: Ergo præfata unio secundum figuram externam non est ens reale comparativè ad imaginativam, cui objicitur *Major* conceditur ab omnibus, *Probatur minor*: quod objicitur ubi non est, illud non est aliquid præter hoc quod objicitur; Sed unio illa secundum figuram externam objicitur imaginativæ, ubi non est: Ergo unio illa sive illud compositum non est aliquid præter hoc quod objicitur. Minor constat cum unio illa sive illud compositum objiciatur imaginativæ à parte rei, seu extra animam & tamen extra animam non fit talis unio aut tale compositum. *Probatur Major*: & quidem acutissimo argumento, quod objicitur ubi non est id quod objicitur, nisi ubi

non

non est; Sed ubi non est, non potest esse aliquid præter hoc quod objicitur: Ergo quod objicitur ubi non est, non est aliquid præter hoc quod objicitur.

Respondeo Negando minorem quod scilicet unio aut potius continuatio illa capræ & leonis secundum figuram inquantum imaginativæ objicitur, non sit ens reale: quod quidem præterquam quod ex dictis supra potest sufficienter colligi, colligitur præterea ex hoc medio universaliter concludente pro quovis objecto cujuslibet potentiæ sensitivæ; omne & quodvis objectum potentiæ sensitivæ est ens determinatum puta materiale sensibile; Ergo id omne quod est extra lineam entis sensibilis & determinati, cadere non potest sub objecto sensus; Sed esse quod non est reale ens, est extra lineam entis sensibilis, cum esse tale neget ens reale secundum totam suam latitudinem, quod non negat esse quod est intra lineam sensibilis, utpote quod negat ad summum sensibile verum, si sit solum apparenter ensibile, vel solum negat ens immateriale, si sit reipsa sensibile: Ergo nihil eorum quæ objiciuntur imaginativæ vel alteri sensui possunt esse, & non esse reale ens; proindeque nec eis objici potest ens rationis, quod cum deficiat à tota latitudine entis realis, ex eo scilicet quod non habet esse præter hoc quod objicitur, non potest per consequens non transcendere lineam entis sensibilis, in qua scilicet supradictum fuit esse in ea repertum, quodcumque illud sit sive verum sive apparens non habet posse deficere à tota latitudine entis realis hoc ipso quod tale. Neganda ergo est illa minor, ad cujus probationem nego similiter minorem puta quod talis unio seu continuatio capræ & leonis secundum figuram externam quæ imaginativæ objicitur non sit aliquid præter hoc quod eidem objicitur. Hoc enim intercedit discrimen inter eandem unionem seu continuationem prout imaginativæ objicitur, & eandem prout objicitur intellectui, quod cum intellectus eam non tantum sibi objiciat simpliciter loquendo; Sed eam sibi objiciat per modum existentis ubi non est; ideo fit quod illa unio secundum figuram externam prout intellectui objicitur non habeat aliud esse præter hoc quod objicitur; cum de facto ubi non est, aliud non habeat esse præter objectivum nec habere possit: at vero imaginativa, quando sibi objicit hanc figuram externam ita continuatam, non propterea sibi eam objicit, immò nec objicere potest per modum existentis ubi non est, cum ly ubi non est, sit extra objectum imaginativæ & extra ejus attingentiam, utpote quæ habet aliquid de-

Nota. Nota. Nota.

terminatum pura sensibile pro objecto; ac proinde talis continuata figura externa, dum imaginativæ objicitur habet simpliciter objici, eo scilicet modo quo cætera entia objiciuntur; atqui cætera entia etiam ex modo quo imaginativæ objiciuntur [præscindendo ab hoc quod sint à parte rei vel non sint] sunt simpliciter aliquid, nec habent tantum esse objectivè in imaginativa, sed etiam subjectivè, sunt enim quid verè sensibile, sive entitativè sumpta, sive intentionaliter, quin immo non sunt sensibile quid intentionaliter & repræsentativè respectu sensus, quin sint & entitativè sensibile, ut consideranti patebit: Ergo præfata figuræ externæ continuatio hoc ipso quod imaginativæ objicitur, est simpliciter aliquid, subindeque falsum est, quod præter hoc quod imaginativæ objicitur non habeat esse; licet non habeat esse nisi cum hoc quod imaginativæ objicitur. ex iis autem patet solutio ad sequentia argumenta in probationem minoris negatæ proposita.

Objicies: 2. Non possunt formari propositiones, quin hoc ipso formetur ens rationis: Sed sensus internus propositiones format atque discursus circa singularia: Ergo & à sensu interno formari potest ens rationis: Minor conceditur ab omnibus & patet in dormientibus & somniantibus. *Probatur Major*: hoc ipso quod comparatur unum alteri ad quod non est comparatum, fit hoc ipso ens rationis: Sed ubi formantur propositiones comparatur ibi unum alteri ad quod non erat comparatum: Ergo ubi formantur propositiones, formatur ibi ens rationis. Major videtur certa cum ibi & pro tunc attingatur ordo ubi non est & consequenter non ens per modum entis. *Probatur minor*: comparatio quæ fit in formandis propositionibus, est ut plurimum inter antecedens & consequens, inter subjectum & prædicatum; Sed ante formatas propositiones non erat ibi antecedens & consequens subjectum & prædicatum; cum talia non sint nisi inquantum apprehenduntur esse, ex eo scilicet quod sæpissime sint ejusdem realiter de eodem: Ergo ubi formantur propositiones, comparatur tunc unum alteri ad quod non erat comparatum.

Respondeo Negando majorem (sumptam ut sumitur in argumento universaliter & absolutè] licet enim opus sit in formandis propositionibus, sive enunciationibus, opus inquam sit comparatione unius ad alterum & frequenter ejusdem ad seipsum; nihilominus quia non in omni comparatione unius ad alterum, sine ejusdem ad seipsum fit ens rationis, ex

eo scilicet quod ens rationis quod intervenit in tali comparatione non fit, nisi inquantum apprehenditur ordo inter extrema comparationis per modum alicujus inexistentis, eaque intrinsecè afficientis, quod tamen non in omni comparatione reperitur, nec ad eam requiritur, cum possit unum alteri comparati præcisè per hoc, quod actus talia attingens attingit unum cum altero vel in altero, nihil cogitando de præfato ordine per modum inexistentis & intrinsecè afficientis, ut experientia colligitur & consideranti patebit: sequitur ergo formari posse propositiones absque eo quod ibi formetur ens rationis; cum comparatio ejusdem ad seipsum ex qua deberet resultare in illis propositionibus ens rationis fieri possit absque interventu entis rationis, ut ex dictis colligitur, & patet ulterius in præsenti casu de sensu interno; sensus namque internus valet comparare unum ad alterum, cum valeat attingere unum cum altero vel in altero, quando scilicet unum & alterum est sensibile quid, in quo quidem casu fit haud dubiè comparatio unius ad alterum, cum talia tunc non attingantur absolutè; nec tamen propterea valet sensus internus apprehendere ibi ordinem per modum alicujus inexistentis & intrinsecè afficientis, cum illa inexistentia & intrinseca afficientia sit extra objectum sensus interni; quapropter se habet tunc sensus internus sicut se habet oculus in intuitione sui objecti, qui quidem & si intuendo attingat objectum existens, non tamen attingit propterea existentiam objecti utpotè quæ est extra latitudinem visus, sic similiter sensus internus, etsi attingat extrema comparatè seu comparando, non propterea attingit comparationem per modum alicujus inexistentis inter illa, quia ita attacta est extra latitudinem sensus ut dictum fuit, & ulterius patet ex eo quod ordo seu comparatio dum sumitur per modum formæ relativæ afficientis & informantis radicatur in natura seu quidditate aut substantia rei quam afficit per modum formæ relativæ; tum quia supponit tunc pro exigentia, tum quia ex vi præfatæ formæ relativæ ea inter quæ intercedit sunt simul natura; unde cum quidditas, natura seu substantia rei sit extra latitudinem cujuslibet sensus, & à solo intellectu attingi possit; consequenter fit quod præfatus ordo sumptus per modum alicujus afficientis & inexistentis inter extrema comparationis, sit extra latitudinem imaginativæ seu sensus.

Nota.

Instabis: hoc ipso quod præfatæ propositiones denominantur simpliciter propositiones, habetur hoc ipso ordo inter extrema

trema per modum inexistentis & intrinsecè afficientis; Sed præfatæ propositiones, quæ scilicet fiunt à sensu interno denominantur simpliciter tales. Ergo habetur à sensu interno ordo inter extrema propositionis per modum inexistentis & afficientis, subindeque & habetur ens rationis. Minor constat, alias non concederetur simpliciter fieri propositiones à sensu interno. *Probatur Major*: ordo ille inter extrema propositionis existens est veluti forma propositionis; Sed non potest propositio denominari talis non habitâ formâ; Ergo nec potest denominari talis non habito tali ordine per modum inexistentis & afficientis.

Respondeo Negando majorem; sicut enim ut propositio simpliciter denominetur talis, non requiritur quod cognoscatur esse propositio; sed habet denominari talis hoc ipso quod unum dicitur de altero; ita nec ad talem denominationem requiri debet præfatus ordo per modum inexistentis & afficientis, cum non existat talis ordo utpote rationis, nisi in quantum cognoscitur inexistere; quod quidem minimè requiritur ad præfatam denominationem, ad quam scilicet sufficit quod unum dicatur de altero; unde ad probationem potest major distingui sic: sed non potest propositio denominari talis non habitâ formâ vel formaliter vel fundamentaliter, concedo: non habitâ formâ formaliter, nego: fundatur autem hæc solutio in discrimine quod intercedit inter relationes rationis, inter quas reponitur præfata propositionis forma & relationes reales: cum enim in relationibus realibus relatio naturaliter resultet ex fundamento & termino, nihil propterea convenit nec convenire potest ex vi fundamenti in ordine ad terminum nisi media relatione, subindeque nulla fieri potest in eo genere denominatio ex vi relationis ut fundamentaliter habitæ seu fundamenti relationis, sed requiritur semper relatio formaliter habita sive existens; at vero in relationibus rationis, inter quas ut dictum est annumeratur forma illa propositionis, esse actuale ipsarum consistit in actualiter cognosci objective, quod quidem non provenit ex fundamento & termino, sed ex intellectu, ac proinde multa poterunt ratione fundamenti dici de subjecto sine resultantiâ relationis, cum hæc non sequatur ipsum fundamentum & terminum sed cognitionem; unde & literæ in libro clauso denominantur signum, etiamsi actu non consideretur ralatio signi quæ est rationis, & Deus denominatur Dominus, etiamsi actu non consideretur relatio Domini, sed ratione potentiæ denominativæ, quamquam

non denominetur relatus, quia talis denominatio pendet à relatione ut cognita & existente, sicut nec denominantur extrema propositionis formaliter simpliciter relata, nisi ex tali ordine formaliter inexistente: denominatur tamen simpliciter propositio sicut & Deus denominatur simpliciter Dominus, quia ad tales denominationes sufficit quod existat fundamentum relationis, juxta doctrinam ibi traditam, quæ quidem verissima est, ut omni patebit consideranti.

Objicies 3. Attingere id quod non est ad modum entis est facere ens rationis; Sed non solum intellectus id facit sed etiam voluntas; Ergo non à solo intellectu fit ens rationis. *Major* est certa; cum in attingentiâ ejus quod non est ad modum entis, aliquid accipiat mediâ hâc attingentiâ rationem entis, quod ante attingentiam erat non ens. *Probatur minor*: attingere rationem boni ubi non est, est attingere id quod non est ad modum entis; Sed voluntas attingit rationem boni ubi non est; Ergo attingit voluntas id quod non est ad modum entis. Minor est certa cum frequenter amet & prosequatur objecta mala & ex se turpia sub ratione boni, seu ut amanda & prosequenda. *Probatur Major*: bonum convertitur cum ente; Sed attingere rationem entis ubi non est, est attingere id quod non est ad modum entis: Ergo & attingere rationem boni ubi non est, est attingere id quod non est ad modum entis.

Respondeo Concessa majori ob rationem in argumento adductam, Negando minorem: cujus ratio, quæ quidem in hac materia est magni ponderis, & multum notanda, hæc affertur: ad hoc ut verificetur quod attingitur id quod non est ad modum entis, non sufficit quod id quod ita ad modum entis attingitur, non sit ex se & in se, sed nec quod sit in alio vel ex alio; quandoquidem, si illud supponatur esse in alio vel ex alio, cum hoc ipso habeat aliqualiter esse, non potest per consequens verificari quod dum à voluntate v. g. attingitur ad modum entis, attingatur id quod non est ad modum entis, cum id quod non est ita absolutè probatum excludat tum esse simpliciter tum esse aliquale, sive tum esse ex se & in se, tum esse ex alio vel in alio; sed ad summum verificatur tunc quod id quod non est ex se & simpliciter, sed aliqualiter, solum & in alio attingatur à voluntate ad modum entis: jam sic est quod quoties voluntas fertur prosequutivè ad objecta mala sub ratione boni, hoc ita evenit, adeo ut attingat quidem voluntas ad modum boni id quod ex se & simpliciter bonum

Nota.

non

non est, non tamen id quod absolute loquendo non est bonum, seu quod bonum non est nec in se, nec in alio, nec simpliciter nec secundum quid. ex eo scilicet quod voluntas cum sit potentia cæca, non fertur ad objectum nisi ut ab intellectu propositum, adeoque illud omne quod amat bonum cum sit tale propositum ab intellectu, jam bonum est in alio & ex alio, sive illud omne jam habet esse objectivè respectu intellectus. Ergo non potest verificari de voluntate, quod attingat id quod non est absolutè loquendo ad modum entis, licet verificari possit quod attingat ad modum entis id quod non est tali modo, scilicet ex se & simpliciter, ex quo ulterius sequitur quod verificari non possit de voluntate quod faciat tunc ens rationis, cum non fiat ens rationis, nisi per hoc quod attingitur ad modum entis id quod absolutè loquendo non est ex eo scilicet quod tunc tantum & mediâ tali attingentiâ accipiatur, sive resultet esse aliqualiter ens, cum id quod ita attingitur sit ante attingentiam absolute loquendo non ens, per exclusionem scilicet omnis omnino rationis entis, sive aliqualiter sive simpliciter, sive in se sive in alio.

Instabis Ideo ergo voluntas non facit tunc ens rationis, quia attingit ad modum boni id quod jam habet objectivè sive in intellectu & aliqualiter rationem boni: Sed aliquando attingit voluntas quod nec in se nec in intellectu habet rationem boni: Ergo aliquando facit voluntas ens rationis. *Probatur Minor*: aliquando prosequitur voluntas objectum aliquod contradicente judicio intellectus; Sed tunc attingit ut bonum quod nec in se ut supponitur, nec in intellectu habet rationem boni: Ergo aliquando attingit voluntas quod nec in se nec in intellectu habet rationem boni. *Probatur minor*: quod se habet ut non prosequendum respectu intellectus non habet rationem boni in intellectu: Sed quando prosequitur voluntas objectum aliquod contradicente judicio intellectus, hoc, respectu intellectus se habet ut non prosequendum: Ergo attingit tunc voluntas ut bonum seu prosequendum, quod non habet in intellectu rationem boni.

Respondeo Negando minorem. cujus ratio abundè colligitur ex præcedenti responsione, ad probationem verò distinguo Majorem: aliquando prosequitur voluntas objectum aliquod cõtradicẽte judicio intellectus: si sermo sit de judicio intellectus speculativo, concedo: si sermo sit de judicio intellectus practico nego: pro quo notandũ est quod intellectus in suis judiciis & notitiis potest se habere vel practicè vel speculativè; dicitur

autem se habere speculativè, quando præcisè judicat unum de alio vel unum ex alio infert; at verò habet se practicè quando se habet imperativè dictando scilicet aliquid fieri; tale namque imperium & dictamen cum sit per modum dirigentis & unum cum alio conferentis vel ad aliud ordinantis, non potest non esse actus intellectus, cumque non sit intellectus speculativi, esse debet intellectus ut practici. Hoc autem supposito dico quod quamvis possit voluntas ferri in objectum al quod prosequutivè, judicante intellectu speculativè quod tale objectum bonum non sit nec prosequendum, & consequenter attingere possit ut bonum quod non habet in intellectu speculativo rationem boni, non tamen fieri potest quod feratur voluntas prosequutivè in objectum aliquod contradicente judicio intellectus practico; cum voluntas sit talis naturæ utpote potentia cæca, quod non nisi ab alio directa ferri possit ad objectum, ac proinde cum non nisi stante dictamine practicè dictante esse tale objectum, tunc temporis & omnibus pensatis circumstantiis prosequendum, ferri possit prosequutivè ad objectum; nusquam propterea attingit voluntas aliquid ut bonum, quin tale quid jam habeat rationem boni in intellectu vel practico vel speculativo.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam omnino favere præfatæ sententiæ, quod quidem ex duobus aut tribus colligo 1. quidem *ex opusc. 42. cap.* 1. ubi habet: quod *tunc efficitur ens rationis quando intellectus nititur apprehendere quod non est ac si esset: & ex primo sententiarum dist. 2. quæst.* 1. *art.* 3. ubi habet, quod *ens rationis consequitur ex modo intelligendi*: ex quibus verbis arguo sic.

Qui in ente rationis reputat pro eodem effici, apprehendi ab intellectu, & consequi ex modo intelligendi ille sentit haud dubiè à solo intellectu effici posse ens rationis; sed D. Thomas verbis citatis pro eodem hæc tria reputat & assumit; Ergo ex D. Thoma à solo intellectu effici potest ens rationis.

Alius verò locus ex quo hoc idem colligo habetur *in quæst.* 12. *de veritate art.* 1. ubi habet: quod *ens rationis non potest esse nisi duplex, negatio scilicet, vel aliqua relatio*: ex quibus verbis arguo sic.

Quod non nisi per comparativum actum, sive apprehensionem

nem comparantem fieri potest, à solo intellectu fieri potest, ut fuit supra demonstratum in exponendo secundo principio; sed hoc ipso quod omne ens rationis est vel negatio vel relatio, non nisi per apprehensionem comparativam fieri potest, cum debeat, si relatio sit comparative apprehendi ad terminum; si autem sit negatio debeat concipi positive ad instar entis subindeque & comparativè, sicut concepta Avenio ad instar Romæ comparativè concipitur & non absolutè, quia connotativè ad aliud; Ergo hoc ipso quod omne ens rationis vel est relatio vel negatio aliqua, non nisi per intellectum fieri potest: sed ex D. Thoma supra citato omne ens rationis vel est negatio aliqua vel aliqua relatio: Ergo ex D. Thoma à solo intellectu fieri potest ens rationis.

QUÆSTIO III.

Vtrum nedum intellectus humanus vel angelicus, sed etiam divinus possit conficere ens rationis.

PRÆMITTENDUM I. Pro quæsiti intelligentia quod ubi inquiritur, an possit divinus intellectus conficere ens rationis, non procedit quæsitum de omni modo quo fieri potest, adeoque nec est tituli sensus, an possit Deus facere ens rationis, eo quo solet modo intellectus humanus, vel omni quo potest fieri modo, certum enim est quod non potest Deus sua inter attributa formare distinctionem rationis, illo quo nos solemus modo, per conceptus scilicet inadæquatos & plures divinorum attributorum: similiter nec potest Deus formare intentiones illas seu relationes rationis quæ consequuntur ad actus nostros discursivos vel enunciativos, eo simili modo quo nos solemus conficere, cum apud nos sequantur hujusmodi intentiones seu relationes rationis ad actus nostros multiplicatos, servantes ut plurimum realem ordinem prioris & posterioris atque inadæquatè objecta attingentes: certum etiam est quod nec potest Deus conficere entia rationis chimerica modo illo quo fieri solent ab intellectu humano; cum soleat intellectus humanus talia ita concipere ad modum entis, ut ibi sistat conceptus, velut & quasi ultimatus, adeoque conceptus ille quo ita concipit sit vel formaliter vel virtualiter assertivus; cum tamen certum sit non posse Deum talia ita sistenter & ultimatè concipere

Nota.

cipere

cipere ad modum entis, cum fit semper in actuali cognitione negativa, quod talia taliter concepta fint ens: non ergo procedit quæsitum tituli de omni vel simili modo quo fieri solet ens rationis ab intellectu humano; sed sensus tituli est an entia rationis quæ non nisi cum imperfectione, & modo defectivo fieri solent ab intellectu humano, fieri possint & confici modo aliquo, qui ab omni præscindat & denudetur imperfectione, quique proinde tribui possit & convenire divino intellectui: ego re serio & per multum otium meditata in affirmativam inclinor & in hanc imprimis adducor ex triplici definitione quę afferri solet de ente rationis, puta *quod sit id quod habet tantum esse objective*; & quod sit *non ens conceptum ad modum entis*, ex his namque ita sum ratiocinatus, duæ illæ definitiones eamdem explicant naturam entis rationis; Ergo idem important significatum & in idem coincidunt; Ergo secunda definitio puta non ens conceptum ad modum entis, quæ quidem est in hac materia totum adversariorum fundamentum salvatur per hoc præcisè & hoc ipso quod salvatur prima, puta habere tantum esse objectivè in intellectu; jam sic est quod ly habere tantum esse objectivè in intellectu modo quodam fieri potest præscindente & denudato ab omni imperfectione, cum id habeat esse objectivè per hoc pręcisè quod sit intellectui pręsens, quod haud dubiè nullam præ se fert imperfectionem, sed potius perfectionem, cùm præcisè dicat extensionem intellectus ad aliquid cognoscibile; Ergo non videtur negandum modo quodam fieri posse & confici ens rationis præscindente ab imperfectione, subindeque & Deo convenienti, sed pro majori hujus elucidatione.

Præmittendum 2. Dupliciter intelligi posse, quod non ens concipiatur ad modum entis, scilicet repręsentativè, & assertivè; vel quod in idem redit per conceptum non ultimatum, & tendentem ad negationem, & per conceptum ultimatum ibique sistentem, dicitur autem concipi non ens ad modum entis repræsentativè, quando scilicet intellectus sibi præsentia reddit entia fictitia, seu cognoscibilia ad modum entis; & hoc per simplicem repræsentationem nec formaliter nec virtualiter asseverantem, immo tendentem ulterius ad negationem; adeo ut non sibi talia repræsentet intellectus nisi ad negandum quod talia & taliter repræsentata verè & in se talia sint. Secundo verò concipi potest non ens ad modum entis non tantum repræsentativè, sed assertivè aut quasi assertivè; quod quidem accidit quando intellectus non tantum talia sibi facit præsentia,

tia, sed præterea rationem illam entis eis tribuit tanquam eis convenientem & per judicium formaliter assertivum, vel certè ex modo quo illa sibi præsentia facit per conceptum scilicet ultimatum, ibique sistendo nec ulterius tendendo ad negationem, talia si non formaliter, saltem virtualiter assertivè attingat ad modum entis; quo scilicet modo solemus nos Philosophi nobis repręsentare relationes rationis & alia hujusmodi rationis entia. Hoc autem supposito & diligenter pręnotato jam dico, quod dum vel concludendo vel in probanda conclusione vel in decursu quæstionis hoc occurret dictum, quod scilicet & potest divinus intellectus concipere non ens ad modum entis subindeque & facere ens rationis, quod dictum illud non debet nec volumus in hoc secundo usurpari sensu; adeo ut Deus assertivè vel quasi assertivè & per conceptum sistentem & quasi ultimatum possit id quod non est concipere ad modum entis, sed usurpari debet in primo sensu ita ut possit divinus intellectus sibi pręsentia facere hujusmodi entia per simplicem repręsentationem, nec formaliter nec virtualiter asseverantem, sed potius tendentem ulterius ad negationem; sensu supra exposito neque in alio sensu usurpatur in definitione quæ adduci solet de ente rationis, dum scilicet definitur non ens conceptum ad modum entis: cum enim ut dictum fuit supra, secunda hæc definitio convertatur cum altera, in qua scilicet definitur id quod habet tantum esse objectivè in intellectu; & per hoc præcisè quod sit ens rationis, seu non ens ad modum entis intellectui pręsens per simplicem repręsentationem, per hoc pręcisè habeat esse objectivè; ut per se patet; nec ad hoc requiratur assertio seu assertivus conceptus, cum hoc ipso quod assertivus est, fit de re jam pręsupposita seu supposita in esse, supra quod cadit assertio ut satis indicat terminus ille assertionis, consequẽter fit quod ly non ens conceptum ad modum entis, ut exprimitur in secunda definitione, usurpetur in primo sensu supra explicato, vel salvetur in primo illo sensu scilicet per simplicem repręsentationem, non autẽ assertivè, & per conceptũ ibi quasi assertivè sistentem.

Præmittendum Ultimo pro intelligentia principiorum, ad quæ reduci debet conclusio, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subinde vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ; puta quod *Divinus intellectus habet concipere ens rationis à nobis factum*: quod *habet concipere ens rationis negativè*: quod *habet concipere ens rationis speculativè*. Primo quidem habet divinus intellectus concipere entia rationis à nobis facta, cujus ratio est, quia comprehendit Deus omnes actus intellectus humani; omnes enim illi, utpote actus

reales sunt à Deo comprehensivè cognoscibiles: Ergo cognoscit Deus omnium prædictorum actuum objecta; prout ipsorum actuum objecta sunt; implicat enim aliquem comprehendi actum cognoscitivum, quin ejus comprehendatur objectum: jam sic est quod inter actus intellectus humani aliquæ sunt cognitiones entium rationis, ad quas ipsa entia rationis resultant: Ergo cognoscit Deus talia entia rationis, quæ mediis talibus actibus ab intellectu humano cognoscuntur, & efficiuntur.

Secundum verò non est minus certum, quod scilicet habeat divinus intellectus concipere entia rationis negative seu per conceptum negativum. Hæc enim propositio *ens rationis non est reale ens*, est vera, & æternæ veritatis: Ergo non potest subterfugere divinam cognitionem, sed cognitio quæ hanc attingit veritatem, non est nisi cognitio negativa: Ergo pro certo est habendum, & tanquam principium certum, quod habet divinus intellectus, concipere ens rationis negativè.

Tandem pro certo similiter haberi debet, quod habet divinus intellectus concipere ens rationis speculativè: Deus namque sive divinus intellectus speculativus est infinitæ cognoscibilitatis activæ; Ergo nihil speculabile potest ejus subterfugere cognitionem speculativam; jam sic est, quod ens rationis est speculabile quid, cum sit aliqualis entitatis, subindeque & cognoscibilitatis passivæ; sitque connexio necessaria inter ipsum, ejusque quæ ipsi assignantur proprietates, ut fusè ostensum fuit in libro præcedenti: Ergo divinus intellectus habet cognoscere speculativè ens rationis, his ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad præmissa principia reductione fit.

CONCLUSIO: *Potest fieri & de facto fit ens rationis à divino intellectu.*

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, *habet divinus intellectus concipere ens rationis à nobis factum*; Ergo & facit divinus intellectus ens rationis. *Probatur consequentia*: hoc ipso quod ens rationis aliud acquirit esse per hoc quod cognoscitur factum, hoc ipso fit: sed per hoc quod illud cognoscit Deus à nobis factum aliud acquirit esse: Ergo hoc ipso quod cognoscit Deus ens rationis à nobis factum, hoc ipso facit, *Major patet* ex terminis; fieri namque & acquirere esse idem sonant. *Probatur Minor*: esse entis rationis est essentialiter & convertibiliter objectivum; sed per hoc quod cognoscitur factum, aliud

ac-

acquirit objectivum seu objici : Ergo per hoc quod cognoscitur factum à nobis, aliud acquirit esse. *Minor patet*, cum supponatur tunc acquirere seu habere objici, respectu alterius, sive divini intellectus. *Probatur Major*: ubi non habetur esse sine objectivo, nec objectivum sine esse, ibi esse est essentialiter & convertibiliter objectivum; sed nec habetur esse entis rationis sine objectivo ut patet ex terminis, cum propterea dicatur esse rationis seu in anima; nec etiam habetur ejus objectivum sine esse, cum ejus objectivum sit ad modum entis, seu objici ens : Ergo esse entis rationis est essentialiter & convertibiliter objectivum : Ergo hoc ipso quod aliud acquirit objectivum, aliud acquirit esse; Ergo aliud acquirit esse per hoc quod cognoscitur factum, cum aliud hoc ipso acquirat objici : Ergo per hoc quod cognoscitur factum, hoc ipso fit : Ergo hoc ipso quod cognoscit Deus ens rationis à nobis factum [quod est primum præmissum principium] sequitur ens rationis de facto fieri ab intellectu divino.

Probatur 2. ex secundo præmisso principio, *ens rationis cognoscitur à Deo negativè*. Ergo ens rationis fit à Deo. *Probatur consequentia*: hoc ipso quod ens rationis est in apprehensivo Dei conceptu certum quid, fit hoc ipso à Deo : Sed est certum quid in apprehensivo Dei conceptu, hoc ipso quod cognoscitur negativè à Deo : Ergo hoc ipso quod ens rationis cognoscitur a Deo negativè, fit hoc ipso à Deo. *Major* est certa, cum hoc ipso quod est certum quid in apprehensivo Dei conceptu, fit etiam tale quid ex apprehensivo ejus conceptu, in quo consistit ipsius fieri. *Probatur Minor* : quod est in apprehensivo conceptu, nec est in illo nihilum, aut tanquam nihilum, est certum quid in apprehensivo conceptu; sed hoc ipso quod ens rationis cognoscitur negativè à Deo, est, scilicet objectivè in apprehensivo conceptu, ut conceditur; nec est in illo nihilum aut tanquam nihilum ; Ergo hoc ipso quod cognoscitur à Deo negativè, est certum quid in apprehensivo Dei conceptu. *Major patet*, ex terminis. *Probatur Minor*: unumquodque non est in apprehensivo conceptu nisi id quod per negativum conceptum negamus, ut per se patet, cum non negemus nisi id quod apprehendimus; sed hoc ipso quod ens rationis negativè cognoscitur à Deo, negatur esse ens, non autem negatur esse nihilum : Ergo, & hoc ipso quod ens rationis negativè cognoscitur à Deo est in ejus apprehensivo conceptu, & non est tanquam nihilum; ergo hoc ipso quod negativè cognoscitur à Deo est certum quid in ejus apprehensivo conceptu; ergo

go hoc ipso quod negativè cognoscitur à Deo [quod est secundum præmissum principium] sequitur hoc ipso fieri à Deo.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio: *Ens rationis cognoscitur à Deo speculativè*; Ergo fit seu fieri potest à Deo ens rationis. *Probatur consequentia*. Ens rationis fieri potest per cognitionem speculativam. Ergo hoc ipso quod cognoscitur à Deo speculativè fieri potest à Deo. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: per illam cognitionem fieri potest ens rationis, per quam conservatur in esse; Sed per cognitionem speculativam conservatur in esse; Ergo & per cognitionem speculativam fieri potest. *Minor* supponitur certa; cognitio namque qua reflectitur intellectus supra ens rationis factum, quæque non est nisi speculativa, ut patet, habet conservare tale ens rationis in esse. *Probatur Major*: quod non potest ab uno fieri & ab altero conservari; per idem fit per quod conservatur: sed ens rationis talis est naturæ, quod non potest per unam cognitionem fieri & per alteram conservari: Ergo per illam cognitionem fit ens rationis per quam conservatur in esse. *Major patet* ex terminis: *Probatur minor*: esse entis rationis ex sui natura est objectivum; sed illud objectivum quod habet à cognitione per quam fit, continuari non potest ab aliâ, cum hoc ipso quod alteri objicitur cognitioni, sit aliud passivum objici seu objectivum, sicut est aliud activum objicere? Ergo ens rationis talis est naturæ quod non potest per unam cognitionem fieri & per alteram conservari; Ergo ens rationis per eamdem cognitionem fit, per quam conservatur in esse; Ergo ens rationis fieri potest per cognitionem speculativam; Ergo hoc ipso quod cognoscit Deus speculativè ens rationis (quod est tertium præmissum principium) sequitur ens rationis fieri posse ab intellectu divino.

Probatur Insuper contra tritum illud adversariorum dictum & unicum ferè eorum fundamentum, puta quod fabricatio entis rationis involvit imperfectionem, contra quod fundamentum arguo ergo sic: hoc ipso quod fieri entis rationis non dicit imperfectionem inseparabiliter annexam, potest hoc ipso ens rationis fieri à Deo; sed non dicit fieri entis rationis imperfectionem inseparabiliter annexam: Ergo potest ens rationis fieri à Deo. *Major* conceditur ab adversariis & per se patet; cum hoc ipso sit assignabilis modus quo fiat ens rationis, qui ab omni præscindat imperfectione, subindeque qui Deo non repugnet. *Probatur minor*: ideo fieri entis ra-

rationis imperfectionem, dicit inseparabiliter annexam, quia dicit non ens conceptum ad modum entis: Sed conceptus non entis ad modum entis non dicit imperfectionem annexam: Ergo nec ipsum fieri entis rationis. *Major* est ex doctrina adversariorum. *Probatur minor*: quod imperfectionem inseparabiliter annexam in nullo potest casu ab ea denudari: Sed conceptus non entis ad modum entis potest in casu aliquo ab imperfectione denudari; Ergo conceptus non entis ad modum entis non dicit imperfectionem inseparabiliter annexam. *Major* patet ex terminis *Probatur minor*: per hoc præcisè quod concipitur ens ab alio fictum, concipitur non ens ad modum entis; cum hoc importet ly esse fictum: Sed concipitur ens ab alio fictum sine ulla prorsus imperfectione, cum perfectio sit cognoscere conceptum alterius; subindeque & terminum illius conceptus, qui terminus est aliquando fictum quid, Ergo conceptus non entis ad modum entis non dicit imperfectionem inseparabiliter annexam: Ergo fieri entis rationis imperfectionem non dicit inseparabiliter annexam: Ergo potest ens rationis fieri à Deo.

Probatur ultimò: Fit ens rationis à Deo, hoc ipso quod habet actuale esse ex apprehensivo Dei conceptu; Sed habet ens rationis actuale esse ex apprehensivo Dei conceptu; Ergo ens rationis fit à Deo, *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*: hoc ipso quod habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu, habet & ex apprehensivo Dei conceptu; Sed habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu; Ergo & habet ex apprehensivo Dei conceptu, *Minor* conceditur ab adversariis & patet ex eo quod apprehensivus Dei conceptus comprehendit omnes nostras cognitiones, subindeque & earumdem terminos, inter quos plura sunt entia rationis: cum ergo unumquodque fit objectivè in conceptu quo apprehenditur, evidenter sequitur quod entia rationis habeant esse in apprehensivo Dei conceptu. *Probatur Major*, in qua est difficultas, id ex quo habet ens rationis actuale esse, debet esse conceptus aliquis; Sed non alius esse potest quam conceptus in quo habet esse; Ergo si habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu, habet & ex apprehensivo Dei conceptu. *Major* conceditur ab omnibus & propterea dicitur esse ens rationis. *Probatur minor*: conceptus ex quo habet ens rationis actuale esse, non alius esse potest quam ille cui actu objicitur; cum eo secluso conceptu, intelligi non possit in actuali esse & eo præ-

cisè

cisè posito, se luso quocumque alio habeat hoc ipso actuale esse sicut per posse actu objici habet hoc ipso esse possibile seu in potentia; Sed ille cui actu objicitur non alius est, quam in quo habet esse; cum ly in supponat in præsenti pro in objectivo, non subjectivo, ergo conceptus ex quo habet ens rationis actuale esse non alius esse potest, quam conceptus in quo habet esse: Ergo hoc ipso quod habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu, habet & ex apprehensivo Dei conceptu: Ergo cum habeat in apprehensivo Dei conceptu actuale esse, habet & ex apprehensivo Dei conceptu, proindeque & habet quod fiat à Deo.

Objicies 1. Cognitio factiva entis rationis dicit inseparabiliter imperfectionem: Ergo non potest divinus intellectus facere ens rationis. *Probatur antecedens:* cognitio fingens dicit inseparabiliter imperfectionem; Sed cognitio factiva entis rationis est de necessitate cognitio fingens, Ergo cognitio factiva entis rationis dicit inseparabiliter imperfectionem. *Probatur Minor:* cognitio cujus terminus est fictitium quid est de necessitate cognitio fingens; Sed cognitio factiva entis rationis terminatur de necessitate ad quid fictitium: Ergo cognitio factiva entis rationis est de necessitate cognitio fingens. *Probatur Minor*: inter ens verum & fictitium non datur medium; Sed cognitio factiva entis rationis terminatur ad ens, nec terminatur ad ens verum ut per se patet: Ergo cognitio factiva entis rationis terminatur ad quid fictitium.

Respondeo negando antecedens, cujus falsitas abundè colligitur ex dictis supra in probanda conclusione & præcipuè ex quarta probatione: ad probationem vero nego minorem: etenim cognitio fingens ut talis sic debet ita & taliter se habere in modo attingendi objectum suum seu fictitium ens, ut ex modo attingendi non appareat quod sit fictitium, alias si ex modo attingendi hoc appareat; erit tunc cognitio manifestatio rationis fictitiæ, adeoque non erit fingens: jam sic est quod cognitio factiva entis rationis potest esse talis, ut ex modo attingendi objectum appareat quod sit fictitium, quandoquidem cum tali modo attingendi objectum adhuc verificatur quod tale ens fictitium esse habeat objectivum in tali cognitione, eaque seclusa non habeat hujusmodi esse; Ergo cognitio factiva entis rationis non est de necessitate cognitio fingens. Unde ad id quod dicitur ad tertium argumentum, Respondeo, distinguendo majorem: cognitio quæ terminatur ad quid fictitium est de necessitate cognitio fingens: si terminetur

tur

tur ad illud fictitium assertivè aut quasi assertivè, concedo: si vero ad fictitium terminetur repræsentativè solum, nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Etenim cognitio, quâ cognosco ego ens à te fictum, seu cognitionem alterius fictivam terminatur haud dubiè ad quid fictitium; & nihilominus est plusquam certum quod talis mea cognitio non est cognitio fingens, propterea quod non habet terminari ad illud fictitium nisi repræsentativè & præsentialiter, illud scilicet sibi repræsentans, sibique illud efficiens præsens: non ergo dici debet cognitio fingens ex hoc præcisè quod terminetur ad fictitium, ratio autem hujus solutionis est, quia cognitio quæ ita per simplicem repræsentationem attingit ens fictitium; licet attingat ly fictitium tanquam rationem quæ seu id quod attingitur, attingit tamen sub ratione purè repræsentabilis tanquam sub ratione sub qua; unde cum illa repræsentabilitas, seu ita esse repræsentabile non sit in ente fictitio quid fictitium, cum de facto & reipsa sit ens fictitium ita repræsentabile, ex eo scilicet quod de facto & reipsa intellectus est potens illud sibi repræsentare, sequitur de primo ad ultimum, quod cognitio quæ ita repræsentativè attingit ens fictitium, quæque ut dictum fuit supra, & ut in sequenti solutione ulterius probabitur est factiva entis rationis, non sit cognitio fingens.

Instabis: ideo ergo cognitio factiva entis rationis non est de necessitate cognitio fingens, quia est factiva per hoc præcisè quod repræsentativè attingit ens fictitium; Sed falsum est quod per hoc præcisè sit factiva entis rationis: Ergo & est falsum quod cognitio factiva entis rationis non sit de necessitate cognitio fingens. *Probatur Minor*: cognitio factiva entis rationis debet esse talis, quod tribuat non enti rationem entis: Sed per simplex repræsentari in esse non tribuitur esse; Ergo per hoc præcisè quod cognitio repræsentativè attingit ens fictitium non est factiva entis rationis.

Respondeo negando minorem; quod scilicet cognitio non sit factiva entis rationis per hoc præcisè quod repræsentativè attingit ens aliquod fictitium in particulari; primo namque si esse actuale entis rationis talis est naturæ quod mediet inter ens reale & nihilum ut concedunt omnes, pro certo consequenter haberi debet, quod hoc ipso quod ita negotiatur cognitio circa aliquid ut illa ita condistinguat seu in statu ponat, in quo sit condistinctum ab ente reali & nihilo, quod illi conferat talis cognitio actuale esse; subindeque & faciat: jam sic est

Nota.

est quod per hoc præcisè quod cognitio habet sibi repræsentare ens aliquod fictitium, habet per hoc præcisè, illud in tali statu ponere; cum hoc ipso verum sit dicere quod habet esse in tali cognitione, quod dici nequit de nihilo; & quod habet tantum esse in tali cognitione, quod similiter dici nequit de reali ente: Ergo per hoc præcisè quod ita repræsentativè attingit ens fictitium, habet facere ens rationis. Secundo per hoc præcisè quod cognitio repræsentativè attingit ens aliquod fictitium in particulari, illud sibi repræsentans existens, facit illud sibi actu præsens quantum ad esse, subindeque & illi confert actualem quandam præsentiam, jam subsumo: Sed actualis illa præsentia est quoddam esse actuale rationis, cum sit extractum quid ex nihilo præsentiæ objectum: Ergo per hoc præcisè quod cognitio repræsentativè attingit fictitium aliquod ens puta distinctionem inter attributa divina facit hoc ipso ens rationis. Tandem fit ens rationis secundum adversarios, per quamcumque operationem intellectus subindeque & per cognitionem apprehensivam: jam sic est quod cognitio illa apprehensiva quâ fit ens rationis non aliter negotiatur circa illud quàm per simplicem repræsentationem, seu repræsentativè attingendo relationem, Petri ad hominem, verbi gratia, sub ratione relationis, cum omnis alia negotiatio, quæ transilit limites simplicis repræsentationis, transiliat etiam limites apprehensionis, ut serio consideranti patebit: Ergo per hoc præcisè quod repræsentativè attingitur ens aliquod fictitium in particulari, fit hoc ipso ens rationis.

Nota.

Unde ad probationem minoris negatæ, distinguo minorem: sed per simplex repræsentari in esse non tribuitur esse; non tribuitur omni quo potest, aut quo à nobis solet modo, concedo, non tribuitur modo aliquo & absolutè loquendo, subdistinguo, si sermo sit de esse aliquo reali, concedo; si sermo sit de esse tantum objectivo, Nego: ratio autem hujus est, quia esse tantum objectivum talis est naturæ, quod se habet convertibiliter cum objectivo, adeo ut nec haberi possit esse sine objectivo, nec ejus objectivum sine esse: jam sic est quod per simplex repræsentari tribuitur objectivum, ut patet ex terminis: Ergo ubi sermo est de esse non reali, sed objectivo, ibi per simplex repræsentari in esse tribuitur, addo quod per hoc tribuitur esse objectivum per quod extrahitur ex non esse objectivo; Sed per simplex repræsentari extrahitur ex non esse objectivo; cum de non esse intentionaliter præsens, fiat præsens quantum ad esse; Ergo idem quod prius.

Nota.

Objicies

Objicies 2. ens rationis est non ens conceptum ad modum entis; Sed non potest divinus intellectus non ens concipere ad modum entis; Ergo non potest divinus intellectus conficere ens rationis. *Probatur Minor* : non potest divinus intellectus simul concipere ad modum entis quod concipit ad modum non entis; Sed divinus intellectus habet semper concipere non ens ad modum non entis, cum sit verus ille conceptus, & verus omnis conceptus præsumendus semper sit esse in Deo sive divino intellectu : Ergo divinus intellectus nusquam habet concipere non ens ad modum entis.

Respondeo distinguendo claritatis gratia majorem sic : ens rationis est non ens conceptum ad modum entis, conceptum vel repræsentativè vel assertivè aut quasi assertivè, concedo: conceptum tantum assertivè vel quasi assertivè, Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Etenim ly conceptum per modum entis quod in hac definitione exprimitur, convertitur cum ly habere tantum esse objectivè, quod exprimitur in altera : modo sic est, quod per hoc præcisè quod concipitur non ens ad modum entis repræsentativè, verificatur & ponitur ly habere tantum esse objectivè, ut abundè colligitur ex dictis supra, & ulterius suadetur hoc argumento; per id actu & de facto ponitur habere esse objectivum, per cujus oppositum de facto & exercitè tollitur : sed per hoc quod non ens habet repræsentari ut non ens, per hoc tollitur, si quod habet esse objectivum; Ergo & per hoc quod habet repræsentari ut ens, hoc ipso de facto ponitur ejus esse objectivum; ac proinde ad hoc ut sit & ponatur ens rationis sufficienter concipitur non ens ad modum entis, hoc ipso quod concipitur & attingitur tantum modo repræsentativè. Unde ad sequens argumentum dico, quod quamvis non possit divinus intellectus illud assertivè concipere ad modum entis, quod assertivè concipit ad modum entis, potest tamen repræsentativè concipere & attingere ad modum entis quod assertivè concipit ad modum non entis, cum repræsentabilitas ad modum entis non pugnet cum ipsa ratione non entis, sed magis sequatur & comitetur, ut serio consideranti patebit: imo non potest Deus [meo videri] concipere relationem Petri ad hominem ad modum non entis assertivè, ut de facto concipit, quin & eam repræsentativè attingat seu concipiat ad modum entis; cum illam concipere assertivè ad modum non entis, sit de facto negare hanc esse ens, & nihil negetur,

Nota.

tur, nisi sub ea ratione qua repræsentativè sive apprehensivè attingitur: non ergo implicat quod possit divinus intellectus repræsentativè attingere & concipere ad modum entis, id quod assertivè concipit ad modum non entis.

Instat Joannes à S. Thoma: debet Deus posse semper judicare de re eo modo quo apprehendit: Sed si sub aliqua ratione attingeret non ens ad modum entis, tunc judicare non posset de re, quo modo apprehendit: cum de non ente judicare nequeat quod sit ens & tamen tunc apprehenderet ens; Ergo sub nulla ratione potest Deus concipere non ens ad modum entis.

Respondeo distinguendo majorem: debet Deus posse semper judicare de re eo modo quo apprehendit; judicio vel affirmativo vel negativo, concedo; judicio semper affirmativo, Nego; vel claritatis gratia subdistinguo sic, quando apprehendit eo tantum modo quo petit apprehendi, concedo; quando apprehendit non tantum ut petit; Sed etiam ut potest apprehendi, Nego; quod tunc per judicium affirmativum debeat posse judicare de re, eo modo quo apprehendit. Pro quo dico quod cum judicium sit duplex, & utrumque cadat supra rem apprehensam, sed opposito & contradictorio modo, propterea fit quod sicut judicium affirmativum dum verum est petit quod res sit apprehensa ut est in se; sic similiter petit judicium negativum quod quidem opposito modo procedit, quod res sit aliter repræsentata in apprehensione quam sit in se; ac proinde cum hoc ferat divinus intellectus judicium negativum de ente rationis, puta de divinis attributis, quod non sint distincta, vel quod non sit relatio inter Petrum & hominem, & sic de cæteris; & cadat judicium supra rem ut in apprehensione repræsentatam, non potest consequenter relatio aut distinctio illa non esse in divina apprehensione repræsentata ad modum relationis & distinctionis. Tantum ergo abest quod ex eo quod judicare debeat divinus intellectus de re eo modo quo apprehendit, non possit non ens ad modum entis repræsentativè attingere, quin immò sequitur evidenter oppositum, cum judicium ferre possit divinus intellectus & affirmativum & negativum, & judicium negativum petat rem per apprehensionem aliter repræsentativè attingi; ac est in se; aliter falsum esset judicium negativum, cum cadat supra rem ut in apprehensione repræsentatam. Unde sic arguo & retorqueo contra Joannem à sancto Thoma cujus est præsens instantia:

Apprehensio illa immeritò excluditur & immeritò explo-

denda

denda colligitur ex judicio, quæ potius conducit ad verum judicium proferendum: Sed apprehensio repræsentativè attingens non ens ad modum entis conducit ut verum proferat divinus intellectus judicium: Ergo immeritò colligitur à divino intellectu explodenda ex ejus judicio. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: negativum judicium quod profert divinus intellectus circa ens rationis, quod non sit ens, quod non sit relatio, distinctio &c., est verum judicium: Sed verum esse nequit nisi sit ens rationis repræsentativè apprehensum ad modum entis: Ergo apprehensio repræsentativè attingens non ens ad modum entis conducit ut verum proferat divinus intellectus judicium. *Major* per se patet. *Probatur Minor*: judicium sive affirmativum sive negativum cadit supra rem ut in apprehensione repræsentatam; cum sit de naturâ suâ secunda intellectus operatio, subindeque & subordinata essentialiter primæ: Ergo intantum verum est judicium negativum, inquantum res non est in se quod est in apprehensione repræsentata: Sed ut non sit ens rationis in se quod est in apprehensione repræsentatum, ad hoc conducit ejus repræsentativa apprehensio ad modum entis: Ergo ad hoc verum proferendum judicium de ente rationis, quod non sit ens, conducit ejus repræsentatio seu repræsentativa apprehensio ad modum entis.

Objicies 3. si posset divinus intellectus conficere entia rationis, posset & Logicalia; Sed conceditur communiter quod non potest entia rationis Logicalia conficere; Ergo nec ulla conficere potest *Major Probatur* ex tribus supra præmissis principiis: potest enim & Logicalia cognoscere Deus facta; cognoscere speculativè; cognoscere & negativè: sed alia facit Deus rationis entia per tres illos cognoscendi modos. Ergo & Logicalia poterit facere.

Respondeo distinguendo majorem: si posset divinus intellectus conficere entia rationis, posset conficere & Logicalia, sumendo ly entia rationis Logicalia seorsim à Logicali modo quo solent confici, concedo; sumendo illa conjunctim cum modo illo Logicali, nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam, pro quo dico quod entia rationis dicuntur & possunt denominari Logicalia, & quia sunt quid pertinens ad considerationem Logicæ; & quia modo fiunt Logicali sive ab intellectu ut à Logica regulato & ordinato: si ergo dum sit sermo de entibus rationis Logicalibus usurpetur talis denominatio Logicalis ratione utriusque; cum certum est

cipere ad modum entis, cum sit semper in actuali cognitione negativa, quod talia taliter concepta sint ens: non ergo procedit quæsitum tituli de omni vel simili modo quo fieri solet ens rationis ab intellectu humano; sed sensus tituli est an entia rationis quæ non nisi cum imperfectione, & modo defectivo fieri solent ab intellectu humano, fieri possint & confici modo aliquo, qui ab omni præscindat & denudetur imperfectione, quique proinde tribui possit & convenire divino intellectui: ego re seriò & per multum otium meditata in affirmativam inclinor & in hanc imprimis adducor ex triplici definitione quę afferri solet de ente rationis, puta *quod sit id quod habet tantum esse objectivè*; & quod sit *non ens conceptum ad modum entis*, ex his namque ita sum ratiocinatus, duæ illæ definitiones eamdem explicant naturam entis rationis; Ergo idem important significatum & in idem coincidunt; Ergo secunda definitio puta non ens conceptum ad modum entis, quæ quidem est in hac materia totum adversariorum fundamentum salvatur per hoc præcisè & hoc ipso quod salvatur prima, puta habere tantum esse objectivè in intellectu; jam sic est quod ly habere tantum esse objectivè in intellectu modo quodam fieri potest præscindente & denudato ab omni imperfectione, cum id habeat esse objectivè per hoc pręcisè quod sit intellectui pręsens, quod haud dubiè nullam præ se ferr imperfectionem, sed potius perfectionem, cùm præcisè dicat extensionem intellectus ad aliquid cognoscibile; Ergo non videtur negandum modo quodam fieri posse & confici ens rationis præscindente ab imperfectione, subindeque & Deo convenienti, sed pro majori hujus elucidatione.

Præmittendum 2. Dupliciter intelligi posse, quod non ens concipiatur ad modum entis, scilicet repręsentativè, & assertivè; vel quod in idem redit per conceptum non ultimatum, & tendentem ad negationem, & per conceptum ultimatum ibique sistentem, dicitur autem concipi non ens ad modum entis repræsentativè, quando scilicet intellectus sibi præsentia reddit entia fictitia, seu cognoscibilia ad modum entis; & hoc per simplicem repræsentationem nec formaliter nec virtualiter asseverantem, immo tendentem ulterius ad negationem; adeo ut non sibi talia repræsentet intellectus nisi ad negandum quod talia & taliter repræsentata verè & in se talia sint. Secundo verò concipi potest non ens ad modum entis non tantum repræsentativè, sed assertivè aut quasi assertivè; quod quidem accidit quando intellectus non tantum talia sibi facit præsentia,

tia, sed præterea rationem illam entis eis tribuit tanquam eis convenientem & per judicium formaliter assertivum, vel certè ex modo quo illa sibi præsentia facit per conceptum scilicet ultimatum, ibique sistendo nec ulterius tendendo ad negationem, talia si non formaliter, saltem virtualiter assertivè attingat ad modum entis, quo scilicet modo solemus nos Philosophi nobis repręsentare relationes rationis & alia hujusmodi rationis entia. Hoc autem supposito & diligenter pręnotato jam dico, quod dum vel concludendo vel in probanda conclusione vel in decursu quæstionis hoc occurret dictum, quod scilicet & potest divinus intellectus concipere non ens ad modum entis subindeque & facere eos rationis, quod dictum illud non debet nec volumus in hoc secundo usurpari sensu; adeo ut Deus assertivè vel quasi assertivè & per conceptum sistentem & quasi ultimatum possit id quod non est concipere ad modum entis, sed usurpari debet in primo sensu ita ut possit divinus intellectus sibi pręsentia facere hujusmodi entia per simplicem repręsentationem, nec formaliter nec virtualiter asseverantem, sed potius tendentem ulterius ad negationem; sensu supra exposito neque in alio sensu usurpatur in definitione quæ adduci solet de ente rationis, dum scilicet definitur non ens conceptum ad modum entis: cum enim ut dictum fuit supra, secunda hæc definitio convertatur cum altera, in qua scilicet definitur id quod habet tantum esse objectivè in intellectu; & per hoc præcisè quod fit ens rationis, seu non ens ad modum entis intellectui pręsens per simplicem repręsentationem, per hoc pręcisè habeat esse objectivè; ut per se patet; nec ad hoc requiratur assertio seu assertivus conceptus, cum hoc ipso quod assertivus est, fit de re jam pręsupposita seu supposita in esse, supra quod cadit assertio ut satis indicat terminus ille assertionis, consequēter fit quod ly non ens conceptum ad modum entis, ut exprimitur in secunda definitione, usurpetur in primo sensu supra explicato, vel salvetur in primo illo sensu scilicet per simplicem repręsentationem, non autē assertivè, & per conceptū ibi quasi assertivè sistentem.

Præmittendum Ultimo pro intelligentia principiorum, ad quæ reduci debet conclusio, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subinde vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ: puta quod ***Divinus intellectus habet concipere ens rationis à nobis factum*** : quod ***habet concipere ens rationis negativè*** : quod ***habet concipere ens rationis speculativè***. Primo quidem habet divinus intellectus concipere entia rationis à nobis facta, cujus ratio est, quia comprehendit Deus omnes actus intellectus humani; omnes enim illi, utpote actus

reales sunt à Deo comprehensivè cognoscibiles: Ergo cognoscit Deus omnium prædictorum actuum objecta; prout ipsorum actuum objecta sunt; implicat enim aliquem comprehendi actum cognoscitivum, quin ejus comprehendatur objectum: jam sic est quod inter actus intellectus humani aliquæ sunt cognitiones entium rationis, ad quas ipsa entia rationis resultant: Ergo cognoscit Deus talia entia rationis, quæ mediis talibus actibus ab intellectu humano cognoscuntur, & efficiuntur.

Secundum verò non est minus certum, quod scilicet habeat divinus intellectus concipere entia rationis negative seu per conceptum negativum. Hæc enim propositio *ens rationis non est reale ens*, est vera, & æternæ veritatis: Ergo non potest subterfugere divinam cognitionem, sed cognitio quæ hanc attingit veritatem, non est nisi cognitio negativa: Ergo pro certo est habendum, & tanquam principium certum, quod habet divinus intellectus, concipere ens rationis negativè.

Tandem pro certo similiter haberi debet, quod habet divinus intellectus concipere ens rationis speculativè: Deus namque sive divinus intellectus speculativus est infinitæ cognoscibilitatis activæ; Ergo nihil speculabile potest ejus subterfugere cognitionem speculativam; jam sic est, quod ens rationis est speculabile quid, cum sit aliqualis entitatis, subindeque & cognoscibilitatis passivæ; sitque connexio necessaria inter ipsum, ejusque quæ ipsi assignantur proprietates, ut fusè ostensum fuit in libro præcedenti: Ergo divinus intellectus habet cognoscere speculativè ens rationis, his ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad præmissa principia reductione fit.

Conclusio: *Potest fieri & de facto fit ens rationis à divino intellectu.*

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, *habet divinus intellectus concipere ens rationis à nobis factum*; Ergo & facit divinus intellectus ens rationis. *Probatur consequentia*: hoc ipso quod ens rationis aliud acquirit esse per hoc quod cognoscitur factum, hoc ipso fit: sed per hoc quod illud cognoscit Deus à nobis factum aliud acquirit esse: Ergo hoc ipso quod cognoscit Deus ens rationis à nobis factum, hoc ipso facit. *Major patet* ex terminis; fieri namque & acquirere esse idem sonant. *Probatur Minor*: esse entis rationis est essentialiter & convertibiliter objectivum; sed per hoc quod cognoscitur factum, aliud ac-

acquirit objectivum seu objici : Ergo per hoc quod cognoscitur factum à nobis, aliud acquirit esse. *Minor patet*, cum supponatur tunc acquirere seu habere objici, respectu alterius, sive divini intellectus. *Probatur Major*: ubi non habetur esse sine objectivo, nec objectivum sine esse, ibi esse est essentialiter & convertibiliter objectivum; sed nec habetur esse entis rationis sine objectivo ut patet ex terminis, cum propterea dicatur esse rationis seu in anima; nec etiam habetur ejus objectivum sine esse, cum ejus objectivum sit ad modum entis, seu objici ens : Ergo esse entis rationis est essentialiter & convertibiliter objectivum : Ergo hoc ipso quod aliud acquirit objectivum, aliud acquirit esse; Ergo aliud acquirit esse per hoc quod cognoscitur factum, cum aliud hoc ipso acquirat objici : Ergo per hoc quod cognoscitur factum, hoc ipso fit : Ergo hoc ipso quod cognoscit Deus ens rationis à nobis factum [quod est primum præmissum principium] sequitur ens rationis de facto fieri ab intellectu divino.

Probatur 2. ex secundo præmisso principio, *ens rationis cognoscitur à Deo negativè*. Ergo ens rationis fit à Deo. *Probatur consequentia*: hoc ipso quod ens rationis est in apprehensivo Dei conceptu certum quid, fit hoc ipso à Deo : Sed est certum quid in apprehensivo Dei conceptu, hoc ipso quod cognoscitur negativè à Deo : Ergo hoc ipso quod ens rationis cognoscitur a Deo negativè, fit hoc ipso à Deo. *Major* est certa, cum hoc ipso quod est certum quid in apprehensivo Dei conceptu, fit etiam tale quid ex apprehensivo ejus conceptu, in quo consistit ipsius fieri. *Probatur Minor* : quod est in apprehensivo conceptu, nec est in illo nihilum, aut tanquam nihilum, est certum quid in apprehensivo conceptu; sed hoc ipso quod ens rationis cognoscitur negativè à Deo, est, scilicet objectivè in apprehensivo conceptu, ut conceditur; nec est in illo nihilum aut tanquam nihilum; Ergo hoc ipso quod cognoscitur à Deo negativè, est certum quid in apprehensivo Dei conceptu. *Major patet*, ex terminis. *Probatur Minor*: unumquodque non est in apprehensivo conceptu nisi id quod per negativum conceptum negamus, ut per se patet, cum non negemus nisi id quod apprehendimus; sed hoc ipso quod ens rationis negativè cognoscitur à Deo, negatur esse ens, non autem negatur esse nihilum : Ergo, & hoc ipso quod ens rationis negativè cognoscitur à Deo est in ejus apprehensivo conceptu, & non est tanquam nihilum; ergo hoc ipso quod negativè cognoscitur à Deo est certum quid in ejus apprehensivo conceptu; ergo

go hoc ipso quod negativè cognoscitur à Deo [quod est secundum præmissum principium] sequitur hoc ipso fieri à Deo.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio: *Ens rationis cognoscitur à Deo speculativè*; Ergo fit seu fieri potest à Deo ens rationis. *Probatur consequentia.* Ens rationis fieri potest per cognitionem speculativam. Ergo hoc ipso quod cognoscitur à Deo speculativè fieri potest à Deo. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: per illam cognitionem fieri potest ens rationis, per quam conservatur in esse; Sed per cognitionem speculativam conservatur in esse; Ergo & per cognitionem speculativam fieri potest. *Minor* supponitur certa; cognitio namque qua reflectitur intellectus supra ens rationis factum, quæque non est nisi speculativa, ut patet, habet conservare tale ens rationis in esse. *Probatur Major*: quod non potest ab uno fieri & ab altero conservari; per idem fit per quod conservatur: sed ens rationis talis est naturæ, quod non potest per unam cognitionem fieri & per alteram conservari: Ergo per illam cognitionem fit ens rationis per quam conservatur in esse. *Major patet* ex terminis: *Probatur minor*: esse entis rationis ex sui natura est objectivum; sed illud objectivum quod habet à cognitione per quam fit, continuari non potest ab aliâ, cum hoc ipso quod alteri objicitur cognitioni, fit aliud passivum objici seu objectivum, sicut est aliud activum objicere? Ergo ens rationis talis est naturæ quod non potest per unam cognitionem fieri & per alteram conservari; Ergo ens rationis per eamdem cognitionem fit, per quam conservatur in esse; Ergo ens rationis fieri potest per cognitionem speculativam; Ergo hoc ipso quod cognoscit Deus speculativè ens rationis (quod est tertium præmissum principium) sequitur ens rationis fieri posse ab intellectu divino.

Probatur Insuper contra tritum illud adversariorum dictum & unicum ferè eorum fundamentum, puta quod fabricatio entis rationis involvit imperfectionem, contra quod fundamentum arguo ergo sic: hoc ipso quod fieri entis rationis non dicit imperfectionem inseparabiliter annexam, potest hoc ipso ens rationis fieri à Deo; sed non dicit fieri entis rationis imperfectionem inseparabiliter annexam: Ergo potest ens rationis fieri à Deo. *Major* conceditur ab adversariis & per se patet; cum hoc ipso sit assignabilis modus quo fiat ens rationis, qui ab omni præscindat imperfectione, subindeque qui Deo non repugnet. *Probatur minor*: ideo fieri entis

ra-

rationis imperfectionem, dicit inseparabiliter annexam, quia dicit non ens conceptum ad modum entis: Sed conceptus non entis ad modum entis non dicit imperfectionem annexam: Ergo nec ipsum fieri entis rationis. *Major* est ex doctrina adversariorum. *Probatur minor*: quod imperfectionem inseparabiliter annexam in nullo potest casu ab ea denudari: Sed conceptus non entis ad modum entis potest in casu aliquo ab imperfectione denudari; Ergo conceptus non entis ad modum entis non dicit imperfectionem inseparabiliter annexam. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*: per hoc præcisè quod concipitur ens ab alio fictum, concipitur non ens ad modum entis; cum hoc importet ly esse fictum: Sed concipitur ens ab alio fictum sine ulla prorsus imperfectione, cum perfectio sit cognoscere conceptum alterius; subindeque & terminum illius conceptus, qui terminus est aliquando fictum quid, Ergo conceptus non entis ad modum entis non dicit imperfectionem inseparabiliter annexam: Ergo fieri entis rationis imperfectionem non dicit inseparabiliter annexam: Ergo potest ens rationis fieri à Deo.

Probatur ultimò: Fit ens rationis à Deo, hoc ipso quod habet actuale esse ex apprehensivo Dei conceptu; Sed habet ens rationis actuale esse ex apprehensivo Dei conceptu; Ergo ens rationis fit à Deo, *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*: hoc ipso quod habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu, habet & ex apprehensivo Dei conceptu; Sed habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu; Ergo & habet ex apprehensivo Dei conceptu, *Minor* conceditur ab adversariis & patet ex eo quod apprehensivus Dei conceptus comprehendit omnes nostras cognitiones, subindeque & earumdem terminos, inter quos plura sunt entia rationis; cum ergo unumquodque sit objectivè in conceptu quo apprehenditur, evidenter sequitur quod entia rationis habeant esse in apprehensivo Dei conceptu. *Probatur Major*, in qua est difficultas, id ex quo habet ens rationis actuale esse, debet esse conceptus aliquis; Sed non alius esse potest quam conceptus in quo habet esse; Ergo si habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu, habet & ex apprehensivo Dei conceptu. *Major* conceditur ab omnibus & propterea dicitur esse ens rationis. *Probatur minor*: conceptus ex quo habet ens rationis actuale esse, non alius esse potest quam ille cui actu objicitur; cum eo secluso conceptu, intelligi non possit in actuali esse & eo præ-

cisè

cisè posito, se illo quocumque alio habeat hoc ipso actuale esse sicut per posse actu objici habet hoc ipso esse possibile seu in potentia; Sed ille cui actu objicitur non alius est, quam in quo habet esse; cum ly in supponat in præsenti pro in objectivo, non subjectivo, ergo conceptus ex quo habet ens rationis actuale esse non alius esse potest, quam conceptus in quo habet esse: Ergo hoc ipso quod habet ens rationis actuale esse in apprehensivo Dei conceptu, habet & ex apprehensivo Dei conceptu: Ergo cum habeat in apprehensivo Dei conceptu actuale esse, habet & ex apprehensivo Dei conceptu, proindeque & habet quod fiat à Deo.

Objicies 1. Cognitio factiva entis rationis dicit inseparabiliter imperfectionem: Ergo non potest divinus intellectus facere ens rationis. *Probatur antecedens:* cognitio fingens dicit inseparabiliter imperfectionem; Sed cognitio factiva entis rationis est de necessitate cognitio fingens, Ergo cognitio factiva entis rationis dicit inseparabiliter imperfectionem. *Probatur Minor:* cognitio cujus terminus est fictitium quid est de necessitate cognitio fingens; Sed cognitio factiva entis rationis terminatur de necessitate ad quid fictitium: Ergo cognitio factiva entis rationis est de necessitate cognitio fingens. *Probatur Minor*: inter ens verum & fictitium non datur medium; Sed cognitio factiva entis rationis terminatur ad ens, nec terminatur ad ens verum ut per se patet: Ergo cognitio factiva entis rationis terminatur ad quid fictitium.

Respondeo negando antecedens, cujus falsitas abunde colligitur ex dictis supra in probanda conclusione & præcipuè ex quarta probatione: ad probationem vero nego minorem: etenim cognitio fingens ut talis sit debet ita & taliter se habere in modo attingendi objectum suum seu fictitium ens, ut ex modo attingendi non appareat quod sit fictitium, alias si ex modo attingendi hoc appareat; erit tunc cognitio manifestatio rationis fictitiæ, adeoque non erit fingens: jam sic est quod cognitio factiva entis rationis potest esse talis, ut ex modo attingendi objectum appareat quod sit fictitium, quandoquidem cum tali modo attingendi objectum adhuc verificatur quod tale ens fictitium esse habeat objectivum in tali cognitione, eaque seclusa non habeat hujusmodi esse; Ergo cognitio factiva entis rationis non est de necessitate cognitio fingens. Unde ad id quod dicitur ad tertium argumentum, Respondeo, distinguendo majorem: cognitio quæ terminatur ad quid fictitium est de necessitate cognitio fingens: si termine-

tur ad illud fictitium assertivè aut quasi assertivè, concedo: si vero ad fictitium terminetur repræsentativè solum, nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Etenim cognitio, quâ cognosco ego ens à te fictum, seu cognitionem alterius fictivam terminatur haud dubiè ad quid fictitium; & nihilominus est plusquam certum quod talis mea cognitio non est cognitio fingens, propterea quod non habet terminari ad illud fictitium nisi repræsentativè & præsentialiter, illud scilicet sibi repræsentans, sibique illud efficiens præsens: non ergo dici debet cognitio fingens ex hoc præcisè quod terminetur ad fictitium, ratio autem hujus solutionis est, quia cognitio quæ ita per simplicem repræsentationem attingit ens fictitium; licet attingat ly fictitium tanquam rationem quæ seu id quod attingitur, attingit tamen sub ratione purè repræsentabilis tanquam sub ratione sub qua; unde cum illa repræsentabilitas, seu ita esse repræsentabile non sit in ente fictitio quid fictitium, cum de facto & reipsa sit ens fictitium ita repræsentabile, ex eo scilicet quod de facto & reipsa intellectus est potens illud sibi repræsentare, sequitur de primo ad ultimum, quod cognitio quæ ita repræsentativè attingit ens fictitium, quæque ut dictum fuit supra, & ut in sequenti solutione ulterius probabitur est factiva entis rationis, non sit cognitio fingens.

Instabis: ideo ergo cognitio factiva entis rationis non est de necessitate cognitio fingens, quia est factiva per hoc præcisè quod repræsentativè attingit ens fictitium; Sed falsum est quod per hoc præcisè sit factiva entis rationis: Ergo & est falsum quod cognitio factiva entis rationis non sit de necessitate cognitio fingens. *Probatur Minor*: cognitio factiva entis rationis debet esse talis, quod tribuat non enti rationem entis: Sed per simplex repræsentari in esse non tribuitur esse; Ergo per hoc præcisè quod cognitio repræsentativè attingit ens fictitium non est factiva entis rationis.

Respondeo negando minorem; quod scilicet cognitio non sit factiva entis rationis per hoc præcisè quod repræsentativè attingit ens aliquod fictitium in particulari; primo namque si esse actuale entis rationis talis est naturæ quod mediet inter ens reale & nihilum ut concedunt omnes, pro certo consequenter haberi debet, quod hoc ipso quod ita negotiatur cognitio circa aliquid ut illa ita condistinguat seu in statu ponat, in quo sit condistinctum ab ente reali & nihilo, quod illi conferat talis cognitio actuale esse; subindeque & faciat: jam sic *Nota.*

est

est quod per hoc præcisè quod cognitio habet sibi repræsentare ens aliquod fictitium, habet per hoc præcisè, illud in tali statu ponere; cum hoc ipso verum sit dicere quod habet esse in tali cognitione, quod dici nequit de nihilo; & quod habet tantum esse in tali cognitione, quod similiter dici nequit de reali ente : Ergo per hoc præcisè quod ita repræsentativè attingit ens fictitium, habet facere ens rationis. Secundo per hoc præcisè quod cognitio repræsentativè attingit ens aliquod fictitium in particulari, illud sibi repræsentans existens, facit illud sibi actu præsens quantum ad esse, subindeque & illi confert actualem quandam præsentiam, jam subsumo : Sed actualis illa præsentia est quoddam esse actuale rationis, cum sit extractum quid ex nihilo præsentiæ objectum : Ergo per hoc præcisè quod cognitio repræsentativè attingit fictitium aliquod ens purâ distinctionem inter attributa divina facit hoc ipso ens rationis. Tandem fit ens rationis secundum adversarios, per quamcumque operationem intellectus subindeque & per cognitionem apprehensivam : jam sic est quod cognitio illa apprehensiva quâ fit ens rationis non aliter negotiatur circa illud quàm per simplicem repræsentationem, seu repræsentativè attingendo relationem, Petri ad hominem, verbi gratia, sub ratione relationis, cum omnis alia negotiatio, quæ transilit limites simplicis repræsentationis, transiliat etiam limites apprehensionis, ut seriò consideranti patebit : Ergo per hoc præcisè quod repræsentativè attingitur ens aliquod fictitium in particulari, fit hoc ipso ens rationis.

Nota.

Unde ad probationem minoris negatæ, distinguo minorem : sed per simplex repræsentari in esse non tribuitur esse; non tribuitur omni quo potest, aut quo à nobis solet modo, concedo, non tribuitur modo aliquo & absolutè loquendo, subdistinguo, si sermo sit de esse aliquo reali, concedo ; si sermo sit de esse tantum objectivo, Nego : ratio autem hujus est, quia esse tantum objectivum talis est naturæ, quod se habet convertibiliter cum objectivo, adeo ut nec haberi possit esse sine objectivo, nec ejus objectivum sine esse : jam sic est quod per simplex repræsentari tribuitur objectivum, ut patet ex terminis : Ergo ubi sermo est de esse non reali, sed objectivo, ibi per simplex repræsentari in esse tribuitur, addo quod per hoc tribuitur esse objectivum per quod extrahitur ex non esse objectivo ; Sed per simplex repræsentari extrahitur ex non esse objectivo ; cum de non esse intentionaliter præsens, fiat præsens quantum ad esse : Ergo idem quod prius.

Nota.

Objicies

Objicies 2. ens rationis est non ens conceptum ad modum entis; Sed non potest divinus intellectus non ens concipere ad modum entis; Ergo non potest divinus intellectus conficere ens rationis. *Probatur Minor* : non potest divinus intellectus simul concipere ad modum entis quòd concipit ad modum non entis; Sed divinus intellectus habet semper concipere non ens ad modum non entis, cum sit verus ille conceptus, & verus omnis conceptus præsumendus semper sit esse in Deo sive divino intellectu : Ergo divinus intellectus nusquam habet concipere non ens ad modum entis.

Respondeo distinguendo claritatis gratia majorem sic : ens rationis est non ens conceptum ad modum entis, conceptum vel repræsentativè vel assertivè aut quasi assertivè, concedo : conceptum tantum assertivè vel quasi assertivè, Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Etenim ly conceptum per modum entis quod in hac definitione exprimitur, convertitur cum ly habere tantum esse objectivè, quod exprimitur in altera : modo sic est, quod per hoc præcisè quod concipitur non ens ad modum entis repræsentativè, verificatur & ponitur ly habere tantum esse objectivè, ut abundè colligitur ex dictis supra, & ulterius suadetur hoc argumento; per id actu & de facto ponitur habere esse objectivum, per cujus oppositum de facto & exercitè tollitur : sed per hoc quod non ens habet repræsentari ut non ens, per hoc tollitur, si quod habet esse objectivum; Ergo & per hoc quod habet repræsentari ut ens, hoc ipso de facto ponitur ejus esse objectivum; ac proinde ad hoc ut sit & ponatur ens rationis sufficienter concipitur non ens ad modum entis, hoc ipso quod concipitur & attingitur tantum modo repræsentativè. Unde ad sequens argumentum dico, quod quamvis non possit divinus intellectus illud assertivè concipere ad modum entis, quod assertivè concipit ad modum entis, potest tamen repræsentativè concipere & attingere ad modum entis quod assertivè concipit ad modum non entis, cum repræsentabilitas ad modum entis non pugnet cum ipsa ratione non entis, sed magis sequatur & comitetur, ut serio consideranti patebit : imo non potest Deus [meo videri] concipere relationem Petri ad hominem ad modum non entis assertivè, ut de facto concipit, quin & eam repræsentativè attingat seu concipiat ad modum entis; cum illam concipere assertivè ad modum non entis, sit de facto negare hanc esse ens, & nihil negetur,

Nota.

tur, nisi sub ea ratione qua repræsentativè sive apprehensivè attingitur: non ergo implicat quod possit divinus intellectus repræsentativè attingere & concipere ad modum entis, id quod assertivè concipit ad modum non entis.

Instat Joannes à S. Thoma: debet Deus posse semper judicare de re eo modo quo apprehendit: Sed si sub aliqua ratione attingeret non ens ad modum entis, tunc judicare non posset de re, quo modo apprehendit: cum de non ente judicare nequeat quod sit ens & tamen tunc apprehenderet ens; Ergo sub nulla ratione potest Deus concipere non ens ad modum entis.

Respondeo distinguendo majorem: debet Deus posse semper judicare de re eo modo quo apprehendit; judicio vel affirmativo vel negativo, concedo; judicio semper affirmativo, Nego; vel claritatis gratia subdistinguo sic, quando apprehendit eo tantum modo quo petit apprehendi, concedo; quando apprehendit non tantum ut petit; Sed etiam ut potest apprehendi, Nego; quod tunc per judicium affirmativum debeat posse judicare de re, eo modo quo apprehendit. Pro quo dico quod cum judicium sit duplex, & utrumque cadat supra rem apprehensam, sed opposito & contradictorio modo, propterea fit quod sicut judicium affirmativum dum verum est petit quod res sit apprehensa ut est in se; sic similiter petit judicium negativum quod quidem opposito modo procedit, quod res sit aliter repræsentata in apprehensione quam sit in se; ac proinde cum hoc ferat divinus intellectus judicium negativum de ente rationis, puta de divinis attributis, quod non sint distincta, vel quod non sit relatio inter Petrum & hominem, & sic de cæteris; & cadat judicium supra rem ut in apprehensione repræsentatam, non potest consequenter relatio aut distinctio illa non esse in divina apprehensione repræsentata ad modum relationis & distinctionis. Tantum ergo abest quod ex eo quod judicare debeat divinus intellectus de re eo modo quo apprehendit, non possit non ens ad modum entis repræsentativè attingere, quin immò sequitur evidenter oppositum, cum judicium ferre possit divinus intellectus & affirmativum & negativum, & judicium negativum petat rem per apprehensionem aliter repræsentativè attingi; ac est in se; aliter falsum esset judicium negativum, cum cadat supra rem ut in apprehensione repræsentatam. Unde sic arguo & retorqueo contra Joannem à sancto Thoma cujus est præsens instantia:

Nota. Apprehensio illa immeritò excluditur & immeritò explodenda

denda colligitur ex judicio, quæ potius conducit ad verum judicium proferendum : Sed apprehensio repræsentativè attingens non ens ad modum entis conducit ut verum proferat divinus intellectus judicium : Ergo immeritò colligitur à divino intellectu explodenda ex ejus judicio. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* : negativum judicium quod profert divinus intellectus circa ens rationis, quod non sit ens, quod non sit relatio, distinctio &c. est verum judicium : Sed verum esse nequit nisi sit ens rationis repræsentativè apprehensum ad modum entis ; Ergo apprehensio repræsentativè attingens non ens ad modum entis conducit ut verum proferat divinus intellectus judicium. *Major* per se patet. *Probatur Minor* : judicium sive affirmativum sive negativum cadit supra rem ut in apprehensione repræsentatam ; cum sit de naturâ suâ secunda intellectus operatio, subindeque & subordinata essentialiter primæ : Ergo intantum verum est judicium negativum, inquantum res non est in se quod est in apprehensione repræsentata : Sed ut non sit ens rationis in se quod est in apprehensione repræsentatum, ad hoc conducit ejus repræsentativa apprehensio ad modum entis : Ergo ad hoc verum proferendum judicium de ente rationis, quod non sit ens, conducit ejus repræsentatio seu repræsentativa apprehensio ad modum entis.

Objicies 3. si posset divinus intellectus conficere entia rationis, posset & Logicalia ; Sed conceditur communiter quod non potest entia rationis Logicalia conficere ; Ergo nec ulla conficere potest *Major Probatur* ex tribus supra præmissis principiis : potest enim & Logicalia cognoscere Deus facta ; cognoscere speculativè ; cognoscere & negativè ; sed alia facit Deus rationis entia per tres illos cognoscendi modos. Ergo & Logicalia poterit facere.

Respondeo distinguendo majorem : si posset divinus intellectus conficere entia rationis, posset conficere & Logicalia, sumendo ly entia rationis Logicalia seorsim à Logicali modo quo solent confici, concedo ; sumendo illa conjunctim cum modo illo Logicali, nego ; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam, pro quo dico quod entia rationis dicuntur & possunt denominari Logicalia, & quia sunt quid pertinens ad considerationem Logicæ ; & quia modo fiunt Logicali sive ab intellectu ut à Logica regulato & ordinato : si ergo dum fit sermo de entibus rationis Logicalibus usurpetur talis denominatio Logicalis ratione utriusque ; tunc certum est

& indubitatum non posse divinum intellectum entia hujusmodi conficere, cum modus ille conficiendi Logicaliter involvat inseparabiliter imperfectionem ex parte intellectus, utpote qui non nisi per plures & inadæquatos conceptus objecti potest hoc Logicali modo procedere, ut patet in nobis manifestè; & quia quoties loquimur de entibus rationis Logicalibus, de iis loqui solemus in utroque sensu, propterea fit, quod etiam communiter negari soleat quod possit Deus facere entia rationis Logicalia: nihilominus loquendo de hujusmodi entibus Logicalibus, præcise ut sunt quid pertinens ad considerationem Logicæ, & seorsim à modo illo Logicali, quo fieri solent, tunc dico quod possunt hujusmodi entia accipere & acquirere esse ex divina cognitione, quantum ad id quod in illis est formaliter rationis, puta quantum ad illam relationem rationis, quæ concipitur inter antecedens & consequens, vel inter subjectum & prædicatum; cujus quidem ratio, eaque [meo judicio] manifesta est, quia quamvis non possit illa relatio resultare ex divina cognitione, ut solet ex nostra resultare, dum scilicet alio & allo conceptu concipimus subjectum & prædicatum vel antecedens & consequens, eaquè conceptibus inadæquatis & ad invicem comparatis, potest tamen divina cognitio apprehensiva illam sibi repræsentare relationem ad negandum de ea quod sit, potest illam similiter repræsentativè attingere ut potentem terminare conceptus nostros; jam sic est quod per talem repræsentativam attingentiam habet talis relatio acquirere esse actuale & quidem aliud ab eo quod habet ex nostra cognitione ut supra existimo pluries demonstrasse; & ulterius patet ex eo quod per talem repræsentativam attingentiam extrahitur relatio illa de statu possibilitatis quantum ad præsentiam illam objectivam, ad statum actualitatis, cum fiat actu præsens intellectui quoad suum esse; & quidem ad statum actualitatis rationis cum præsentia illa actualis sui esse quam habet tunc non sit nisi rationis, sicut est ejus esse ut per se patet; Ergo entia illa rationis Logicalia etsi fieri non possint à Deo modo Logicali; possunt tamen sufficienter acquirere esse, ex divina illa cognitione repræsentativè attingente; ut dicantur fieri posse à Deo cum hoc addito, tali scilicet modo.

Instat Joannes à S. Thoma qui conficit ens rationis Logicale puta propositionem vel syllogismum, hoc ipso denominatur enuncians vel syllogisans; Sed non potest Deus denominari enuncians vel syllogisans; Ergo non potest Deus conficere

entia

entia rationis Logicalia.

Respondeo distinguendo majorem : qui conficit entia rationis Logicalia, hoc ipso denominatur enuncians vel syllogisans, si talia conficiat Logicalia Logicali modo, concedo; sin minus, nego; & concessa minori distinguo similiter consequens, pro quo dico quod sicut non denominatur Deus materialiter enuncians vel materialiter discurrens aut syllogisans, quantumvis per cognitionem suam habeat quod affirmet, neget aut inferat; sive quantumvis faciat per suam cognitionem, quod per actus nostros enunciativos aut discursivos materialiter sumptos facimus, propterea quod denominationes illæ discurrentis, syllogisantis aut materialiter enunciantis pendent ex modo illo Logicali, quo actus illi poni & fieri solent, puta ex pluralitate actuum sive conceptuum inadæquatorum, realem quendam ordinem inter se servantium; ita & quamvis Deus possit tribuere certo quodam modo esse actuale relationibus illis rationis quæ competunt enunciationibus vel syllogismis formaliter sumptis, imo & quæ sunt veluti eorumdem formæ; quia tamen non habet illis tribuere esse modo illo Logicali, attingendo scilicet objecta per plures & inadæquatos conceptus & talem inter se servantes ordinem & modum, ut ex illis resultent præfatæ relationes rationis, quæ in nobis taliter resultant, ideò fit quod quantumvis ita faciat Deus entia illa rationis Logicalia, non propterea denominari debeat syllogisans formaliter, vel formaliter enuncians, sicut nec denominatur materialiter enuncians, vel materialiter syllogisans, quamtumvis concedant omnes Philosophi & Theologi, quod habeat facere per actum suum cognoscitivum, quod facimus nos per actus illos per quos dicimur & denominamur materialiter enuntiantes vel syllogisantes, affirmando scilicet, negando, & inferendo.

Ex quo ulterius sequitur, quod nec propterea debeat dici Deus facere aut posse facere propositiones vel syllogismos, & alia hujusmodi, quia ad hoc non sufficit posse utcumque tribuere esse relationibus illis logicalibus quæ sunt veluti formæ hujusmodi propositionum aut syllogismorum, sed illis debet tribui esse prout informantibus materiam syllogismi & propositionis, puta actus illos plures inadæquatos & ordinatos qui dicuntur materialiter propositiones & syllogismi; quod quidem cum non propterea faciat, aut possit Deus facere, ideo nec propterea dicendus est posse facere syllogismos propositiones; atque ita si hoc intendat Joannes à S. Thoma

dum probat non posse Deum facere entia rationis Logicalia, hoc ei libenter concedimus; cum quo tamen stat quod possit Deus per simplicem & apprehensivam repræsentationem tribuere esse actuale relationibus illis rationis quarum consideratio spectat ad Logicam; sic & semper stat quod in hoc sensu conficiat entia rationis Logicalia proindeque & quod absolutè loquendo faciat ens rationis.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa præsentem difficultatem.

Quamvis qui nobis in hujus difficultatis resolutione adversantur Thomistæ, existiment mentem præceptoris nostri angelici D. Thomæ nobis apertè contradicere; & ideo causam ad D. Thomæ tribunal evocare soleant: hic tamen breviter demonstrandum suscepi adversam potius sententiam, quæ scilicet negat posse Deum ullo prorsus modo conficere ens rationis doctori sancto è diametro repugnare; unde & coram ejus tribunali causam dicere non recusamus, eisque respondemus, quod olim respondit festus D. Paulo ad tribunal Cæsaris provocanti: *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.*

Probatur Ergo primo ex 4. Metaph. lect. 1. ubi hæc habet sanctus doctor: *illa sunt entia in ratione, de quibus ratio negotiatur quasi de quibusdam entibus, dum scilicet de eis aliquid affirmat vel negat*: ex quibus verbis argumentor sic.

Ex præfatis verbis sancti Doctoris, fiunt entia in ratione, hoc ipso quod de eis negotiatur ratio, quasi de quibusdam entibus: Sed ex eodem Sancto Doctore negotiatur divina ratio de his, quæ dicimus entia rationis, quasi de quibusdam entibus: Ergo ex eodem sancto Doctore facit divina ratio sive divinus intellectus entia rationis. *Probatur Minor*: tunc ex D. Thoma negotiatur ratio de entibus rationis quasi de quibusdam entibus, dum scilicet de eis aliquid affirmat vel negat; pro quo videatur iterum prima conclusionis probatio; Sed divina ratio habet plura negare de entibus rationis: Ergo & negotiatur ex D. Thoma divina ratio de his quæ dicimus entia rationis quasi de quibusdam entibus.

Probatur hoc idem secundo ex eo quod habetur 1. *p. q.* 14. *art.* 9. ubi ait, quod *Deus cognoscit omnia, quæ quocumque modo sunt in potentia creaturæ, sive in ejus potentia opinandi, sive imaginandi vel quocumque modo significandi*: & ita concludit Sanctus Doctor dicens: *quæcumque igitur possunt per creaturam*

ram fieri vel cogitari vel dici cognoſcit Deus omnia : ex quibus Verbis arguo ſic : cognoſcit Deus ex D. Thoma, quæ creatura imaginari, cogitare, & ſignificare poteſt : Ergo cognoſcit Deus ex D. Thoma quæcumque à creatura imaginantur entia per potentiam imaginativam, vel etiam ſine fundamento; jam ſic eſt quod entia per Imaginativam ſine fundamento imaginata fiunt entia rationis, ubi primum ab intellectu divino cognoſcuntur : Ergo cognoſcens Deus ex D. Thoma quæcumque per creaturam imaginari poſſunt, facit hoc ipſo, ſubindeque & ex eodem D. Thoma ens rationis. *Probatur ſubſumptum:* ideo ſecundum Thomiſtas entia illa ſine fundamento imaginata non ſunt reſpectu Imaginativæ & ab ea entia rationis, quia non cognoſcuntur cum habitudine ad non ens, ſive ut ſubrogata loco non entis, pro quo videantur quæ dicta ſunt ſupra in ſecunda quæſtione ubi de potentia formativa entis rationis; atqui hæc quæ ſine fundamento imaginantur entia, ubi primum ab intellectu & præcipuè divino cognoſcuntur cum habitudine ad non ens, ſive ut ſubrogata loco non entis : Ergo entia per imaginativam ſine fundamento imaginata ubi primum ab intellectu divino cognoſcuntur, fiunt entia rationis.

Tertio probatur ex his quæ habentur 1. *part. quæſt.* 15. *art.* 2. *ad* 3. ubi hæc habet : *ad tertium dicendum, quod hujuſmodi reſpectus quibus in Deo multiplicantur ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu divino comparante eſſentiam ſuam rebus* : ex quibus verbis arguo ſic : reſpectus illi ideales ſumpti formaliter & non tantum fundamentaliter, ſunt propriè entia rationis : Sed loquitur ibi divus Thomas de reſpectibus idealibus ſumptis formaliter : Ergo aſſerendo cauſari ab intellectu divino, hoc ipſo & aſſerit cauſari entia rationis. *Major* conceditur ab omnibus; cum enim reſpectus illi ſint reſpectus eſſentiæ divinæ ad creaturas, eam diverſimodè imitantes, & habere non poſſit divina eſſentia reſpectus reales ad creaturas, ut ſupponitur, evidenter ſequitur quod ſi reſpectus illi ſumantur formaliter & non tantum fundamentaliter, ſive pro imitabilitate divinæ eſſentiæ cognita, quæ eorum eſt fundamentum reſpectus illi ſint & ſumantur propriè ut entia rationis. *Probatur Minor*, quam negant communiter adverſarii, & quidem multipliciter; 1. loquitur D. Thomas de reſpectibus illis ut ab intellectu divino cauſatis; Sed ſumptis reſpectibus illis fundamentaliter, ſive proximè ſive remote, dici non poteſt tales eſſe ab intellectu divino cauſatos; Ergo loquitur

 ibi

ibi D. Thomas de respectibus illis sumptis formaliter, & non tantum fundamentaliter. *Probatur Minor* : Respectus illi sumpti fundamentaliter remote supponunt pro imitabilitate divinæ essentiæ à variis creaturis, & sumpti fundamentaliter proximè supponunt pro eadem imitabilitate ut à Deo cognita, ut concedunt omnes : Sed sub nulla harum rationum dici possunt causati, cum imitabilitas illa sic denominata quasi intrinsecè cognita non importet nisi divinam essentiam, quæ ab intrinseco est imitabilis, & divinam cognitionem ad eam terminatam, quarum nulla ut per se patet dici potest causata : Ergo sumpti respectus illi fundamentaliter dici non possunt ab intellectu divino causati.

Secundò loquitur ibi D. Thomas de respectibus illis causatis à divino intellectu, prout comparante essentiam suam: Sed hæc verba verificari nequeunt de respectibus fundamentaliter sumptis: Ergo non loquitur ibi D. Thomas de respectibus illis sumptis fundamentaliter, sed formaliter. *Probatur Minor* : respectus illi sumpti ut causantur à Divino intellectu prout comparante essentiam, sumuntur ut aliud à divina essentia cognita ut comparabili, cum ut ita causati exurgant, seu sequantur ad illam comparatam seu cognitam comparabilem: Sed sumpti respectus illi solum fundamentaliter non sunt aliud à divina essentia comparata seu cognita comparabili, ut conceditur ab omnibus : Ergo (causati à divino intellectu ut comparante essentiam suam verificari nequeunt de respectibus fundamentaliter sumptis.

Tertio dicit ibidem D. Thomas ad quartum, quod *respectus illi non sunt in creaturis, sed in Deo* : Ergo cum hoc dicat in responsum, in eodem de illis sensu loquitur, in quo idem locutus est arguens : sed D. Thomas in argumento locutus est de respectibus sumptis formaliter, & non tantum fundamentaliter : Ergo & de illis formaliter sumptis loquitur in responsione. *Probatur Minor*, & quidem demonstrativè; sic arguit divus Thomas in argumento : respectus isti aut sunt in creaturis tantum aut etiam in Deo : Ergo loquitur de respectibus illis prout sunt etiam aut esse possunt in creaturis : Sed respectus illi sumpti fundamentaliter esse non possunt in creaturis, nec hoc ullus unquam somniavit, cum ita fundamentaliter sumpti sint Deus ipse ut imitabilis & participabilis : Ergo locutus est D. Thomas in argumento de respectibus formaliter sumptis, & non tantum fundamentaliter.

Quartò probatur ex iis quæ habet D. Thomas in 1. *sent. dist.*

dist. 36. qu. 2. art. 2. ad 2. ubi habet quod *ab æterno est pluralitas idearum in intellectu divino non in natura ipsius*, ex quibus verbis arguo sic: nihil est ab æterno reale, quod non sit in ipsa Dei natura; & hoc est de fide; cum Deus solus sit ab æterno: Ergo hoc ipso quod datur aliquid ab æterno: quod non est in natura ipsius, illud est quid rationis; Sed ex D. Thoma est ab æterno idearum pluralitas in intellectu divino, quæ non est in natura ipsius: Ergo ex D. Thoma datur ab æterno quid rationis: Sed tale ens rationis supponere non potest pro ente rationis fundamentaliter sumpto, cum istud & sit reale quid & sit in ipsa Dei natura, cum sit ipsissima Dei natura in recto; Ergo ex D. Thoma datur ab æterno ens rationis etiam formaliter sumptum: Sed tale ens rationis ab alio habere non potest suum esse formale quam ab intellectu Divino, cum ab æterno nullus alius exter formaliter intellectus: Ergo ex divo Thoma facit Divinus intellectus formaliter ens rationis.

Dices: dicit D. Thomas *opusc. 42. cap. 1.* quod *tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, & ideo fingit illud ac si esset ens*: Sed de Divino intellectu verificari non possunt hæc ultima verba, puta quod fingat illud ac si esset ens: Ergo ex Divo Thoma non potest divinus intellectus efficere ens rationis.

Respondeo explicando dictum D. Thomæ, & quidem explicatione in ejus fundata doctrina. Dicit D. Thomas quod tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere id quod non est, & ideo fingit illud ac si esset ens; adeo ut per ly *fingit* intelligat ibi loqui D. Thomas de illo fingere quod dicit inseparabiliter imperfectionem, Nego: adeo ut per ly fingit, intelligat hic D. Thomas repræsentat, seu repræsentative attingit illud ac si esset ens, quod quidem ab imperfectione denudatur, Concedo; & sub eadem Distinctione minoris nego consequentiam. Jam vero quod hujusmodi expositio & explicatio sit ad mentem D. Thomæ, id colligo ex ipsis etiam verbis ab arguente adductis & citatis. Etenim dicit ibi D. Thomas quod quia intellectus nititur apprehendere quod non est, ideo fingit illud; Ergo loquitur ibi Divus Thomas de illo fingere quod facit & causat intellectus per apprehensionem. Ly enim *ideo* est particula causalis; jam sic est quod fingere quod facit intellectus per apprehensionem, non est ex eodem D. Thoma illud fingere, quod Deo repugnat; & quod dicit inseparabiliter imperfectionem: Ergo non lo-

 quitur

quitur D. Thomas in verbis ab arguente citatis de illo fingere, quod dicit inseparabiliter imperfectionem. *Probatur subsumptum.* D. Thomas *quodlibet 3. art. 5.* ubi excludit fictionem à Christo hanc adducit authoritatem D. Augustini *ex lib. 83. quæstionum* dicentis; *Si fallit, veritas non est;* quibus verbis subjungit statim D. Thomas : *unde nulla fictio decet Christum, qui veritas est:* Ergo ideo excludit D. Thomas fictionem à Christo sive à Deo, quia cum veritas sit non fallit : sed fictio quàm facit intellectus apprehendendo, nec habet falli nec fallere, ut per se patet; cum in prima operatione intellectus nec falsitas sit nec veritas: Ergo cum hæc sit ratio ex D. Thoma, cur nulla fictio Deo conveniat, consequenter fit quod fictio, quam facit intellectus per primam apprehensionem, qualis est ea de qua loquitur in præsenti, Deo non repugnet, nec dicat inseparabiliter imperfectionem: & verè sic est; cum tale fingere per apprehensionem fiat per simplicem repræsentationem, ut consideranti patebit, quæ quidem simplex repræsentatio ab omni denudatur imperfectione, ut abundè supra fuit demonstratum; Sed pro majori hujus intelligentia, & ut radicitus intelligantur & confirmentur, quæ supra dicta fuere, sive in probanda conclusione, sive pro solvendis objectionibus.

Colliges, quod quamvis ad fabricandum ens rationis etiam per repræsentativam apprehensionem videatur requiri, quod etiam ex parte cognoscentis seu modi cognoscendi cognoscatur aliquid ad modum entis, quod revera non est ens, ex eo scilicet quod ipsum ens rationis, cum ex se non habeat esse ad modum entis realis, potest solum illud habere in quantum ex parte cognoscentis ad modum realis entis cognoscitur: nihilominus quod ens rationis ita ex parte cognoscentis concipi debeat ad modum entis realis, non propterea dicit hujusmodi cognoscendi modus inseparabiliter imperfectionem, nec subinde repugnat propterea divino intellectui, ut existimat quidam ex nostris, qui ex hoc capite putat se demonstrasse Deo repugnare, quod conficiat ens rationis; ex eo, inquit, quod non tantum ex parte objecti cogniti, sed etiam ex parte cognoscentis, seu modi cognoscendi oportet concipere non ens ad modum entis, puta relationem, distinctioné vel aliquid aliud ens ubi non est. Neque enim advertit author ille, [pace sua dixerim] dupliciter fieri & evenire posse, quod non ens etiam apprehensivè concipiatur ex parte cognoscentis, seu modi cognoscendi ad modum entis, puta quod concipiatur relatio

Nota.

quædam

quædam inter hominem v.g. & Petrum; primo namq; hoc evenire potest ex eo quod homo & Petrus attingantur duobus conceptibus inadæquatis; iisque comparativis; ex hoc enim cognoscendi, seu attingendi modo; sequitur quasi per resultantiam relatio quædam, seu attingentia alicujus relationis quasi inter illa mediantis; & hic quidem cognoscendi modus imperfectionem importat inseparabiliter, non quidem præcisè per hoc quod concipitur apprehensivè relatio, ubi non est, seu non ens ad modum entis; sed quia ex modo cognoscendi inadæquatè, subindeque & imperfectè debet ita concipi. At potest & ex alio capite provenire quod ex parte cognoscentis concipiatur non ens ad modum entis, & quidem sine ulla imperfectione, quando scilicet objectum cognitum talis est naturæ, quod non potest ex parte objecti cogniti cognosci ad modum realis entis, quin simul & ex parte cognoscentis sic cognoscatur; tunc enim cum ita cognoscere ex parte cognoscentis proveniat ex natura & ex parte objecti cogniti, quod quidem imperfectio non est, sed potius perfectio; ita ex parte illius cognoscere; consequenter fit, quod nec imperfectio sit illud ita cognoscere ex parte cognoscentis, seu modi cognoscendi: jam sic est quod objectum cognitum in præsenti casu, ens scilicet rationis talis est naturæ, quod non potest ex parte sui attingi & cognosci ad modum entis, quin hoc ipso attingatur & ex parte cognoscentis; propterea quod ipsum ens rationis, cum ex se & ex natura objecti cogniti non habeat esse ad modum entis realis, potest per consequens illud tantum habere in quantum ex parte cognoscentis ad modum realis entis cognoscitur. Ergo non omnis attingentia ex parte cognoscentis, seu modi cognoscendi ad modum realis entis dicit inseparabiliter imperfectionem; ac proinde non rectè concludit author ille divino repugnare intellectui, quod conficiat ens rationis, quia ad hoc requiritur, quod etiam ex parte cognoscentis, seu modi cognoscendi cognoscatur repræsentativè non ens ad modum entis.

LI-

LIBER TERTIUS
DE
VNIVERSALIBVS.

QUAMVIS quæ hic misceri solent quæstiones de universalibus, spectent sub certâ ratione ad considerationem Metaphysicæ; propterea quod ad Metaphysicum principaliter pertinet considerare naturas rerum, quæ quidem naturæ ita directè & principaliter consideratæ, sunt universale quid sive quid in universali consideratum; cum taliter spectatæ considerentur, non secundum quod sunt contractæ ad hoc vel illud individuum; sed magis ut abstrahunt ab hoc vel illo: nihilominùs quia universale, & si dicat de materiali & præsuppositivè ipsam naturam, cujus consideratio dicitur pertinere ad Metaphysicam, de formali tamen dicit universalitatem denominantem talem naturam, quæ quidem universalitas est forma quædam rationis, seu secunda intentio & relatio quædam rationis ordinata ad dirigendum intellectum, pro habendo scilicet & cognoscendo scientiarum objecto, quod est semper universale quid, nec non ut sciat qualiter universalia de singularibus prædicentur; ideo tractatum hunc de universalibus in communi, nec non & sequentem de universalibus in particulari merito hic discutiendum suscipimus, cum ex proprio munere consideret Logicus hujusmodi secundas intentiones seu relationes rationis; & præsuppositivè considerat naturas tanquam id, in quo fundantur præfatæ intentiones; & aliundè ad eumdem spectet Logicum consideratio prædicationis atque prædicabilitatis superiorum de inferioribus, quæ quidem prædicatio aut prædicabilitas est proprietas universalitatis, cum non sit unum de multis prædicabile nisi inquantum in iisdem multis est illud unum, in quo ut dicemus consistit ratio & quidditas universalis.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Vtrum dentur naturæ universales.

PRæmittendum 1. Universale ex nominis Etymologiâ idem significare ac unum versus alia; seu quod est unum habens ordinem ad alia: quo pacto multiplex est universalis genus; primo enim est quod vocant *universale in causando*, qualis est causa superior ad varios diversæ rationis effectus concurrens, ut Deus & Sol; secundo est *universale in repræsentando*, seu *significando*, ut est vox illa homo, & conceptus formalis illi correspondens; tertio est, ut probatur in præsenti articulo, *universale in essendo*, nempe natura aliqua una quæ sit apta esse in multis, quomodo concipimus hominem ut sic, seu naturam significatam per hanc vocem, *homo*, esse quid unum; in Petro, Paulo, aliisque similibus existens, quarto tandem distingui solet *universale in prædicando*; & est ipsummet universale in essendo, quatenus prædicatur aut prædicabile est de multis; cum autem spectet ad Physicum agere de universali in causando, in quantum ad eundem pertinet discutere universales & particulares causas cujuslibet causandi generis; de universali verò in significando seu repræsentando pertineat agere ad Dialecticum, ad quem scilicet pertinet agere de vocibus & terminis, ut sunt, & secundum quod sunt significativa ad placitum, & sic vel sic significativa; consequenter fit, quod de universali in essendo & prædicando pertineat agere ad Logicum, quia cum ad illum spectet haud dubiè agere de universali in prædicando, ex eo scilicet, quod non nisi prædicando habet conficere propositiones, & non sit aliquid universale in prædicando, nisi inquantum est universale in essendo, ut dicemus; propterea fit, quod utraque universalis acceptio pertineat ad Logicum. Unde & de universali secundum eam duplicem acceptionem, aliis relictis, in sequentibus disputabimus.

Præmittendum 2. Præfatum universale Logicum, sive in essendo & prædicando communiter definiri, seu describi. *Vnum in multis & de multis*: in quâ quidem descriptione optimè explicatur

plicatur natura universalis Logici, inquantum scilicet explicatur in eâ & fundamentum ipsius universalitatis, & ipsa universalitas, seu universalitatis relatio, & tandem illius proprietas. Etenim fundamentum universalitatis, cum sit unitas illa formalis, quam habet natura in pluribus, licet in illis realiter sive materialiter multiplicata, optimè explicatur per illam particulam, *Vnum*: per illam vero particulam, *in multis*, optimè explicatur ipsa universalitatis relatio, inquantum scilicet per illa multa, in quibus natura illa una est, denotantur ejus inferiora, ad quæ quidem tanquam ad proprium terminum relatio universalitatis terminatur. Demùm per ultimam illam particulam, *De multis*, explicatur proprietas universalis in essendo, illius scilicet de pluribus prædicabilitas. Notandum tamen est pro majori hujus elucidatione, quod quando dicitur præfatũ universale, *Vnum in multis & de multis*: debet hoc additum tunc subintelligi, adeo ut illa multa sint, & dicantur multa in tali uno, sive ut illud unum, quod est unitate universalitatis unum, verè sub ratione aliqua multiplicetur in illis multis: cujus ratio est, quia cum illa multa debeant sic esse multa secundum quod respiciuntur à tali uno, & non respiciantur ab illo, nisi sub ea ratione, qua illud participant, consequenter fit, quod debeant esse multa, secundum quod participant illud unum, ac proinde quod multa sint in tali uno, sive quod natura illa una verè multiplicetur in illis multis, per quod excluditur à ratione universalis natura divina, licet sit unum in multis & de multis, sive licet unus Deus in tribus existat divinis personis, atque de illis prædicetur. Quod ergo in præsenti inquirimus est, an detur præfatum universale in essendo, ut condistinctum ab universali in significando; sive an dentur in rebus universalia: in rebus inquam, non vero solum in vocibus, nominibus, & conceptibus formalibus, ut existimant nominales asserentes nullum ex parte rerum sive objecti correspondere universale ipsis nominibus, sive conceptibus formalibus: notandum autem est, quod præfatum quæsitum procedit in præsenti indeterminatè & in communi, adeo ut inquirentes an dentur universalia in rebus, sive naturæ universales, non propterea inquirimus determinatè & in particulari an dentur in rebus universalia cum singularibus realiter identificata, an vero ab illis realiter separata; de hoc enim infra adversus Platonem disputabimus, neque etiam determinatè inquirimus, an dentur in rebus universalia solum fundamentaliter, an vero & formaliter, etiam antecedenter ad intelle-

tellectus operationem, de hoc namque etiam agemus in sequentibus: sed solum indeterminatè procedit quæsitum tituli & in communi, sensu scilicet supra exposito. Pro quo

Præmittendum ultimò, Pro intelligentia & declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, respectu conclusionis inferendæ & ad eadem reducendæ, puta quod *propter quod unum quodque tale & illud magis*: quod *omne genus est essentialiter in sua specie*: & quod *homo naturaliter scire desiderat*. Primo quidem verum est dicere, quod propter quod unum quodque tale & illud magis: cum enim sensus hujus sit, quod ubi aliquid sit & denominatur tale per aliud, quod illud aliud, per & propter quod tale sit, est magis tale; & hoc sit prorsus indubitatum ex eo scilicet quod est indubitatum, quod id quod est tale per se, habet esse magis tale quam id quod est tale per aliud: evidenter sequitur, indubitatum esse & dictum illud: propter quod unum quodque tale & illud magis.

Secundo certa est etiam, & apud omnes indubitata secunda illa propositio, puta quod genus est essentialiter in sua specie, cujus ratio est, quia prædicari de aliquo præsupponit esse in eo, sive cum eo identificari, qua de causa falsa est hæc propositio, *homo est albedo*; cum tamen hæc sit vera: *homo est albus*, ex eo scilicet quod albedo, cum sit nomen abstractum, ac proinde supponens non pro subjecto sed pro ipsa forma albedinis, quæ quidem realiter distinguitur ab homine, quantumvis ei insit, non potest consequenter medio nomine abstracto verè de homine prædicari; cum è contra album, cum sit nomen concretum supponens per consequens pro subjecto, seu supposito, verè consequenter prædicatur de homine, cum idem sit suppositum hominis, ac subjectum albedinis. Prædicari ergo de aliquo, præsupponit esse per identitatem in eo: Ergo & prædicari essentialiter de aliquo, præsupponit esse essentialiter in eo: jam sic est quod omne genus essentialiter prædicatur de sua specie: est enim vera hæc prædicatio: *homo est essentialiter animal*, cum sit tale ex sui definitione: Ergo omne genus est essentialiter in sua specie.

Denique est indubitatum ac receptissimum tertium illud, puta quo homo naturaliter scire desiderat, cujus quidem rationem insinuat D. Thomas 1. *physicorum lect.* 10. *dicens*; (verum est bonum intellectus; unde sicut res cognitione carentes

tes moventur naturaliter ad suos fines tanquam in bonum proprium, ita & intellectus hominis quadam naturali inclinatione tendit in veritatem) hæc illæ; cum ergo non nisi per ipsum scire, certitudinaliter attingatur veritas, consequenter fit, quod homo sive hominis intellectus naturaliter scire desideret. His ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis resolutoriæ ad eadem principia reductione, sit:

CONCLUSIO: *Dantur universalia in rebus, sive naturæ quæ denominantur universales.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio: *propter quod unumquodque tale & illud magis*: Ergo quæ dantur universalia, non sunt tantum in vocibus, sed præcipuè in rebus, seu in naturis. *Probatur consequentia*: non est universalis vox illa, homo, nisi propter naturam seu rem universalem, quam significat: Ergo si propter quod unum quodque tale & illud magis dantur universalia præcipuè in rebus sive naturis, *consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*; vox illa, homo, non est universalis, nisi propter significatum; Sed significatum illud non aliud esse potest, quam res seu natura communis; Ergo non est universalis vox illa, homo, nisi propter naturam seu rem universalem quâ significat. *Major* conceditur ab adversariis, & patet tum quia non est universalis nisi in significando, subindeque & ratione significati, tum quia, cum non sit ex natura sua significans, debet esse consequenter universalis in significando per aliquid aliud, quod quidem aliud esse non potest quam significatum. *Probatur minor*: significatum, propter quod vox illa, homo, sive vocalis sive mentalis est universalis debet esse quid universale & commune: sed significatum non est aliud quam natura: Ergo significatum illud, propter quod universalis est vox illa, homo, est natura communis seu universalis. *Minor* per se patet. *Probatur Major*: quandocumque aliquid est tale per aliud, non potest non supponere illud aliud tale, juxta illud propter quod &c. Sed vox illa, homo, est universalis per aliud; cum ex natura sua non sit universalis; Ergo illud aliud, per quod universalis est, non potest non esse quid universale; atqui tale aliud non est aliud quam significatum; ut per se patet, & ut jam dictum est; Ergo significatum propter quod vox illa homo est universalis, debet esse universale quid & quid commune: ergo non est universalis vox illa homo nisi propter naturam seu rem universalem per quam significat; Ergo hoc ipso quo verificatur ly propter quod unum-

numquodque tale & illud magis[quod est primum præmissum principium] hoc ipso quæ dantur universalia, non sunt tantum in vocibus sed præcipuè in rebus seu in naturis.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio, puta quod *genus est essentialiter in sua specie*: arguo ergo sic universale, quod est genus, est essentialiter in sua specie, sensu scilicet supra in præmissis exposito: Ergo universale non est tantum in vocibus, sed etiam in rebus, seu in naturis. *Probatur consequentia*: sumptum genus secundum vocem, non potest esse essentialiter in sua specie: Ergo hoc ipso quod universale quod est genus, est essentialiter in sua specie, non est tantum universale in vocibus. Consequentia est evidens. *Probatur antecedens*: animal comparatur ad hominem, sicut genus ad suam speciem: Sed animal secundum vocem non est essentialiter in homine sumpto similiter secundum vocem: Ergo sumptum genus secundum vocem non est essentialiter in sua specie. *Probatur minor*: non potest animal esse essentialiter in homine, nisi per identitatem cum homine; cum ex eo quod ita sit, habeat de illo prædicari, in quo involvitur identitas: Sed animal secundũ vocem sive prolatam sive mentalem non habet identitatem cum homine, cum secundum quod prolata non sit; dum profertur vox illa, homo; & secundum quod mentalis alius sit realiter formalis conceptus à formali conceptu illius vocis, homo; Ergo animal secundum vocem non est essentialiter in homine, sumpto similiter secundũ vocem: Ergo sumptũ genus secundũ vocem non potest esse essentialiter in sua specie: Ergo hoc ipso quod universale, quod est genus, est essentialiter in sua specie (quod est secundum præmissum principium) est hoc ipso universale, non tantum in vocibus, sed etiam in rebus sive naturis.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio: *homo naturaliter scire desiderat*: Ergo universalia non sunt tantum in vocibus, sed etiam in rebus sive naturis. *Probatur Consequentia*: non sunt naturæ scibiles, nisi in universali, sive ut universales: Ergo hoc ipso quod homo naturaliter scire desiderat, universale non est tantum in vocibus, sed etiam in naturis. Consequentia supponitur certa. *Probatur antecedens*, quod quidem negant adversarii. Non habent naturæ abstrahere ab hic & nunc, sive à loco & tempore, nisi secundum quod universales; Sed secundum quod scibiles habent abstrahere ab hic & nunc, sive à loco & tempore; Ergo non sunt naturæ scibiles nisi in universali, sive ut universales. *Major* conce-

ditur

ditur & supponitur certa. *Probatur minor*, de qua solum potest esse aliqua difficultas: naturæ scibiles sunt secundum quod connexæ cum propriis prædicatis & passionibus; Sed secundum quod ita connexę habent abstrahere ab hic & nunc; Ergo naturæ secundum quod sunt scibiles habent abstrahere ab hic & nunc. *Major* conceditur ab omnibus. *Probatur Minor*: quod secluso per intellectum hic & nunc, adhuc verificatur, habet abstrahere ab hic & nunc: Sed secluso hic & nunc per intellectum, verificatur adhuc connexio naturæ cum propriis prædicatis & passionibus, ut per se patet; Ergo naturæ secundum quod connexæ cum propriis prædicatis & passionibus habent abstrahere ab hic & nunc; Ergo naturæ, secundum quod scibiles sunt, habent abstrahere ab hic & nunc; Ergo naturę secundum quod sunt scibiles, sunt in universali sive universales; Ergo hoc ipso quod homo naturaliter scire desiderat [quod est tertium præmissum principium] est hoc ipso universale, non tantum in vocibus sed etiam in naturis sive in rebus.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Objicies 1. Hoc ipso, quod ex parte rei sive objecti per voces universales significati non correspondet aliquid unum, non datur hoc ipso universale in rebus; Sed ex parte rei sive objecti per voces universales significati non correspondet aliquid unum: Ergo non datur universale in rebus. *Major* supponitur certa. *Probatur minor*: significatum per nomen collectivum esse non potest aliquid unum: Sed vox universalis est quasi nomen collectivum; Ergo ex parte objecti per voces universales significati non correspondet aliquid unum. *Major* patet ex terminis: collectivum namque, ut in terminis sonat: designat aggregationem & collectionem, quæ quidem esse non potest nisi plurium. *Probatur minor*: ideo populus, v. g. nomen est collectivum, quia quod verificatur de populo verificatur hoc ipso de pluribus; Sed etiam quod dicitur & verificatur de voce universali, puta de homine, verificatur etiam de pluribus; hoc ipso namque quod est verum dicere: homo est risibilis, verum est dicere; singuli homines sunt risibiles: Ergo vox universalis est aut quasi est collectivum nomen.

Respondeo Negando minorem: etenim dato, quod ex parte objecti significati per vocem illam homo correspondeant plures sive singuli homines; attamen certum est apud omnes, quod singuli illi homines, qui supponuntur correspondere ex parte

parte significati, non correspondent huic uni voci,nisi in quantum sub aliquâ ratione convenientes; alias æquivoca esset illa vox homo, & qui imposito nomine hominis ipsi Petro, idem imponeret nomen Jacobo, non magis adverteret ad rationem, propter quam ipsi imposuit Petro, quam advertat qui animal latrabile canem nominat, postquam sidus cœleste prænominavit canem; quæ omnia sunt plusquam absurda; jam sic est quod hoc ipso quod ex parte objecti per hanc vocem homo significati correspondent singuli homines prout in natura convenientes, hoc ipso correspondet aliquid unum; cum idem sit dicere correspondere singulos homines, prout convenientes in natura, ac correspondere naturam, prout singulis communem hominibus, ut patet & ut seriò consideranti patebit: Ergo falsa est prima illa minor, quod scilicet ex parte objecti per vocem universalem significati non correspondeat aliquid unum.

Unde ad probationem nego similiter minorem; si namque vox universalis puta, homo, esset aut quasi esset collectivum nomen; adeo ut significaret immediate plures ut plures sunt, tunc falsæ essent ferè omnes propositiones, in quibus vox illa poneretur ex parte prædicati, puta, dum diceretur Paulus est homo: sensus namque tunc esset quod Paulus esset plures homines, itaque ad ultimum dico, quod non ideo præcisè collectivum nomen est tale, quia, quod de illo verificatur, verificatur de pluribus, sed quia ubicumque ponatur quomodocumque ponatur, semper importat plura & supponit pro pluribus, ut patet in illa voce populus, grex &c. jam sic est quod hoc non verificatur de voce universali, puta homo; non quidem primum, quandoquidem, dum ponitur ex parte prædicati, non supponit ut plurimum pro pluribus, sed ad summum pro aliquo communi pluribus, ut patet in exemplo supra adducto; sed neque etiam secundum verificatur, siquidem ponendo ex parte subjecti vocem universalem sivè distributivè sive indefinitè, ut homo currit, tunc non supponit pro pluribus, alias sensus esset quod omnes homines, seu omne quod est homo currit, & sic omnes propositiones indefinitæ essent falsæ: dicendum ergo est, quod ex parte objecti per vocem universalem significati, correspondet aliquid unum, & non tantum aliquid adunatum, ut ex parte significati per nomen collectivum.

Instabis: Significatum per vocem universalem supponitur esse reale quid; Sed hoc ipso quod correspondet ex parte signi-

ficati aliquid unum, non correspondet reale quid: Ergo ex parte talis significati non correspondet voci universali aliquid unum. *Probatur minor*: omne reale vel est existentia vel capax existentiæ; Sed illud unum quod corresponderet nec esset existentia ut supponitur, nec capax existentiæ: Ergo hoc ipso, quod correspondet ex parte significati aliquid unum, non correspondet reale quid: *Probatur minor*: de omni eo quod est existentiæ capax, non repugnat verificari, *existit*; Sed de tali uno repugnat verificari, existit; cum illud unum involvat unitatem, quam implicat existere realiter ut supponitur: Ergo illud unum quod corresponderet universali voci, capax non esset existentiæ.

R*espondeo* Negando minorem, cujus ratio est, quia ut correspondeat voci universali reale quid ex parte significati, sufficit quod correspondeat aliquid, quod sub aliquo statu sit capax existentiæ, cum hoc ipso quod tale sit capax existentiæ absolutè loquendo & secundum se, quod quidem non nisi reali enti potest competere: jam sic est quod illud unum, quod correspondet ex parte significati voci universali, est hujusmodi, inquantum scilicet, & si non sit capax existentiæ sub statu illo unitatis, utpote quæ rationis est, est tamen illud idem sub alio statu existentiæ capax, immò & de facto existens: Ergo quantumvis correspondeat ex parte significati aliquid unum, adhuc correspondet reale quid; cum verificetur quod correspondeat aliquid unum (intellige materialiter ut in præsenti est sermo & non formaliter) per hoc præcisè quod correspondet aliquid, quod capax est status unitatis;& illud sit reale quid, cum sit illud idem, quod capax est status realis pluralitatis,& quod est de facto existens, quod quidem supponitur reale quid. Unde ad probationem distinguo similiter minorem, sed illud unum quod corresponderet non esset existentiæ capax, sub omni & in omni statu, concedo; non esset existentiæ capax sub alio statu, quam statu unitatis, intellige formaliter sumptæ: nego; hoc autem sufficit, ut illud unum quod correspondet sit quid reale, sive ut dicatur correspondere aliquid reale quod sit materialiter unum, ut ex ratione ibi adductâ colligitur.

Objicies secundò, Universale est de necessitate aliud à singulari: Sed omne quod est in rebus est singulare: Ergo non datur universale in rebus. *Major* per se patet. *Probatur minor*: singulare dicitur, quod afficitur singularisantibus conditionibus; sed omne quod est in rebus afficitur conditionibus singularisantibus:

bus: Ergo omne quod est in rebus est singulare.

Respondeo Distinguo majorem: universale est de necessitate aliud à singulari, si sermo sit de singulari singulariter sumpto, concedo; si sermo sit de singulari sumpto convenienter, seu sub conformitate, subdistinguo: universale est aliud à singulari, universale formaliter sumptum, concedo: universale sumptum fundamentaliter, nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Ratio autem hujus distinctionis & subdistinctionis est, quia singulare sumptum ut conveniens & ut importans conformitatem, importat hoc ipso aliquid in quo sit conveniens & conforme, & cum tale quid non possit supponere pro ipsis conditionibus singularisantibus & individuantibus, cum in iis potius disconveniat, importat consequenter aliquid quod sit sub aliqua ratione aliud à præfatis conditionibus individuantibus; cumque non possit esse aliud, nisi per posse ab illis abstrahi, cum non sit aliud à parte rei ab illis, nec per separationem actualem vel possibilem, nec per actualem abstractionem, sequitur de primo ad ultimum, quod singulare sumptum ita convenienter & ut dicens conformitatem habeat, unde possit præbere intellectui fundamentum ad abstrahendum, & consequenter conficiendum universale formale: jam sic est quod in hoc importatur universale fundamentale: Ergo quamtumvis omne quod est in rebus sit singulare, ex modo tamen quo singulare est adhuc habet quod sit in rebus universale fundamentale, de quo in præsenti est sermo.

Instabis: Universale non potest supponere pro singularibus etiam ut convenientibus; Ergo si non salvatur universale in rebus, nisi quià ibi dantur singularia ut convenientia ut dicit præfata solutio, non datur hoc ipso universale in rebus. *Probatur antecedens*: universale, de quo est quæstio, est universale requisitum & sufficiens ut dentur scientiæ: sed universale supponens pro singularibus ut convenientibus, non potest esse ad hoc sufficiens: Ergo universale, de quo est quæstio, supponere non potest pro ipsis singularibus etiam convenienter sumptis. *Major* colligitur ex tertia probatione conclusionis. *Probatur Minor*: universale non est sufficiens, ut dentur scientiæ, nisi quia necessarium est & non contingens: Sed in singulari etiam ut convenienti, nihil est non contingens & necessarium: Ergo universale supponens pro tali singulari non est sufficiens, ut dentur de illo scientiæ. *Probatur minor*: in singulari convenienti duo tantum distinguuntur à parte rei, ly scilicet singulare & ipsa convenientia: Sed ly singulare est quid contingens, ut

per se patet, & ipsa etiam contingens est convenientia; cum sit relatio quædam, cujus totum esse est ad extrema contingentia scilicet singularia: Ergo in singulari etiam ut convenienti nihil est non contingens & necessarium.

Respondeo Negando antecedens, tum ob rationem in solvenda objectione adductam; tum quia intelligi non potest singulare ut conveniens, quin hoc ipso intelligatur communis aliqua ratio, in qua conveniat, non quidem communitate reali, sed communitate rationis, quod quidem ex eo patet, quod oppositorum opposita est ratio, & singulare ut disconveniens intelligi non potest, quin hoc ipso intelligatur distincta & diversa ratio, in qua fiat disconvenientia: Ergo cum supponat universale fundamentale pro eo, quod præbet intellectui occasionem ad quid intelligendum commune pluribus, consequenter fit, quod ly universale, de quo est quæstio, possit supponere pro singulari ut convenienti; quamvis, si in rigore Dialectico loquamur, melius exprimatur universale fundamentale per esse in singulari ut convenienti; quam per esse singulare ut conveniens; & ideò non diximus in conclusione, quod universalia sint res ipsæ seu ipsa singularia, sed quod universalia sint in rebus, in quantum res ipsæ, etsi non sint natura, sunt tamen habentes naturam, quæ quidem universalitate afficitur, ad probationem vero nego minorem 2. & 3. argumenti, ad ultimum vero distinguo majorem: in singulari convenienti duo tantum distinguuntur à parte rei, ly scilicet singulare & ipsa convenientia; loquendo de distinctione actuali subindeque reali, concedo: loquendo de distinctione virtuali & fundamentali nego. Ly namque singulare conveniens subdistinguitur in naturam seu rationem formalem, in qua convenit, & in ipsum singulare seu habens naturam, quod convenit, adeo ut fundamentum habeat intellectus in ipso singulari convenienti ad distinguendum id, quod convenit ab illo, in quo convenit, ut ex terminis patet: jam sic est, quod illa fundamentalis & virtualis distinctio inter ipsam naturam, in qua fit convenientia, & ipsum singulare quod in ea convenit, est plusquam sufficiens ut habeatur objectum scientiæ, & certitudo atque necessitas in eo requisita, tum quia ratione virtualis hujus distinctionis se habet natura comparativè ad intellectum, in quo est scientia, ac si revera esset à suo singulari distincta, in quo casu haberet haud dubiè sufficientem certitudinem atque necessitatem ad objectum scientiæ; tum quia illa virtualis & fundamentalis distinctio

Nota.

facit,

facit, quod ubi primum attingitur & consideratur illa natura ab intellectu sciente, attingatur sive attingi possit ut actu distincta & abstracta ab ipso singulari, in quo quidem statu, cum abstrahat à singularitate & existentia, abstrahit consequenter à contingentia, habetque veritates, quæ pro omni loco & pro omni tempore verificari possunt de singularibus, quod dici non posset, nisi essent veritates certæ & necessariæ: Ergo in singulari convenienti habetur sufficienter, & sufficienter salvatur objectum scientiæ, subindeque & sufficienter in eo salvatur universale.

Objicies 3. Si darentur universalia in rebus, darentur maximè, quia requiruntur ad scientias: Sed non requiruntur de necessitate ad scientias: Ergo non probat hæc ratio sufficienter dari universalia in rebus. *Major* constat ex dictis supra. *Probatur minor*: ideo requiri dicuntur universalia ad scientias, quia ea sola habent esse incorruptibilia, subindeque & certa ac necessaria; Sed non tantum de incorruptibili, sed etiam de corruptibili, datur & dari potest scientia: Ergo non requiruntur universalia de necessitate ad scientias. *Probatur minor*: de homine, verbi gratia, secundum quod homo est, datur scientia: sed homo ut homo est habet esse corruptibilis; cum sit corruptibilitas proprietas hominis, quatenus essentialiter componitur ex materia & forma non satiante materiæ capacitatem, quod quidem per se primò convenit homini ut homo est: ergo etiam de corruptibili datur & dari potest scientia.

Respondeo Negando minorem; cujus quidem negati ratio potest ex dictis supra sufficienter colligi. Ad probationem vero distinguo claritatis gratiâ majorem sic: ideo requiri dicuntur universalia ad scientias, quia ea sola habent esse incorruptibilia sub omni ratione, nego; quia ea sola habent esse incorruptibilia sub ratione terminativa scientiæ, concedo: & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam: sensus autem solutionis est, quod quando dicuntur requiri naturæ universales ad scientias ratione incorruptibilitatis, hoc non id[illegible]st nec ita dicitur, quasi omnis natura hoc ipso, quod [illegible]salis, & hoc ipso quod de ea datur scientia, debeat esse secundum se & simpliciter loquendo incorruptibilis, etiam per se, cum benè contrarium probet objectio, in cujus confirmationem hoc ego affero argumentum: *Vniversale nil aliud est quam ipsa singularia ut conformia sunt*: Sed *fieri potest quod singularia illa conformia sint in esse corruptibili*: Ergo *universale tunc est per se primo quid corruptibile.*

Ob aliud igitur dicitur naturas requiri universales ad scientias, ratione incorruptibilitatis: nempe ratione connexionis suorum essentialium, sive propriorum prædicatorum, ratione cujus habent quod scientias terminent; quæ quidem connexio semper manet, & est ita incorruptibilis, ut nec per se nec per aliud possit corrumpi; adeo ut quantumvis omnia singularia, quibus aliqua comperit natura, corrumpantur, nec per accidens ad corruptionem illorum corrumpatur aut desinat esse connexio essentialium, & propriorum prædicatorum talis naturæ. & cum scientia versetur circa naturas communes, non ut in individuis existentes & ad corruptionem individuorũ corruptibiles, sed ut dicunt connexionem illam essentialem suorum prædicatorum, inde fit quod naturæ alias ex se corruptibiles sub ea ratione attingantur à scientiâ, sub quâ sunt illæ omnino perpetuæ & incorruptibiles, & nec per accidens aut per aliud possunt ad corruptionem aliorum corrumpi. Interim plures hic Thomistas monitos velim, eos [meo judicio] non sufficienter occurrere argumento proposito, dum scilicet respondent naturas universales, quæ dicuntur corruptibiles, non dici tales per se saltem quoad exercitium corruptionis, sed solum per aliud scilicet ad corruptionem individuorum, licet enim sit hoc plusquam certum, nihilominus cum hoc adhuc stare poterit quod possint naturæ universales [quidquid sit de modo, sive per se sive per aliud] omnino & totaliter desinere esse ad corruptionem scilicet omnium suorum individuorum, quæ supponuntur posse taliter desinere esse, ac proinde juxta hanc responsionem haberi poterit scientia de aliquo, quod modo aliquo fieri potest omnino incertum & habere se ac si non esset: quod (meo videri) nullus potest cordatus Philosophus concedere, nisi velit incidere in hanc, quam impugnamus sententiam Nominalium. Unde melius dicitur (ut responsum fuit supra] dari in præfatis naturis corruptibilibus connexionem suorum prædicatorum, ratione cujus scientias terminant, quæque nec per se nec per aliud est corruptibilis.

Inst abis: Ideo ergo de universalibus datur tantum scientia, quia in illis tantum reperitur connexio prædicatorum [illegible]no incorruptibilis; Sed etiam in singularibus reperitur talis connexio; Ergo etiam de singularibus poterit dari scientia. *Probatur Minor*, hæc est connexio omnino incorruptibilis, *singulare est hic & nunc*: Sed talis connexio est in singularibus & de singularibus: Ergo etiam in singularibus reperitur connexio omnino incorruptibilis.

Re-

Respondeo Negando minorem loquendo, ut de facto loquitur argumentum, de singularibus prout sunt extra lineam universalis. Unde ad probationem concessa majori Distinguo minorem: Sed talis connexio est in singularibus & de singularibus, sumptis ly singularibus in actu signato, & secundum rationem communem singularitatis, concedo: sumptis ly singularibus in actu exercito, & secundum talem vel talem singularitatem, nego; & nego consequentiam vel distinguo similiter consequens. Pro quo notandum est, quod singulare potest sumi dupliciter, vel in actu signato & secundum rationem communem singularis, in qua conveniunt singularia secundum quod singularia sunt; & taliter sumptum, licet dicatur nominaliter singulare, est tamen reipsa universale quid; unde non mirum quod in tali singulari reperiatur connexio necessaria prædicatorum: aliter vero sumi potest ly singulare, inquantum scilicet supponit pro tali vel tali singulari, & de eo taliter spectato procedit in præsenti sermo: jam sic est quod de tali singulari non verificatur incorruptibiliter esse hic & nunc, sumto similiter ly hic & nunc, non secundum rationem communem, sed prout supponit pro tali hic & nunc, non inquam verificatur incorruptibiliter ut per se patet, tum quia nec semper est tale singulare ut de illo semper & incorruptibiliter verificetur aliquid, tum quia non est perpetuo & incorruptibiliter in tali loco & tali tempore, pro quibus supponunt ly hic & nunc, sumptis similiter non in actu signato sed in actu exercito; ergo ex hac instantia evidenter infertur in solis universalibus reperiri præfatam connexionem incorruptibilem, subindeque & de illis solis dari posse scientiam.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam præfatam docere sententiam pluribus in locis; quod quidem in primis colligo, *ex cap. 4. de ente & essentia*, ubi triplicem assignat naturæ statum; alium scilicet quem vocat statum naturæ secundum se; alium quem vocat statum singularitatis naturæ; & alium quem vocat statum abstractionis naturæ, seu naturæ statum in intellectu, in quo quidem statu concludit naturam fore universalem: ex quibus arguo imprimis sic.

Illud denominatur ex D. Thom. universale, de quo verificantur tres illi status; Sed tres illi status verificantur ex D. Thoma de

de natura, cum eos propterea expressis terminis appellet status naturæ; Ergo illud, quod denominatur universale ex D. Thoma est ipsa rerum natura.

Præterea illud, de quo affirmat D. Thom. fieri & denominari universale in tertio illo statu, est illud idem, cujus negat universalitatem in primo, in quo scilicet sumitur secundum se; Sed illud cujus negat universalitatem in primo illo statu, est ipsa natura, cum status ille primus sit status rei secundum prædicata essentialia, quæ quidem non competunt, nisi naturæ quam constant: Ergo & illud de quo asserit S. Doctor universalitatem, est ipsa natura.

Alius vero locus, ex quo hoc idem evidenter colligitur, habetur *in 7. Metaph. lect. 3.* ubi hæc habet S. Doctor *Universale potest accipi dupliciter, uno modo pro ipsa natura, cui intellectus attribuit intentionem: Universalitatis; & sic universalia videlicet genera & species substantias rerum significant, & prædicantur in quid*: Hæc ille, ex quibus argumentor sic: præsens hæc quæstio, an scilicet dentur universalia in rebus non procedit de ipsa intentione universalitatis; de hac enim agetur infra, sed de subjecto, cui attribuitur universalitatis intentio; Sed asserit expressè D. Thomas loco citato, quod ipsa est natura, cui attribuitur universalitatis intentio; Ergo & sentit Divus Thomas, quod dentur universalia in rebus.

QUÆSTIUNCULA

DE IDEIS

PLATONICIS.

Quænam scilicet Platoni causa errandi circa separationem universalium à singularibus.

R*Espondeo* Pro resolutione, & quidem ex Divo Thoma in commento super primum Metaphysicæ, quod dum admisit Plato, dari à parte rei naturas universales realiter ab omnibus singularibus separatas, quas ipse vocabat Ideas, dicebatque esse universales, quatenus ex illis suas singularia naturas participabant, ad modum quo ex impressione

pressione sigilli in cera diversae sigillationes ab ipso sigillo realiter distinctae resultant. Respondeo, inquam, quod ex eo in tali positione erravit Plato, quia existimavit, quod modus rei intellectae in suo esse sit, sicut modus intelligendi rem; & ideo, quia invenit quod intellectus noster abstracta intelligeret, & quidem dupliciter: primò universalia intelligendo, abstracta à singularibus; secundò vero intelligendo Mathematica à sensibilibus abstracta, ideo utrique abstractioni intellectus voluit Plato respondere abstractionem; subindeque & separationem in essentiis seu naturis rerum: unde voluit & Mathematica esse, quantum ad essentias suas abstracta & consequenter separata, & similiter separatas esse species rerum.

Porro dixi, ex eo in sua positione errasse Platonem, quia scilicet hoc necessarium non est, nec verum: etenim licet intellectus noster intelligat res per hoc, quod eis assimilatur quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu, non tamen oportet quod eo modo sit species in intellectu, sicut in re, nec è converso: cujus quidem ratio est, quia omne quod est in aliquo est per modum illius in quo est, & ideo ex natura intellectus, quae est alia à naturâ rei intellectae necessarium est, quod alius sit modus intelligendi quo intellectus intelligit, & alius sit modus essendi quo res existit. Licet enim illud in re esse oporteat quod intellectus intelligit, non tamen eodem modo: unde quamvis intellectus intelligat Mathematica, non intelligendo sensibilia, & universalia praeter particularia, non propterea oportet, quod in re & à parte rei Mathematica sint praeter sensibilia, & universalia in re, & à parte rei praeter particularia: videmus namque quod & visus colorem percipit sine sapore, cum tamen in re & ex parte rei sensibilis simul inveniantur sapor & color. *Nota.*

Dices in favorem Platonis: quod est in singularibus, est hic & nunc: sed nullum universale est hic & nunc; ergo nullum universale est in singularibus, ac proinde est praeter singularia, sive à singularibus separatum. Sed ad hoc, praeterquam quod responderi potest negando minorem, si nimirum procedat ut procedere debet de universali secundum realitatem, licet sit concedenda ut intellecta de universali secundum esse copulae sive secundum veritatem propositionum, quae de illo fiunt, respondetur praeterea negando majorem, quia quod est in pluribus singularibus realiter distinctis non potest esse hic, secundum quod ly hic denotat determinatum locum singularem, sed est in locis pluribus secundùm illa in quibus est; quod si instes;

instes; Ergo saltem universale secundum quod erit in uno singulari, erit hîc & nunc, Respondetur, quod universale non est in uno secundum suæ universalitatis ambitum, sed solum secundum partem unam sui subjectivam, ac proinde quod dicatur universale esse hîc, hoc non nisi ratione partis subjectivæ de universali verificatur, non autem de universali universaliter sumpto: quod si universale solum habeat singulare unum ut natura universalis solis, tunc est quidem solum universale in uno determinato loco; sed hoc est solum per accidens, sive hoc ipsi accidit, quia non habet nisi partem unam subjectivam & unum occupantem locum, non autem hoc ei convenit per se & in quantum universale est.

Dices 2. corrupto singulari uno remanet adhuc universale; sed ita remanere non posset, nisi extaret à singulari separatum: Ergo separatum de facto est universale à singulari: sed ad hoc respondetur quod remanere universale singulari corrupto intelligi potest dupliciter, uno modo ita quod remaneat secundum illud esse, quod habet in singulari corrupto, & in hoc sensu falsa est major; alio verò modo ita quod remaneat universale secundum illud esse quod in alio habet singulari, & in hoc quidem sensu verè quidem remanet universale corrupto singulari; sed hinc infertur tantum, hominem in Paulo separari à Petro, subindeque & quod universale ratione unius partis subjectivæ separatum maneat ab alia parte subjectiva; non autem quod secundum esse quod habet in unâ parte subjectivâ & secundum quod habet de illa prædicari, [in quo sensu procedit quæstio] ab ea maneat separatum.

QUÆSTIO II.

Vtrum distinguantur natura universales à singularibus distinctione aliqua formali à parte rei, sive media aliqua distinctione inter realem & rationis.

PRamittendum 1. pro intelligentiâ, & quidem profundiori adversæ sententiæ fundamentum primum & radicale, ex quo adstruunt Scotistæ in uno & eodem distinctionem formalem; sive distinctas formalitates stante unitate reali, hoc inquam

inquam fundamentum istud esse, quia inquiunt multiplicata formalitate non propterea oportet multiplicari modum intrinsecum qualis est realitas. Pro hujus autem intelligentiâ aliter definiunt formalitatem,& aliter modum intrinsecum; & volunt quod formalitas sit quidditas uniuscujusque rei habentis quidditatem,sive sit quid definibile sive non; quod quidem addunt propter ens quod est, inquiunt, formalitas, nec tamen est definibile,unde ut cognoscatur,quandonam aliquid sit formalitas, hanc volunt observari regulam quandocumque, inquiunt, aliquid sic se habet, quod aliqua formalitas vel aliquæ formalitates sint de ejus quidditativa essentia, vel ipsum sit de quidditate & essentia alterius,ut accidit in ente,tunc illud omne est formalitas,& ideo omne quod ponitur in prædicamento volunt esse formalitatem,sicut & ipsum ens, quia includitur in quidditate cujuslibet & substantiæ & accidentis:modus autem intrinsecus sic ab illis describitur: est illud inquiunt, quod adveniens rei,vel ab eâ recedens non variat rationem ejus formalem seu quidditatem; & exemplum afferunt in existentia,realitate,& hæcceitate: ista namque inquiunt in nullius rei definitione ponuntur, & res quælibet eamdem habet quidditatem & in potentia objectiva dum est possibilis,& dum realiter existit: porro ex hac doctrina hoc inferunt ad propositum & dicunt quod naturæ universales & singulares sive gradus superiores & inferiores sunt distinctæ ex natura rei formalitates, quæ tamen formalitates sunt idem essentialiter propter eamdem existentiam, & sunt idem realiter propter eamdem realitatem, & sunt idem numericè propter eandem hæcceitatem: quia enim,inquiunt, formalitas & modus intrinsecus differunt ex natura rei, ideo multiplicato uno non propterea oportet aliud multiplicari, subindeque in uno & eodem multiplicatis formalitatibus non propterea oportet multiplicari realitatem, atque ita stare poterit in uno & eodem distinctio in formalitatibus, stante in eo unitate reali.

Sed ut pateat via ad veritatis declarationem, placet hic unum proponere argumentum contra præfatam doctrinam, & quidem ex eadem doctrinâ deductum: arguo ergo sic: ideo ex præfata doctrinâ distinguuntur formaliter & ex natura rei naturæ universales & inferiores, sive gradus superiores & inferiores non obstante unitate reali, quia multiplicari possunt formalitates non multiplicata realitate, sive non multiplicatis modis intrinsecis; Sed hoc ex eadem doctrinâ reperitur falsum: Ergo & illud, vel certè in se divisum est doctrinale

hoc

hoc regnum. *Probatur Minor:* ideo ex præfata doctrina multiplicari possunt formalitates non multiplicata realitate, quia formalitates differunt ex natura rei à modis intrinsecis inter quos est realitas; sed hoc ex eadem doctrinâ reperitur falsum: Ergo & aliud. *Probatur Minor:* ideo ex præfata doctrina differt formalitas ex natura rei à modis intrinsecis, quia modus intrinsecus non est ex natura rei formalitas; Sed hoc ex eadem doctrina reperitur falsum: Ergo & illud. *Probatur Minor:* ex præfata doctrina quidquid includitur in definitione formali & quidditativa alicujus, illud est formalitas: jam sic est quod modus intrinsecus includitur in definitione formali existentiæ realitatis & hæcceitatis; etenim si definiatur hæcceitas, dicetur est modus intrinsecus A; realitas, est modus intrinsecus B; & existentia est modus intrinsecus C; ponendo ly modus intrinsecus pro genere & A, B, C, pro differentiis: item si quis interroget quid est hæcceitas aut realitas: Respondebitur ab illis quod sunt modi intrinseci, ac proinde modi intrinseci sunt de quidditate: Ergo modi intrinseci ex præfata doctrina sunt formalitates: Ergo ex præfata doctrina formalitates non differunt ex natura rei ab ipsa realitate; Ergo ex præfata doctrina multiplicari non possunt in uno & eodem formalitates multiplicata realitate: ergo sibi apertè contradicit doctrina illa, dum adstruit in uno & eodem distinctionem formalem & ex natura rei stante reali unitate.

Præmittendum 2. pro declaratione nostræ sive Thomistarum sententiæ, quod, ubi agitur de distinctione ex natura rei sive à parte rei inter naturas universales & singulares, vel inter gradus superiores & inferiores, potest quæsitum illud in duplici sensu procedere, uno modo in eodem subjecto sive supposito, ita ut gradus superior importet aliquid in eodem, quod non importatur per inferius in eodem; & in hoc sensu, in quo quidem procedit præsens quæstio, impossibile est, inquiunt Thomistæ, quod distinguantur à parte rei superius & inferius, natura universalis & singularis, puta homo & hic homo in eodem Petro, vel animal & rationale in eodem homine; alio vero modo potest intelligi præfata distinctio à parte rei, assumendo scilicet ly superius sive universalem naturam, non quidem secundum quod contractam in eodem cum inferiori, sed secundum indifferentiam suorum inferiorum, in quantum scilicet ipsum superius ad aliquid se extendit in prædicatione, quod negatur de determinato inferiori, sicut animal se extendit per prædicationem ad asinum, qui negatur de homine; &

homo

homo se extendit per prædicationem ad Paulum, qui negatur de hoc determinato homine, puta de Petro; & in hoc sensu concedunt quidem Thomistæ, quod homo & hic homo, vel animal & rationale differunt ex natura rei sive à parte rei & realiter, non quidem ita quod homo secundum omnia sua inferiora distinguatur ab hoc homine à parte rei; non enim homo per humanitatem hujus hominis differt ab hoc homine, sicut nec animal per animalitatem hominis differt ab homine; sed ratione partium subjectivarum determinatarum, quia scilicet animalitas verbi gratia includit animalitatem bovis, asini & leonis, ratione quarum differt à parte rei & realiter à rationalitate hominis: & homo includit humanitatem Pauli, Jacobi & Joannis, ratione quarum differt à parte rei & realiter ab alio homine puta Petro. Unde notant Thomistæ aut certè noto pro Thomistis, & quidem pro solutione evidentissima omnium fere argumentorum quæ nobis opponunt adversarii, noto inquam & hoc unum fere in hac materia notandum velim, quod cum procedat quæstio de naturis universalibus & singularibus, sive gradibus superioribus & inferioribus in eodem subjecto sive supposito, fere omnia tamen Scotistarum argumenta concludunt in alio sensu; adeo ut hoc unum probent quod gradus superior secundum indifferentiam suorum inferiorum habeat differre à parte rei à gradu inferiori sensu supra exposito: sed quia hoc magni est ponderis in hac materia placet rem ponere in exemplo: probant contra Thomistas Scotistæ quod animal verbi gratia differat ab ipso homine à parte rei; quia aliquid dicitur de homine, secundum quod est animal sive de animalitate hominis, quod non dicitur de ipso homine puta convenire cum bove &c. Jam quæro unde habent quod aliquid dicatur de animalitate hominis, quod non dicatur de homine. Respondent quia animal quod prædicatur de homine prædicatur & de animalitate bovis & asini, jam sic prosequor & concludo; ergo non differt animal ab homine à parte rei, nisi quia includit animalitatem bovis & asini; quæ haud dubiè differunt ab homine: jam sic est quod illa differentia non est, nisi ratione quarumdam partium subjectivarum animalis ut per se patet, cum non sit nisi in quantum ly animal ad aliquid se extendit in prædicatione, quod negatur de homine: Ergo tritum illud adversariorum argumentum, quod quidem est omnium fere aliorum fundamentum, non probat quod controvertitur, puta quod animal ad hominem contractum distinguatur à parte rei ab ipso homine, sed probat

Nota.

bar solum quod animal sumptum secundum indifferentiam suorum inferiorum sive ratione quarumdam sui partium subjectivarum distinguatur ab homine, quod quidem nos libenter concedimus: ad hanc ergo doctrinam quam merito appellaverim clavim regiam pro intricatissimis extricandis in hac materia difficultatibus, ad hanc inquam seriò advertant Thomistæ: Sed ó utinam adverterent Scotistæ qui esto quod hic laudabiliter insudent & insudarint, parum tamen utiliter; cum aliud intendant probare, & ad hoc non advertentes aliud probent.

Præmittendum tertiò Et ultimo pro declaratione principiorum; ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *ex verò sequi non potest falsum; quod propositio hæc, Petrus est homo vel homo est animal, non est simpliciter & absolutè loquendo neganda*; quod *quæ de se prædicantur in eo sensu in quo prædicantur non distinguuntur.* Primo quidem receptissimum est apud omnes dictum illud, quod ex vero non potest sequi falsum: cujus hæc ratio afferri potest, quia certum & certissimum est quod verificari non possunt duo contradictoria; Ergo ex verò sequi non potest verificabilis contradictio: jam sic est quod, hoc ipso quod sequitur admittendum aliquod falsum, sequitur hoc ipso verificabilis contradictio, cum hoc ipso quod sequitur admittendum sit; & hoc ipso quod falsum, non sit juxta illud: ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa: Ergo certissimum est, quod ex vero sequi non potest falsum.

Jam verò quod similiter certum sit aliud dictum, puta quod propositio hæc: Petrus est homo vel homo est animal &c, non sit simpliciter & absolutè loquendo neganda, ex eo patet quod hujusmodi propositiones sunt veræ & concedendæ loquendo essentialiter, Petrus namque est essentialiter homo & homo essentialiter animal; jam sic est quod omne quod est tale essentialiter est etiam tale simpliciter & absolutè loquendo, cum sit regula generalis, quod oppositorum opposita est ratio, & omne quod est tale solum accidentaliter (quod quidem contraponitur ei quod dicitur tale essentialiter) sit tale solum secundum quid, & cum addito, non autem simpliciter & absolutè ut concedunt omnes: Ergo hujusmodi propositiones: Petrus est homo, homo est animal &c, non sunt simpliciter & absolutè loquendo negandæ.

Tan-

Tandem quod aliud ultimum sit etiam certum & receptissimum, subindeque & vim habiturum principii, puta quod quæ de se prædicantur, in eo sensu in quo prædicantur non distinguantur, ex eo etiam evidenter patet, quod prædicatio importat identitatem prædicati cum subjecto, quâ de causâ falsa est hæc prædicatio; pomum est dulcedo, cum tamen hæc sit vera, pomum est dulce; ex eo scilicet quod dulcedo cum sit nomen abstractum, ac proinde supponens non pro subjecto, sed pro ipsa forma dulcedinis, quidem realiter distinguitur à pomo, non potest consequenter medio nomine abstracto de pomo prædicari, cum è contra ly dulce, cum sit nomen concretum supponens per consequens pro subjecto seu supposito verè consequenter prædicatur de pomo, cum idem sit suppositum hominis ac subjectum dulcedinis: Ergo cum prædicatio identitatem importet, ea per consequens quæ de se prædicantur in eo sensu in quo prædicantur, distingui non possunt; cum in tali sensu dicant & importent identitatem, his ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes receptissimis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit:

CONCLUSIO: ***Inter naturas universales & singulares, sive inter gradus superiores & inferiores, nec datur nec dabilis est à parte rei formalis aliqua, seu media distinctio inter realem & rationis.***

Probatur 1. Ex primo præmisso principio: puta quod *ex vero non potest sequi falsum*: Ergo non potest in veritate admitti media illa, seu formalis distinctio à parte rei. *Probatur consequentia*: tali admissa formali distinctione sequitur falsum: Ergo hoc ipso quod ex vero sequi non potest falsum, non potest in veritate admitti talis distinctio. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: falsum & falsissimum est tantum distingui duo aliqua ab eo in quo conveniunt, quam ab eo à quo differunt; Sed hâc admissa media distinctione inter formalitates, hoc sequeretur: Ergo hac admissa distinctione sequitur falsum. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*: formalitates duæ, verbi gratia, A & B, conveniunt in ratione formalitatis ut sic, & differunt in ratione formalitatis talis & talis; Sed hac admissa distinctione media tantum differret formalitas A, à formalitate ut sic, quam à formalitate B: Ergo hac admissa distinctione inter formalitates tantum differrent duo aliqua ab eo, in quo conveniunt, quam ab eo à quo differunt. *Major* conceditur ab omnibus. *Probatur minor*, hac se-

seu veritas in sensu formali est veritas simpliciter : Ergo & falsitas seu propositio falsa in sensu formali est etiam falsa simpliciter. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* : sicut se habet formalitas ad entitatem simpliciter, ita & veritas in sensu formali ad veritatem simpliciter : Sed formalitas etiam ex doctrina adversariorum est entitas simpliciter : Ergo & veritas in sensu formali est veritas simpliciter. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: entitas simpliciter aut prædicatur de formalitate aut de realitate ; Sed non prædicatur de realitate ; cum ex adversariis sit solum entitas modalis, subindeque & entitas cum addito & non simpliciter : Ergo de formalitate prædicatur entitas simpliciter, etiam ex doctrina adversariorum, subindeque formalitas est entitas simpliciter : Ergo & veritas in sensu formali, est veritas simpliciter : Ergo & propositio falsa in sensu formali, est falsa simpliciter : Ergo propositio falsa in sensu formali, est simpliciter & absolutè loquendo neganda : Ergo admissâ inter Petrum & hominem distinctione formali, esset hoc absolutè negandum : Petrus est homo : Ergo hoc ipso quod hæc propositio: Petrus est homo: homo est animal, non est absolutè & simpliciter loquendo neganda [quod est secundum præmissum principium] nec debet formalis hæc distinctio admitti inter Petrum & hominem, seu inter gradus superiores & inferiores.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio ; *quæ prædicantur de aliquo in eo sensu in quo prædicantur, non distinguuntur*: Ergo nec distinguuntur formaliter, seu ex natura rei naturæ universales & singulares, seu gradus superiores & inferiores. *Probatur consequentia*: naturæ seu gradus superiores prædicantur in sensu formali de inferioribus : Ergo hoc ipso quod quæ prædicantur de aliquo, in eo sensu in quo prædicantur, non distinguuntur, nec distinguuntur naturæ seu gradus superiores ab inferioribus. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: par est ratio quantum ad propositum de gradu uno & de altero : sed gradus superior entis prædicatur in sensu formali de homine, v. g. vel de Petro : Ergo & idem dicendum de gradibus singulis superioribus & inferioribus. *Major* : est certa in doctrina adversariorum, qui scilicet à primo gradu qui est gradus entis usque ad infimum suam ubique interponunt distinctionem mediam sive formalem, eo quod inquiunt quot ibi gradus, tot etiam sunt formalitates. *Probatur Minor* : non potest ly unum prædicari in sensu formali de homine, quin prædicetur & ens : Sed unum prædicatur in sensu formali de homi-

homine : Ergo & ens debet similiter prædicari. *Major* per se patet & conceditur. *Probatur Minor* ; impossibile est esse aliquid unum sine unitate ; Sed si homo non includeret formaliter unum, esset aliquid unum sine unitate.: Ergo unum formaliter includitur in homine seu de homine prædicatur in sensu formali. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* : & quidem [meo videri] demonstrative quælibet pars binarii est in se una sine aliâ ; cum quælibet sejunctim sumpta sit aut possit esse principium numeri, quod quidem non convenit nisi huic quod dicitur unum : Sed si homo non sibi formaliter identificaret ly unum ; sed ab eo formaliter distingueretur, daretur ibi binarium formalitatum : Ergo earum quælibet esset una sine aliâ : atqui una illarum constituentium illud binarium, esset unitas : Ergo daretur ibi aliquid [alia scilicet binarii pars puta formalitas hominis] quod esset unum sine unitate : Ergo debet ly unum identificari etiam formaliter cum homine ; Ergo & debet ens prædicari in sensu formali de homine : Ergo datur gradus unus superior qui prædicatur formaliter de inferiori : Ergo cum sit par ratio de uno & de altero, prædicari debent superiores gradus de inferioribus in sensu formali : Ergo hoc ipso quod quæ prædicantur de aliquo, in eo sensu in quo prædicantur, non distinguuntur (quod est tertium præmissum principium) nec distinguuntur formaliter naturæ seu gradus superiores à gradibus inferioribus.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in responsionibus objectionum.

Objicies primò: Quæcumque sunt aliquo modo non idem ex natura rei sunt etiam ex natura rei aliquo modo distincta ; Sed gradus seu natura superior & inferior sunt certo quodam modo non idem ex natura rei : Ergo & sunt ex natura rei seu formaliter certo quodam modo distincta. *Major* est certa siquidem inter identitatem & distinctionem non datur medium ; ac proinde à negatione unius arguendo ad positionem alterius, bona est consequentia. *Probatur Minor* : quæ non sunt ex natura rei omnibus modis idem sunt aliquo modo non idem ex natura rei ; Sed gradus seu natura superior & inferior non sunt omnibus modis idem ex natura rei : Ergo sunt certo quodam modo non idem ex natura rei. *Major* patet per regulam æquipollentiæ ; etenim non omnibus modis idem æquipollet huic, aliquo modo non idem ; cum negatio præposita universali affirmativæ faciat æquipollere suo contradictorio. *Probatur Minor* : identitas convertibilitatis sive quod aliqua sint

sint idem convertibiliter, est aliqua identitas ex natura rei: Sed gradus seu natura superior & inferior non sunt idem convertibiliter: non enim valet, est homo, ergo est Petrus: Ergo gradus seu natura superior & inferior non sunt omnibus modis idem ex natura rei.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti. Etenim gradus superior & inferior, v. g. Petrus & homo sufficientem habent identitatem, ut possit dici, Petrus est homo; jam sic est quod non posset hoc dici, nisi essent omnibus modis idem ex natura rei; cujus quidem hæc in præsenti afferri potest ratio; etenim hoc ipso quod absolutè & simpliciter loquendo verificatur Petrus est homo, sive Petrus est idem cum homine, hoc ipso esse debet inter Petrum & hominem illa identitas, quæ facit ad veritatem simpliciter; atqui identitas illa quæ facit ad veritatem seu verificationem simpliciter non est alia, quam identitas in ipsa rei natura, cùm omnis alia identitas quæ non est in rei natura non sit nisi in modo, sive in entitate modali aut modaliter sumpta, subindeque nec possit facere, quod Petrus verbi gratia simpliciter loquendo sit homo, sed solum quod sit homo tali modo, in quo solo supponitur habere identitatem: Ergo dici non posset simpliciter & absolutè Petrus est homo, nisi Petrus esset idem cum homine ex natura rei: unde ad probationem sive ad ultimum argumentum distinguo minorem; sed gradus seu natura superior & inferior non sunt idem convertibiliter, sumpto ly gradu superiori secundum indifferentiam suorum inferiorum, sive ad sua inferiora, concedo: sumpto ly gradu superiori in ipso inferiori; in quo sensu procedit quæsitum, nego: licet igitur gradus superior v. g. animal sumptum secundum indifferentiam suorum inferiorum non sit idem convertibiliter cum homine, non quidem ita quod animal secundum nulla sui inferiora sit idem, quandoquidem animalitas hominis est idem convertibiliter cum homine, ut fusius declarabimus in sequentibus, sed quia ratione quarumdam sui partium subjectivarum non est idem, in quantum scilicet animal in tali sumptum indifferentia includit animalitatem bovis & asini, ratione quarum habet non esse idem sive distingui ab homine: licet ergo sit hoc concedendum de gradu superiori in tali indifferentiâ sumpto, nihil tamen exinde inferre licet contra intentum conclusionis, tum quia non procedit quæsitum de gradu superiori; nisi in quantum determinato ad tale inferius: tum quia si exinde inferretur distinctio aliqua ex natura rei inter ani-

malitatem hominis & ipsum hominem, inferretur & realis distinctio; cum animalitas bovis, & animalitas asini, quas includit animal in tali indifferentiâ, & ratione quarum distinguitur ab homine, de quo tales animalitates negantur, cum inquam animalitates illæ non tantum ex natura rei, sed etiam realiter distinguantur ab homine: cum ergo nihil probet qui nimis probat, conclude Lector.

Instabis: animal sive animalitas etiam prout est hominis, non habet esse idem convertibiliter cum homine; Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens:* animal sumitur ut est hominis, hoc ipso quod sumitur ut prædicatum; sed sumptum animal ut prædicatum hominis non est idem convertibiliter cum homine: Ergo neque prout est animal sive animalitas hominis. *Probatur Minor* animal quod est hominis prædicatum est illud idem, quod est de homine prædicabile; sed animal de homine prædicabile non est idem convertibiliter cum homine cum illud sit de pluribus prædicabile: Ergo sumptum animal ut prædicatum hominis non est idem convertibiliter cum homine.

Respondeo distinguendo claritatis gratiâ antecedens, & quidem distinctione, quam alteram clavim regiam merito dixerim, pro enodandis sed apertissimè difficilioribus adversariorum argumentis: distinguo ergo claritatis gratia antecedens sic: animal sive animalitas etiam prout est hominis non habet esse idem convertibiliter cum homine, si sermo sit de animali, prout est hominis per rationem seu prædicationem, concedo: si verò sermo sit, ut de facto est in præsenti, de animali prout est hominis à parte rei seu per productionem, nego; & nego similiter consequentiam, utpote quæ non nisi in hoc secundo sensu procedit. In hoc ergo hallucinantur & iterum adversarii, quod cum procedat quæsitum de distinctione animalis, v. g. ab homine, prout est animal hominis vel in homine à parte rei & per productionem, aliud tamen non controversum solum probent, puta quod animal quod est hominis per rationem, seu per prædicationem distinguatur ab homine, quia tale non est idem convertibiliter cum homine. Unde notant Thomistæ, aut certè notandum vel m pro Thomistis, quod animal in quantum tribuitur homini per rationem sive per prædicationem non est haud dubiè idem convertibiliter cum homine, quod quidem insinuat Philosophus in prædicamentis, ubi dicit quod animal sumptum ut prædicatum secundum unam & eamdem rationem prædicatur de homine, de Leone, & equo

&

& de omnibus aliis speciebus,ex quo evidenter sequitur, quod animal in quantum prædicatur de homine competit alteri quàm subjecto,subindeque quod ibi sit prædicatio majoris seu latius patentis , de minori seu minus late patenti atque ita quod sub hac ratione prædicati non potest esse idem convertibiliter cum homine : nihilominus exinde nihil contra intentum conclusionis , sive in favorem adversæ sententiæ concludi potest : tum quia quod animal inquantum prædicatur de homine sit quid latius patens , subindeque & non idem convertibiliter, hoc non est nisi inquantum accipitur,ut quid unum comparativè ad plura sive in pluribus : Ergo cum unitas illa, quam habet in pluribus,non sit, nisi unitas rationis seu per rationem (ut infra demonstrabimus), consequenter fit,quod illa non identitas,subindeque & distinctio , quæ exinde infertur , non sit nisi rationis , & non à parte rei : tum etiam quia hoc non obstante adhuc verificatur de animali prout est hominis per productionem , quod est idem convertibiliter cum homine ; cum non minus verum sit dicere , quod producto tali animali producitur homo , quam quod producto homine producitur illud animal , quod scilicet est idem cum homine : Jam sic est , quod omne quod est in creatis à parte rei,est per productionem : ergo hoc non obstante adhuc verificatur quod animal prout est hominis sit idem convertibiliter cum homine à parte rei.

Objicies 2. Ea,de quibus verificantur opposita non possunt non esse distincta à parte rei ; sed de homine , verbi gratia,secundum quod animal,& de eodem secundum quod homo verificantur opposita : ergo animal in homine & homo ipse, sive superior gradus & inferior sunt à parte rei , sive mediâ aliquâ distinctione inter realem & rationis distincta. *Major* videtur certa ex terminis. *Probatur minor* : differre & convenire sunt maximè opposita : sed homo secundum quod animal habet convenire , habet vero differre secundum quod homo,puta à leone & equo : ergo de homine,secundum quod est animal, & de eodem secundum quod est homo , verificantur opposita.

Respondeo negando minorem,data tamen , non autem concessa majori,circa quam plura dicam suo loco , plura jam habens dicenda,& quidem,meo judicio , egregia & multum doctrinalia : datâ ergo in præsenti majori nego minorem : ad cujus probationem distinguo majorem : differre & convenire sunt maximè opposita , si convenire supponat pro convenire reali-

realiter, ficut fupponit differre, concedo; fi vero ly convenire fupponat ibi pro convenire ratione, & differre fupponat pro differre realiter, nego majorem, quod fcilicet fint oppofita. Similiter diftinguo minorem: Sed homo fecundum quod animal habet convenire realiter five à parte rei, nego: habet convenire ratione concedo; & nego confequentiam: certum eft ergo & apud omnes indubitatum, quod realiter differre & convenire ratione non dicunt inter fe oppofitionem, tum quia confiderantur tunc fub alio & alio ftatu, puta intra intellectum & extra, ex qua ftatus diverfitate deperditur hau l dubiè oppofitio, tum etiam quia in eo ipfo in quo realiter differunt, poteft intellectus fundare rationis convenientiam, confiderando fcilicet rationem illam realiter differendi in actu fignato, ut quid commune utrique realiter differenti : jam fic eft quod quando dicitur homo convenire cum equo fecundum quod eft animal, & differre fecundum quod homo ; ly convenire non fupponit ibi nifi pro convenientia rationis : cujus ratio eft, quia convenientia hæc actualis, de qua eft ibi fermo, cum omnem excludat differentiam in eo in quo convenientia eft, utpote quæ contraponitur alteri membro, quod eft differentia, eft confequenter convenientia non tantum conformitatis fed etiam identitatis, quæ quidem identitas non alia effe poteft inter Petrum & Paulum quam rationis, five per rationem abftrahentem; cum omnia quæ habent à parte rei, habeant per productionem; & nihil ex iis quæ funt in Petro, verbi gratia, producta fuerint ad productionem Pauli : Ergo hoc ipfo quod de homine fecundum quod animal eft & fecundum quod homo verificantur differre & convenire, non propterea verificantur oppofita aut contradictoria, ut quidam inconfequenter inferunt.

Inftabis : ideo ergo non propterea verificantur oppofita, quia convenit homo per animal ratione tantum, cum tamen realiter differat ut homo eft: fed inintelligibile eft quod homo conveniat tantum ratione per animal, & quod realiter differat: Ergo & inintelligibile eft quod de illo non verificentur oppofita. *Probatur Minor:* quo modo facit differentia differre, eo pari modo facit & genus convenire; Sed differentia hominis facit in præfenti differre realiter ut fupponitur: Ergo & genus debet facere realiter convenire: Sed animal eft tale genus: Ergo inintelligibile eft quod homo conveniat tantum ratione per animal, & quod realiter differat.

Refpondeo Negando minorem: tantum enim abeft quod hoc

fit inintelligibile, quin imo est prorsus inintelligibile ejus oppositum, puta quod magis convenire possit homo per animal quam ratione, quod quidem præterquam quod jam supra ostensum fuit, & infra in sequenti quæstione ulterius suadebitur, ex hoc in præsenti probari potest, quod non habet animal esse id in quo conveniant equus & homo, nisi inquantum est idem cum utroque, sed idem inadæquatè & inconvertibiliter, non convertibiliter & adæquatè, ut per se patet; sic enim salvatur convenientia cum ipsa differentiâ, quæ quidem excluderetur differentia, si esset animal idem convertibiliter cum utroque, cum tunc liceret concludere identitatem extremorum inter se: jam sic est quod non habet animal esse idem ita inconvertibiliter & inadæquatè, nisi per intellectum & in ratione, & habet extra intellectum esse idem convertibiliter; siquidem omne quod habet homo extra intellectum habet per productionem, & loquendo secundum productionem non est minus verum quod producto animali, quod est idem cum homine, producitur homo, quàm quod producto homine qui est idem cum animali producatur animal: Ergo quod habeat animal esse idem cum homine & equo, sed idem inconvertibiliter, hoc non habet nisi per rationem abstrahentem rationem animalis, eamque considerantem ut quid indifferenter contrahibile & ad hominem & ad equum, ac proinde inintelligibile est, hominem posse per animal convenire cum equo magis quam ratione. Unde ad probationem nego majorem, sive paritatem majoris, cujus disparitatis ratio est quia quod faciat genus actu & formaliter convenire, hoc non habet nisi inquantum sumitur secundo intentionaliter & in ratione, cum inquantum sumitur extra intellectum & à parte rei, sit ut dictum est, idem convertibiliter cum natura specifica, subindeque & differre faciat non minus quam ipsa natura specifica; ac proinde non potest genus convenientiam arguere nisi in ratione; at vero differentia sive sumpta secundo intentionaliter, sive primo intentionaliter & extra intellectum habet quod faciat differre, sicque non tantum habet causare differentiam in ratione, dum scilicet sumitur in ratione & ut formaliter universalis, sed etiam realem sive à parte rei inquantum sumitur à parte rei & primo intentionaliter.

Objicies tertiò, Non possunt entia realia differre definitione, & non differre à parte rei sive ex natura rei; Sed naturæ universales & singulares, sive gradus superiores & inferiores diffe-

differunt definitione: Ergo & differunt à parte rei. *Minor* constat: aliter enim definitur Petrus secundum quod homo & secundum quod animal. *Probatur major*: non possunt entia realia differre in esse & non differre à parte rei: Sed hoc ipso quod differunt definitione, differunt in esse: Ergo non possunt entia realia differre definitione & non differre à parte rei. *Major* est certa, siquidem esse entis realis est esse à parte rei, ac proinde hoc ipso quod differunt entia realia in esse; differunt in aliquo quod est à parte rei, quod est differre à parte rei. *Probatur Minor*: non possunt entia realia differre definitione & non differre definito: sed definitum in definitione entis realis est esse reale: Ergo hoc ipso quod differunt entia realia definitione, differunt hoc ipso in esse.

Nota.

Respondeo negando majorem, cujus ratio (& quidem meo videri, evidentissima) est, quia cum intellectus noster cujus est definire, utpote finitus & limitatus non possit uno conceptu sive simplici sive composito ens aliquod reale attingere secundum omnem ejus rationem; propterea fit quod definiens intellectus ens aliquod non definiat per definitionem omnem ejus explicantem rationem, sed aliquam solum vel aliquas; ac proinde cum ratio quælibet sit definibilis; ex eo scilicet quod de re qualibet sub qualibet ratione inquiri possit: Quid sit res illa sub tali ratione; sequitur de primo ad ultimum quod sufficiat sola rationum multiplicitas & distinctio, ut de ea tradi possint distinctæ & variæ definitiones: Jam sic est quod illa rationum multiplicitas & distinctio stat & stare potest cum unitate à parte rei, cum per hoc præcisè quod aliquid gerit vicem plurium varias & plures habeat rationes, ut per se patet, & nihilominus non gerat vicem plurium à parte rei, nisi secundum quod à parte rei est unum: Ergo falsissima est illa major quod non possint entia realia differre definitione & non differre à parte rei, supposito ut supponitur in præsenti, quod sint realia entia, eadem tamen realitate, unde ad probationem distinguo majorem: non possunt entia realia differre in esse & non differre à parte rei, si ly esse supponat pro esse existentiæ, concedo; si autem supponat pro esse quidditativo, sive pro esse quod intelligendum venit per ly quid est, nego: pro quo notandum est ex Divo Thoma 1. *sent. dist. 33. qu.* 1. *art. ad.* 1, quod esse sumi potest tripliciter; primo modo dicitur esse ipsa quidditas rei, in quo sensu dici solet, quod definitio est oratio significans quid est esse. Secundo sumitur esse pro ipso actu essentiæ, sive pro existentia, quæ

Nota.

dici-

dicitur actus essentiæ; In quo sensu dicitur quod Adamus per creationem & Petrus per generationem acceperunt esse: Tertio demùm sumitur esse pro copula quæ significat veritatem compositionis in propositionibus. Dico igitur quod quamvis quæ distinguuntur in esse existentiæ distinguantur à parte rei, non tamen universaliter tenendum est quod quæcumque distinguuntur in esse, quod intelligendum venit per ly quid est, debeant distingui à parte rei, quod quidem in præsenti ex eo colligo, quod de uno & eodem à parte rei, quale est id quod unum manens gerit vicem plurium, multipliciter inquiri potest ly quid est, cum de eo inquiri possit quid sit prout gerit vicem illius, & quid sit pro ut gerit vicem alterius, non ergo sequitur quod omnia entia realia quæ differunt in esse, eo scilicet quod per definitionem explicatur, differant propterea à parte rei.

Instabis: Hoc ipso quod inter præfata definita impossibilis est rationis distinctio, est hoc ipso admittenda distinctio à parte rei: sed inter præfata definita impossibilis est rationis distinctio: Ergo inter illa est admittenda distinctio à parte rei, *Major* supponitur certa, cum supponatur quod inter talia definita, quæ scilicet explicantur per distinctas definitiones, admittenda sit distinctio aliqua. *Probatur minor*: inter extrema realia impossibilis est rationis distinctio: sed præfata definita sunt realia entia: Ergo inter præfata definita impossibilis est rationis distinctio. *Minor* supponitur certa. Petrus enim realis est, & secundum quod homo & secundum quod animal. Quæ duo sunt in præsenti definita de quibus est sermo. *Probatur major*: extrema non fiunt ralia nisi per distinctionem, sive distinctio non est nisi inter extrema quæ facit; sed impossibile est quod distinctio rationis faciat extrema realia: Ergo & impossibile est quod distinctio rationis sit inter extrema realia.

Respondeo Negando minorem, ad cujus probationem nego majorem, puta quod inter extrema realia impossibilis sit rationis distinctio: etenim quandocumque subjectum aliquod duas habet passiones, quarum una non est magis adæquata quam altera, nec majori necessitate sequitur una quam altera, tunc una non est magis incommunicabilis quam altera: jam sic est, quod distinctio rationis & unitas rationis, quæ sunt passiones entis rationis, sic se habent ad illud, quod una non est magis adæquata enti rationis quam altera, nec majori necessitate sequitur una ens rationis quam altera, sicut nec majori necessitate sequitur unitas realis ens reale, quam di-

distinctio realis: Ergo si una communicatur alteri, debet & altera posse communicari: atqui unitas rationis, etiam in doctrina adversariorum reperitur inter extrema realia: Petrus enim & Paulus qui sunt extrema realia, sunt unum specificè, quæ unitas est rationis, ut ipsi etiam concedunt & ostendetur infra: Ergo & distinctio rationis poterit inter extrema realia reperiri, neganda est igitur illa major. Et ad ultimum argumentum distinguo minorem sic: sed impossibile est quod distinctio rationis faciat extrema realia, in hoc sensu, ita quod faciat quod quæ extrema sunt fiant realia, concedo: in hoc sensu, ita quod faciat quod quæ realia sunt fiant extrema, nego minorem & consequentiam: etenim ea quæ realia sunt etiam eadem realitate potest ad invicem comparare, sub alia scilicet & alia ratione, & sic ea constituere, extrema realia, non quidem faciendo quod quæ extrema sunt, realia fiant, sed potius faciendo quod quæ realia sunt, fiant extrema, inquantum scilicet fiunt per rationem ad invicem comparata.

Instabis 2. Cui repugnat actus primus, repugnat etiam & actus secundus: Sed esse rationis & distinctio rationis rationem habent actus primi & actus secundi: Ergo cui repugnat esse rationis, repugnat & distinctio rationis: Sed esse rationis repugnat entibus realibus: Ergo & eis repugnat distinctio rationis.

Respondeo Concedendo totum syllogismum, si nimirum intelligatur major, ut intelligi debet uniformiter; ita quod sensus sit quod eo modo quo repugnat actus primus, repugnare debeat & actus secundus. Jam verò ad subsumptum distingo sic: Sed esse rationis repugnat entibus realibus, loquendo subjectivè & quidditativè, concedo: loquendo objectivè, relativè aut denominativè nego; & sub eadem distinctione nego consequentiam; quod si ultra quæratur an extrema realia sint extrema distinctionis rationis, ut res, vel ut non res; Respondeti debet, nec sic, siquidem si essent reduplicativè ut res, tunc nihil distingueretur ratione nisi res, sed nec etiam ut non res, quia tunc res non possent ratione distingui, vel illa solum quæ non sunt res possent ratione distingui, cujus oppositum probavimus; unde quando inquiritur sub qua reduplicatione extrema realia sint extrema distinctionis rationis, respondeti debet, quod sub hac reduplicatione habeant esse extrema puta ut comparata per rationem.

Objicies 4. Qualis est distinctio inter unitatem formalem & numericam, talis & eadem est inter ipsam naturam universalem & singularem, sive inter hominem & hunc hominem:

Sed

Sed inter unitatem formlem & numericam est distinctio à parte rei: Ergo & inter naturam seu gradum superiorem & inferiorem. Major supponitur certa: unitas namque numerica est ipsamet natura singularis prout dicit carentiam divisionis per principia materialia, quomodo quodlibet individuum est in se unum & indivisum; & unitas formalis est ipsamet natura prout dicit carentiam divisionis penes principia formalia, quomodo Petrus est indivisus à Paulo & divisus ab equo: Ergo pari modo Philosophandum est quoad distinctionem de natura superiori & inferiori, ac de unitate formali & numerica. *Probatur minor:* eodem modo distingui debent unitates, quo distinguuntur divisiones, quarum dicunt privationes: Sed divisiones quarum privationes dicunt unitas formalis & numerica distinguuntur à parte rei: Ergo & hujusmodi unitates. *Major* videtur certa; universaliter enim privationes omnes eodem modo distingui solent inter se, ac inter se distinguuntur formæ positivæ quarum sunt privationes. *Probatur minor:* in Petro verbi gratia in ordine ad Paulum reperitur divisio numerica, non autem divisio formalis; Ergo divisio formalis & divisio numerica ita se habent, quod una sit sine altera: Sed ibi involvitur distinctio à parte rei; Ergo divisiones quarum privationem dicunt unitas formalis & numerica distinguuntur à parte rei.

Respondeo 1. Negando minorem primi argumenti, ad cujus probationem nego similiter minorem, puta quod divisio formalis & numerica distinguantur à parte rei: tales namque divisiones identificantur cum entitate; imò per eamdem entitatem, per quam aliquid est in se unum numericè, dividitur ab alio materialiter à se distincto; & per eamdem entitatem qua Petrus verbi gratia est unus formaliter cum Petro, dividitur formaliter à leone, cum unumquodque, hoc ipso quod est aliquid fit aliud quid: non ergo divisiones illæ, formalis scilicet & numerica distinguuntur à parte rei, saltem in recto quantum ad entitatem quam consequitur distinctio; licet terminativè distinguantur, quod quidem verificatur per hoc præcisè quod distinguuntur ea à quibus dividunt, unde ad ultimum nego primam consequentiam subindeque & secundam: etenim ut verificetur quod divisio numerica ita se habeat ad formalem, quod una sit sine altera non sufficit quod Petrus habens divisionem numericam à Paulo, non habeat ab eo divisionem formalem, sed præterea requiritur, quod nec habeat divisionem formalem ab alio, quod quidem

ibi

ibi minimè reperitur, cum Petrus habens divisionem materialem & numericam à Paulo per eamdem entitatem habeat formalem divisionem ab equo, cum per eamdem entitatem sit comparativè ad equum aliquid & consequenter aliud quid. Ratio autem hujus dicti est, quia hoc ipso quod Petrus habens divisionem numericam à Paulo habet & divisionem formalem ab equo, cum hoc habeat per eamdem entitatem, ex eo scilicet quod divisio à quocumque alio est transcendentale quid & transcendentaliter commune omni enti, non minus quam unitas, consequenter fit quod hoc ipso identificantur cum uno tertio divisio numerica & formalis, puta cum eadem entitate etiam secundum quod ens est, ac proinde quod hoc ipso quod Petrus habens divisionem numericam à Paulo habet & divisionem formalem ab Equo, non sit verum dicere, quod divisio una sit sine altera.

Instabis: Ideo ergo non differunt à parte rei divisio numerica & formalis, quia per idem dividitur Petrus à Paulo & ab equo: Sed hoc est falsum: Ergo est falsum divisionem formalem & numericam, quarum privationem dicunt formalis unitas & unitas numerica, non differre à parte rei. *Probatur Minor*: divisio quæ est in natura, est alia, in eo quod dividit ab ea quæ est solum in hæcceitate: Sed Petrus dividitur ab Equo in natura seu per naturam, & solum dividitur à Paulo in hæcceitate: Ergo falsum est per idem dividi Petrum à Paulo & ab equo. *Major patet* ex terminis. *Probatur minor*: quoad secundam partem de qua solum potest esse difficultas. Et quidem argumento quod putant invictissimum, omnis differentia sive divisio differentium reducitur ad aliqua primo diversa, alias datetur processus in infinitum: Sed Petrus & Paulus per divisionem numericam verè differunt: Ergo eorum divisio & differentia reduci debet ad aliqua primo diversa: Sed illa primo diversa non sunt natura in illo & in isto, cum in natura potius conveniant; ergo oportet quod sit aliquid aliud: Sed non possunt esse negationes, cum illud aliud sit per se primo distinctivum, & distinctio sit passio entis: Ergo erunt aliquæ positivæ entitates per se determinantes naturam, scilicet modi intrinseci hæcceitatem.

Nota.

Respondeo Negando minorem cujus falsitas, præter quam quod colligi potest ex præcedenti responsione, potest ulterius confirmari ex eo quod Petrus non per aliud differt & dividitur ab equo quam per propriam essentiam: jam sic est quod

etiam

etiam per propriam essentiam divisus est à Paulo, cum divisus sit à Paulo secundum quod individuus, & individuus sit per propriam essentiam, cum secluso quocumque quod est extra essentiam adhuc sit individuus; ex eo scilicet quod ponatur ut individuus in recta lineâ prędicamẽti, à qua secluditur omne quod est extra essentiam: Ergo falsum est quod per id, per quod dividitur Petrus ab equo, non dividatur à Paulo, unde ad probationem nego similiter minorem quoad secundam partem, ad ultimum verò quod putant invictissimum nego, primo subsumptum puta quod illa primo diversa per quæ differunt Petrus & Paulus non sint naturæ in isto & in illo, ut probatum manet ex ratione supra adducta. Naturæ namque in isto & in illo sunt primo diversæ diversitate reali & à parte rei, cum nihil habeant à parte rei commune & indivisum; licet non sint primo diversæ diversitate excludente conformitatem specificam, in quo aliter sunt primo diversa quam comparativè ad equum, comparativè ad quem adest diversitas excludens talem conformitatem. Neque propterea sequitur quod eadem eodem conveniant & differant ex eo scilicet quod differunt realiter & solum ratione conveniunt, adeoque non propterea oportet ponere distinctas entitates, unam in qua realiter conveniant, sive à parte rei, puta naturam, & aliam in quâ realiter differant, puta hæcceitatem, cum ex dictis constet quod per totum quod est in ipsis individuis differant, & solum ratione actu conveniant.

Nota.

Jam verò contra hoc quod clamant invictissimum argumentum placet hoc proponere convincentissimum. Non possunt duo plusquam genere differentia per eamdem individuationem individuari; Sed si admitteretur hujusmodi hæcceitas, hoc sequeretur: &c. ergo *Probatur Minor*: natura & motus naturę, sive modus & quidditas differunt plus quam genere: Sed hęc ita admissa hæcceitate, modus & natura per eamdẽ individuationem individuarentur: Ergo. *Probatur minor*: hæcceitas ut sic & in communi se habet ad naturam ut modus ad quidditatem; Sed per hæcceitatem per quam individuaretur natura, individuaretur hæcceitas ut sic. Ergo. *Major* est ex principiis Scotistarum. *Probatur Minor*: hæcceitas per quam juxta illos individuatur natura, debet esse hæcceitas talis & hæc, non autem hęcceitas in communi quę prędicatur de omnibus hęcceitatibus: Sed etiam hæcceitas in communi individuaretur per hæcceitatem talem, tum quia fit per hanc singularis,

Nota.

tum

tum quia si se ipsa individuaretur hæcceitas ut sic & in communi, idem similiter licebit dicere de natura, imo & potiori jure, cum sit natura perfectior modo; & individuari per aliquid sui generis pertineat ad perfectionem: Ergo ex doctrina illa quam dicunt invictissimam de modo hæcceitatis sequitur per sequelam convincentissimam absurdum maximum, puta quod quæ differunt plusquam genere, per eamdem individuationem individuarentur.

Colliges 1. Pro resolutione triti cujusdam argumenti quod etiam in disputationibus proponi solet ab adversariis pro stabilienda distinctione illa media à parte rei inter ipsos naturæ gradus, propterea quod inquiunt in his fundantur relationes distinctæ & diversæ à parte rei, puta in albedine relatio similitudinis ad aliam albedinem & relatio dissimilitudinis ad nigredinem. Colliges inquam quod cum relatio sit ex propria quidditate, cujus totum esse est esse ad aliud, consequenter fit quod ubi variatur ly aliud, variari debeat & ipsum esse essentiale sive specificum relationis: ac proinde cum varietur ly aliud hoc ipso quod albedo comparata ad albedinem; jam comparatur ad nigredinem, propterea fit quod, quantumcumque supponatur eadem à parte rei albedo, quæ comparatur seu quæ refertur, adhuc referri debeat per varias & distinctas relationes ad nigredinem & albedinem, quod si urgeant dicentes hoc esse inintelligibile quod unum & idem fundet ut tale plura & distincta, Respondeo hoc esse inintelligibile si fundet ad modum entis absoluti: secus vero si fundet ad modum relativi entis, propterea quod fundare ad modum relativi entis plura & distincta, seu plures & distinctas relationes, nihil aliud est quam idem habere comparari posse ad aliud & aliud, ex eo scilicet quod varietur de necessitate relatio, hoc ipso quod variatur ly aliud & aliud ut dictum fuit: ac proinde cum non sit inintelligibile idem comparari posse ad aliud & aliud, ut constat, nec etiam inintelligibile est idem fundare plures & distinctas relationes; neque propterea sequitur quod eadem prorsus ratione fundandi plures illas fundet relationes, propterea quod ratio fundandi relationem reducitur jam ad ipsum genus relationis tanquam initiativum, ac proinde sicut variatur relatio, hoc ipso quod variatur ly aliud & aliud ad quod est, ita & cum proportione dicendum de ratione fundandi relationem; atque ita cum non exerceatur ibi ratio illa fundandi nisi erga aliud & aliud; consequenter

Nota.

sequenter sit quod sit eadem natura albedinis quæ fundat, non tamen sub ratione fundandi prout omnino eadem & unâ: tandem placet hæc omnia confirmare ex ipsa adversariorum doctrina, sive hoc idem in eos retorquere quod nobis objiciunt. Assumo ergo formalitatem unam ex iis quas solent ipsi admittere & arguo sic. Formalitas illa est una & eadem formaliter; Sed formalitas illa fundat relationes formaliter diversas, cum alia haud dubiè sit relatio qua refertur ad aliam formalitatem, & alia qua refertur ad modalitatem: Ergo cum illud habeat ex eo quod sit ad aliud & aliud, evidenter sequitur ex eorum doctrina posse unum & idem fundare plures & distinctas relationes, per hoc præcisè quod sit ad aliud, & aliud. *Nota.*

Colliges 1. Quæstionis hujus resolutionem & conclusionem pari modo debere applicari apud eos, qui præfatam quæstionem solent sub his verbis proponere, an scilicet unitas formalis identificetur à parte rei cum unitate numericâ, enim vero supposito quod natura & hæc natura non sint actu à parte rei aliud & aliud, cum unitas formalis & numerica transcendentaliter imbibantur in natura & hac natura, ex eo scilicet quod unumquodque per propriam entitatem habet esse indivisum in se & divisum à quocumque alio, inquantum esse non potest aliquid, nisi sit simul & semel aliud quid, evidenter sequitur, quod neque unitas formalis & numerica esse poterunt aliud & aliud à parte rei, neque obstat quod dicunt ibi, quod scilicet natura specifica, quam comitatur unitas formalis contrahitur per differentiam individualem, quæ quidem constituit unitatem numericam, sicut & natura generis habet contrahi per differentiam specificam, subindeque quod differentia individualis sive unitas numerica debet esse entitas aliqua naturæ superaddita, proindeque & unitati formali; non inquam hoc obstat, siquidem contractio de qua ibi est sermo non est alia in uno & in altero casu nisi contractio rationis, ut fusè probant quæ supra diximus sive in probanda conclusione sive in solvendis objectionibus; ac proinde nihil exinde contra nos in præsenti concluditur, quia ibi non loquimur de unitate numerica rationis; sic enim supponimus esse hæcceitatem sive differentiam individualem ratione advenientem ipsi naturæ, sed loquimur de unitate numerica & individuali reali, quam quidem esse idem prorsus cum ipsa natura à parte rei abundè supra ostensũ fuit, & hoc ulterius argumẽto [meo videri] convincẽtissimo probatur sic, in omni coordinatione prędicamẽtali

sunt

sunt omnia pertinentia, ad talem coordinationem, circumscripto omni alio quod non est essentiale tali coordinationi; cum à primo talis coordinationis ad ultimum fiat prædicatio essentialis: jam sic est quod sicut ad coordinationem prædicamentalem pertinet primum prædicamentum de quo nihil superius prædicatur, ita ad ipsum pertinet infimum subjectum cui nihil subjicitur, quód est singulare, individuum numero unum; Ergo individuum singulare & numero unum repetitur in qualibet coordinatione prædicamentali secluso & circumscripto omni eo quod non est essentiale tali coordinationi; subindeque unumquodque per propriam essentiam & entitatem habet esse numero unum & non per unitatem numericam realiter superadditam.

Colliges 3. Quod ubi est sermo de distinctione actuali, non nisi distinctio per intellectum quæ dicitur rationis ratiocinatæ concedi debet inter unitatem formalem & numericam, sicut & inter superiorem & inferiorem gradum; licet enim à parte rei virtualiter distinguantur, quatenus est fundamentum à parte rei, ut intellectus actualiter prædictas unitates distinguat, inquantum videlicet proveniunt à principiis à parte rei virtualiter distinctis nempe à forma singulari & specifica, actualiter tamen non nisi per intellectum distinguuntur, sicut non nisi per intellectum distinguuntur actualiter forma specifica & singularis, sive natura & hæc natura; quantum vero ad extranea argumenta quæ solent aliqui hic adversus conclusionem proponere pro stabilienda distinctione media, deducta scilicet ex contradictoriis quæ verificantur de divina essentia & relationibus &c. ex quo inferunt dari inter illas distinctionem aliquam à parte rei; sed non realem; Ergo mediam inter realem & rationis; ad hæc inquam videantur quæ dicta sunt in Metaphysica circa distinctionem attributorum, ubi pro hâc solvenda difficultate de verificatione contradictoriarum plura protuli & [meo judicio] convincentissima.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa præfatam distinctionem mediam.

Respondeo Distinctionem illam mediam fuisse à mente sancti Doctoris omnino alienam & ab eodem exinanitam usque ad fundamentum in ea.

Probatur Autem dictum illud ex duplici fundamento præfatę

fatæ distinctionis & utroque ex mente D. Thomæ futili atque ruinoso: primum namque & magis tritum fundamentum supra quod stabiliunt adversarii mediam hanc inter realem & rationis distinctionem est, quia de pluribus quæ sunt unum realiter, verificantur à parte rei contradictoria: jam sic est quod nulla propterea arguitur distinctio à parte rei seu plusquam rationis ex D. Thoma: sic enim discurrit S. Doctor *q. 7. de potentia, art. 1. ad 5. de eo quod est idem re & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari:* ut dicit Philosophus 3. *Physic.* sicut patet quod idem punctum re & differens ratione est principium & finis, & secundum quod est principium non est finis, & è contrario. Unde cum divina essentia & proprietates seu relationes sint idem re & differant ratione, nihil prohibet quin unum sit communicabile & incommunicabile: Hæc D. Thomas: Ergo ruinosum est ex Divo Thoma & futile primum illud fundamentum distinctionis mediæ deductum ex verificatione contradictoriorum.

Quod autem ruinosum sit ex eodem sancto Doctore secundum etiam fundamentum quo uti solent adversarij pro stabilienda sua distinctione mediâ; ostendo sic. Ideo volunt adversarij distingui, à parte rei naturam universalem à singulari, vel in Deo unum attributum ab alio, quia ex una parte conceptus objectivus unius non est conceptus objectivus alterius, & ex altera objecta per verum conceptum cognita, eo modo debent reperiri à parte rei sive in re, sicut ab intellectu cognoscuntur: jam sic est quod advertit D. Thomas 1. *part. quæst.* 84. *art.* 1. Hanc fuisse causam errandi Platoni, quando posuit ideas separatas; *Quia existimavit objecta eo modo debere reperiri in re, sicut ab intellectu cognoscuntur:* licet enim intellectus noster intelligat res per hoc, quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu, non tamen oportet, quod eo modo sit species in intellectu sicut in re, nec è converso: siquidem omne quod est in aliquo, est per modum illius in quo est; & ideo ex natura intellectus, quæ est alia à natura rei intellectæ, necessarium est quod aliud sit modus intelligendi, quo intellectus intelligit, & alius sit modus essendi quo res existit: licet enim illud in re esse oporteat quod intellectus intelligit, non tamen eodem modo. Unde quamvis intellectus noster intelligendo naturas universales non intelligat singulares, non tamen propterea oportet quod in re naturæ universales sint aliquid præter singulares: videmus namque quod & visus percipit colores sine

sapore, cum tamen in re simul inveniantur sapor & color. Ergo nugatorium est & futile ex eodem D. Thoma secundum illud fundamentum distinctionis mediæ supra expositum.

QUÆSTIO III.

Vtrum à parte rei & antecedenter ad operationem intellectus detur universale formaliter seu unitas denominans naturam formaliter communem.

PRæmittendum primò, Duplicem hac de re extare sententiam: prima est Scotistarum qui volunt, quod sicut reperiuntur unitates distinctæ in entibus rationis, seu Logicales: alia namque est unitas individui, alia unitas specifica, & alia unitas generica; volunt inquam, quod illis unitatibus rationis & Logicalibus correspondeant in natura seu naturis unitates, & quidem ex ipsa rei natura distinctæ, ita quod alia sit unitas numerica quæ est, inquiunt, maxima unitatum realium & supra quam fundatur illa unitas individualis Logicalis, quando scilicet individuum accipitur à Logica secundo intentionaliter; & alia sit unitas specifica quæ similiter inquiunt reperitur à parte rei, minor tamen unitate numerali, quæque correspondet unitati illius specificæ rationis quam deinde format & fundat Logica dum naturam specificam accipit & considerat secundo intentionaliter; & tandem alia sit à parte rei unitas generica quæ adhuc est minor, quamque volunt correspondere unitati illi rationis genericæ quam similiter format Logica in natura generica, quæ scilicet denominatur genus, ex quo ulterius volunt quod duo individua vel de genere substantiæ, ut Petrus & Paulus, vel de genere qualitatis, ut albedo hæc & illa vel quæcumque alterius generis omni seclusa operatione intellectus in aliquo uno conveniant quod sit unum à parte rei, & formaliter sumptum, unum existens in utroque: unde tandem inferunt, quod licet universale formale Logicum sit dependenter ab operatione intellectus, inquantum scilicet mediis abstractionibus Logicalibus separantur aut quasi separantur per intellectum naturæ illæ seu quidditates, quæ à parte rei in uno & eodem realiter adunantur & identificantur, & ita separatæ aut quasi separatæ accipiunt per quamdam

dam rationis resultantiam unitates illas rationis Logicales & respectus rationis ad inferiora, ex quibus denominantur universales Logicaliter: nihilominus independenter ab omni intellectus operatione, datur inquiunt à parte rei universale formale Metaphysicum, cum dentur à parte rei unitates in natura seu in naturis correspondentes unitatibus illis specificis & genericis Logicalibus, & ratione quarum verificatur quod individua duo sive de genere substantiæ sive alterius cujuscumque generis in aliquo uno conveniant quod sit unum à parte rei, & formaliter sumptum unum existens in utroque, adeo ut licet realiter multiplicetur, hoc tamen non obstet, cum ad hoc sufficiat quod multiplicetur realitas sive Hæcceitas, nec propterea requiratur quod multiplicetur formalitas seu quidditas aut natura, quæ proinde manens in ratione naturæ & quidditatis seu formalitatis una, verum consequenter est dicere, quod est à parte rei unum quid positivè commune pluribus, adeoque & natura formaliter universalis.

Thomistæ verò è contra volunt quidem, dari & reperiri à parte rei universale fundamentale. Quod quidem, inquiunt, nihil aliud est quam conformitas plurium in aliqua ratione, præbens proinde fundamentum, ut intellectus concipiens id in quo conformia sunt, & abstrahens ab his in quibus differunt, unam concipiat naturam seu rationem illis communem & aptitudinem habentem ad essendum in pluribus & ut de illis prædicetur sicque naturam efficiat formaliter universalem: Negant autem dari à parte rei unitatem ullam ex qua natura dici possit formaliter universalis; ex eo, inquiunt, quod natura sive generica sive specifica dum supponitur multiplicari realiter, hoc fit tantum per hoc quod multiplicetur realitas sive Hæcceitas, sed etiam per hoc quod realiter multiplicetur formalitas seu natura: Unde ad differentiam Scotistarum qui volunt quod multiplicitas quæ reperitur in præsenti casu, sit in hoc quod multiplicetur realitas sive Hæcceitas in natura: Thomistæ è contra volunt in hoc esse multiplicitatem quod multiplicetur natura in realitate aut potius cum realitate seu hæcceitate. Pro quo *Nota*.

Præmittendum secundò. Non propterea negare Thomistas unitatem formalem à parte rei, nec propterea velle quod nulla detur à parte rei unitas præter numericam & individualem, Quin imo hoc egregiè probant dicentes, quod sicut se habet ens rationis ad ens reale, ita & unitas rationis, qualis, inquiunt, est unitas universalis ad unitatem realem: Jam sic est

 quod

quod omne Ens rationis est fictitium, quod non habet fundamentum in ente reali: Ergo & omnis unitas rationis est fictitia, quæ non habet fundamentum in unitate reali; sed nulla est realis unitas, supra quam possit fundari unitas illa universalis præter unitatem illam formalem, seu conformitatis: Ergo talis est inquiunt admittenda à parte rei formalis seu conformitatis unitas. Quod autem non sit alia realis unitas, supra quam fundari possit unitas illa universalis, quæ est rationis, ostendunt Thomistæ sic, vel enim illa realis unitas esset ipsa unitas numeralis & hoc non; Quandoquidem ipsa unitas numeralis ut præcisè accepta est fundamentum unitatis Logicalis, quæ dicitur individualitatis seu particularitatis, vel esset unitas aliqua distincta à parte rei ab unitate numerali & immultiplicata manens ad ejus multiplicitatem: sed nec istud dici potest ut evidenter ostensum fuit in articulo præcedenti, ubi rejecta fuit & demonstratum rejiciendam præfatam distinctionem: sequitur ergo unitatem illam realem, supra quam fundari debet unitas illa universalis, quæ est rationis, esse debere unitatem aliquam formalem sive conformitatis. Non ergo negant Thomistæ dari unitatem aliquam formalem à parte rei, Sed in hoc à Scotistis disconveniunt, quod cum velint isti esse inter Petrum & Paulum unitatem formalem specificam, vel inter Petrum & asinum unitatem formalem genericam, quia multiplicata unitate numerica inter illos, immultiplicata manet formalis, sive quia natura quæ dicitur una formaliter non multiplicatur cum Hæcceitate, sed potius multiplicatur Hæcceitas in natura. Thomistæ è contra volunt esse à parte rei unitatem formalem specificam inter Petrum & Paulum vel unitatem formalem genericam inter Petrum & equum per hoc præcisè quod natura specifica quæ dicitur una formaliter inter Petrum & Paulum v. g. vel generica quæ dicitur formaliter una inter Petrum & equum, sit quidem id, quod multiplicatur cum hæcceitate, non tamen sit id quo, seu ex quo, aut ratione cujus multiplicatur cum Hæcceitate; cum id unde oritur differentia inter Petrum & Paulum, non sit, quia sunt homo, nec id unde oritur differentia & divisio inter Paulum & equum non sit, quia sunt animal; ex quo concludunt Thomistæ, quod est ibi unitas formalis, etiam stante præfata multiplicitate, quia natura specifica seu forma dans esse specificum, quamvis sit id, quod multiplicatur & dividitur, quia tamen non est id, quo dividitur, & aliunde non exercent rationem formæ seu quidditatis nisi in quantum est id *quo*; ideo non propterea dividitur & multiplicatur

Nota. *Nota.*

plicatur

plicatur in ratione formæ seu ex ratione quidditatis specificæ, ac proinde dici debet una formaliter & reperiri ibi unitas formalis, quantumvis sit id quod cum hæcceitate multiplicatur: & ideo confundunt Thomistæ unitatem hanc formalem naturę cum unitate conformitatis in natura, ad denorandum quod sicut non dicuntur duo aliqua conformia à parte rei in aliqua ratione per hoc, quod ratio sit una & indivisa manens in illis, quin imo per hoc excluditur vera & realis conformitas ut probant Theologi in mysterio de Trinitate, ubi quia una & indivisa manet perfectio absoluta in tribus personis, negant propterea veram & realem æqualitatem & conformitatem inter illas, & solum admittunt æqualitatem & conformitatem rationis; sed dicuntur aliqua duo conformia in aliqua ratione per hoc quod ratio illa est quidem distincta seu alia & alia ut quod, non tamen ut quo, seu est quidem id quod multiplicatur & distinguitur, non tamen est id, ex quo provenit multiplicitas & distinctio, unde sequitur quod in tali ratione conformia sint, cum ex tali ratione non distinguantur, ita similiter inquiunt, dicendum est de unitate formali, adeoque in unum coincidunt formalis unitas naturæ & unitas conformitatis in natura.

Nota.

Nota.

Præmittendum Ultimo pro intelligentiâ principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principij respectu conclusionis inferendæ, puta quod *quantum ad unitatem universalem à parte rei sit par ratio de una & altera natura*; quod *non sit vera hac propositio ita simpliciter prolata: Petrus est Paulus*; quod *uno salvato v.g. individuo natura Humana, verum est dicere salvatur homo* Primo quidem certum est & receptissimum primum illud dictum, puta quod quantum ad unitatem hanc universalem à parte rei par est ratio de una & altera natura. Cum enim ex doctrina adversariorum fundetur præcipuè unitas hæc universalitatis naturæ in distinctione quæ reperitur aut supponitur inter naturam & hanc naturam, consequenter fit quod cum sit par ratio de una & altera natura quantum ad hanc distinctionem, ex eo scilicet quod in omni natura creata condistinguuntur conceptus naturæ & hujus naturæ, faciuntque compositionem ex natura rei in doctrina adversariorum, & compositionem rationis in nostrâ, docet etiam esse & par ratio de una & altera natura creata quantum ad unitatem hanc universalem à parte rei; adeo ut si hæc verificetur unitas de natura aliqua, debeat & pos-

possit de omnibus & singulis naturis verificari.

Secundo receptissimum est & aliud dictum puta quod non sit vera hæc propositio ita simpliciter prolata: Petrus est Paulus. Cum enim numerus qui exurgit ex pluribus individuis sit simpliciter & absolutè loquendo numerus, quin imo esse numero differentia non verificetur simpliciter loquendo nisi de hujusmodi individuis; qua de causa dici solet & definiri species *id quod prædicatur de pluribus numero differentibus*, propterea fit quod cum ex his quæ ponunt in numero unum non sit aliud, quod unum individuum non sit per consequens simpliciter loquendo aliud, atque ita quod non sit una hæc propositio ita simpliciter prolata; *Petrus est Paulus.*

Tandem receptissimum est & aliud, seu tertium dictum, subindeque & vim habiturum principij respectu conclusionis inferendę, puta quod uno salvato v.g. individuo naturę humanæ verificetur: salvatur homo; cujus ratio est quia uno salvato individuo verificatur tunc quod salvatur hic homo; unde cum hic homo sit homo, sive non tantum dicat Hæcceitatem sed etiam naturam per Hæcceitatem modificatam, ut volunt adversarii, evidētet sequitur quod & verificetur tunc salvatur homo; alias non salvaretur hic homo secundum totum quod est in ipso, sed præcisè secundum Hæcceitatem, quod est ridiculū. His ergo tribus pręmissis tanquam certis etiam ex doctrina adversariorum, & ut ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

Conclusio: *Vnitas quæ dicitur natura formaliter universalis, ei non competit à parte rei, sive antecedenter ad operationem præcisivam intellectus.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio; puta quod *sit par ratio de una & altera natura quantum ad unitatem hanc universalem à parte rei.* Sic ergo arguo: par est ratio de una & altera natura quantum ad unitatem hanc universalē à parte rei: Ergo nulla datur natura habens à parte rei unitatem universalem. *Probatur consequentia*: una datur natura, hostiæ scilicet consecrandæ, quæ non habet à parte rei unitatem hanc universalem: Ergo hoc ipso quod par est ratio de una & alterā natura, nulla datur talis natura habens à parte rei hanc unitatem. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: In tantū natura est una unitate universali, inquantum ad multiplicitatem hæcceitatum sive hujus & illius manet ipsa immultiplicata: sed natura hostię consecrandę non manet immultiplicata à parte rei ad multiplicitatē hæcceitatū, sive hujus & illius: Ergo una datur

tur natura, hostiæ scilicet consecrandæ, quæ non habet à parte rei præfatam unitatem universalem. *Major* est certissima; cum tunc solum verificetur definitio data ab Aristotele de universali, puta *quod sit unum in multis*: unde & illam unanimiter concedunt adversarii ut videre est in præmissis. *Probatur Minor*: Quod manet immultiplicatum in pluribus, hoc ipso quod transsubstantiatur in uno, debet & transsubstantiari in altero: sed transsubstantiatur natura hostiæ in hostia B; nec tamen transsubstantiatur in hostia C, si nimirum hanc consecrare non velim: Ergo non manet natura hostiæ immultiplicata ad multiplicitatem hæcceitatum, seu hujus & illius. *Major patet* ex terminis, alias idem à seipso divideretur & separaretur. *Probatur Minor*, quoad primam partem, de qua sola potest esse dubium. Consecratio hostiæ B; v. gt. est transsubstantiatio, & non tantum transmodificatio: sed si non transsubstantiaretur natura hostiæ, sed sola ejus hæcceitas, non esset tunc consecratio transsubstantiatio, ut definiunt concilia; sed potius transmodificatio, cum solus ibi hæcceitatis modus variaretur & mutaretur: Ergo transsubstantiatur natura hostiæ in hostia B. Nec tamen transsubstantiatur in hostia C; ergo natura hostiæ non manet à parte rei immultiplicata ad multiplicitatem hæcceitatum sive hujus & illius hostiæ: Ergo una datur natura, hostiæ scilicet consecrandæ quæ non est una à parte rei unitate universali: Ergo hoc ipso, quod par est ratio de una & altera natura quantum ad unitatem hanc universalem, ut ex primo habetur principio, nulla datur natura cui competat à parte rei unitas hæc universalis.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: puta quod *propositio hæc simpliciter prolata, non sit vera Petrus est Paulus*, unde sic arguo; non est vera hæc propositio simpliciter prolata: Petrus est Paulus: Ergo nec est natura à parte rei una unitate universali sive communi. *Probatur consequentia*: si esset natura in Petro & Paulo una à parte rei unitate communi & universali, verum hoc esset simpliciter loquendo, *Petrus est Paulus*: Ergo hoc ipso quod illa propositio: Petrus est Paulus, vera non est simpliciter prolata, nec est natura una à parte rei unitate universali. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, propositio quæ solum est falsa modaliter loquendo & quantum ad modum, est vera simpliciter loquendo: sed si natura esset una à parte rei unitate universali, præfata propositio: Petrus est Paulus, esset solum falsa in sensu modali & quantum ad modum: Ergo si esset natura in Petro & Paulo una à parte rei unitate univer-

sali, vera esset hæc propositio ita simpliciter prolata. *Minor* est certissima cum hoc ipso quod natura est una à parte rei unitate comuni, non differant tunc Petrus & Paulus, nisi in modo seu in hæcceitate, non autem in natura subindeque nec falsum sit Petrum esse Paulum nisi modaliter loquendo & quantum ad modum. *Probatur Major*: propositio quæ solum est falsa cum addito, debet esse simpliciter loquendo vera; sed propositio quę est tantum falsa modaliter & quantum ad modum est solum falsa cum addito: Ergo talis propositio debet esse simpliciter & absolutè loquendo vera. *Major* per se patet: cum propositio simpliciter prolata debeat esse aut vera aut falsa; & propositio quæ est solum falsa cum addito, non sit simpliciter falsa, consequenter fit, quod propositio quæ est solum falsa cum addito, debeat esse simpliciter loquendo vera. *Probatur minor*: ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa; sed res quæ est solum talis modaliter sive per modum, est tantum talis cum addito, & non simpliciter, sicut nec modus dicitur ens vel entitas simpliciter, sed cum hoc addito ens vel entitas modalis: ergo propositio quę est tantum falsa modaliter & quantum ad modum est solum falsa cum addito. Ergo propositio quę est tantum falsa modaliter seu in sensu modali, est vera simpliciter loquendo: Ergo verum esset simpliciter: Petrus est Paulus si natura esset in illis una à parte rei unitate communi, seu universali: Ergo hoc ipso quod propositio hæc simpliciter prolata vera non est: Petrus est Paulus, ut habetur ex secundo pręmisso principio, non est natura in illis una à parte rei unitate communi, seu universali.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, puta quod *uno salvato individuo natura humana verificetur: salvatur homo*; unde sic arguo. D. salvato Fräcisco v.g. verificatur: salvatur homo; Ergo homo non est unus à parte rei unitate communi & universali. *Probat. consequentia*: si esset homo unus unitate universali in individuis à parte rei, non verificaretur in D. Fräcisco: *salvatur homo*, Ergo hoc ipso quod in D. Francisco verificatur, salvatur homo, non est hoc ipso homo à parte rei unus unitate communi. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: hoc ipso quod est idem & indivisus homo sub hæcceitate D. Francisci & sub hæcceitate Judæ, non potest verificari in D. Francisc. salvatur homo; sed si esset homo unus à parte rei unitate universali, esset idē & indivisus homo sub hęcceitate D. Francisci & sub hęcceitate Judę: ergo si esset homo unus à parte rei unitate universali, non verificaretur in D. Franc. salvatur homo. *Minor* est cer-

certissima, & est juxta doctrinam adversariorum, tum quia non reperitur homo à parte rei, nisi sub hæcceitatibus, atque ita hoc ipso quod esset unus & idem à parte rei, esset consequenter unus & idem prout stans sub hæcceitatibus; tum quia non multiplicatur homo ex adversariis per hæcceitates ratione distinctionis ex natura rei quam habet ab illis, ac proinde si esset homo unus à parte rei unitate communi, esset unus & idem sub hæcceitate D. Francisci & sub hæcceitate Judæ. *Probatur Major:* sub ea ratione qua est idem homo in Juda & D. Francisco non potest aliquid verificari de homine in uno, quin de eodem verificetur in altero, ut patet ex terminis: Sed de homine prout stat sub Hæcceitate Judæ non verificatur, salvatur homo: Ergo nec potest de eo in Divo Francisco verificari, salvatur homo, hoc ipso quod est idem & indivisus homo sub Hæcceitate Divi Francisci, & sub Hæcceitate Judæ: Ergo nec in Divo Francisco verificaretur, salvatur homo, si esset homo unus & idem à parte rei unitate communi: Ergo hoc ipso quod in D. Francisco, seu in uno naturæ individuo verificatur, salvatur homo, ut habetur ex tertio præmisso principio, non potest natura esse una à parte rei unitate communi & universali.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Objicies 1. non possunt Petrus & Paulus, v. g. esse unum & indistincti in aliquo reali, seu ex natura rei, & non dari unitas universalis à parte rei; Sed Petrus & Paulus sunt unum & indistincti in aliquo reali, sive à parte rei: Ergo & datur universalis à parte rei. *Major* conceditur ab omnibus: dari namque unitatem universalem à parte rei, nihil aliud est, nec aliud significat, quam duo individua, cujuscumque sint generis in aliquo uno reali sive realiter formali convenire, ita quod tale quid sit formaliter in utroque. *Probatur Minor.* Magis differunt Petrus & Lapis, quam Petrus & Paulus; sed nisi Petrus & Paulus essent unum & indistincti in aliquo reali, non magis differrent Petrus & lapis vel Petrus, & albedo, quam Petrus & Paulus: Ergo Petrus & Paulus debent esse quid unum & indistincti in aliquo reali, seu realiter formali. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* non possunt duo aliqua magis differre, quàm ubi differunt per illud omne quod est in ipsis: Sed nisi Petrus & Paulus essent unum & indistincti in aliquo reali sive realiter formali differrent per illud omne quod est in ipsis:

Ergo nisi ita essent unum non magis differrent ab albedine vel à lapide quam à seipsis. *Major* videtur certa ex terminis. *Probatur Minor*: hoc ipso quod eorum quæ sunt in Petro à parte rei nihil est in Paulo, & eorum quæ sunt in Paulo nihil in Petro, hoc ipso differunt per illud omne quod est in ipsis: Sed si Petrus & Paulus non essent unum & indistincti in aliquo à parte rei, hoc verificaretur: Ergo & differrent per illud omne quod est in ipsis.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti. Ad tertium vero distinguo majorem: non possunt duo aliqua magis differre, quam ubi differunt per illud omne quod est in ipsis, si differant per illud omne quod est in ipsis, & ut quo, & ut quod, concedo majorem: sin minus, Nego: similiter distinguo minorem: Sed nisi Petrus & Paulus essent unum & indistinctum in aliquo reali, differrent per illud omne quod est in ipsis, loquendo ut quod, concedo; loquendo ut quo, nego minorem & consequentiam: sensus autem solutionis est, quod quamvis verum sit dicere quod differant Petrus & Paulus per illud omne quod est in ipsis in hoc sensu; ita quod de omni quod est in Petro verificetur quod sit id quod differt à Paulo, in quo consistit ly differre ut quod, per id omne quod habet: nihilominus non propterea verificatur quod illud omne quod est in Petro sit id quo, aut ex quo habeat Petrus differre à Paulo cum natura ejus secundum se, & secundum prædicata sua essentialia non sit id quo aut ex quo provenit differentia quam habet a Paulo, quamvis talis natura sit etiam id quod distinguitur, sed proveniat ejus differentia loquendo ut quo ex singularitate sive ex natura rei secundum quod singularisatâ: cum tamen considerando Petrum comparativè ad lapidem, sit ejus natura non tantum id quod differt & distinguitur in Petro à lapide, sed etiam id quo aut ex quo differt Petrus à lapide, cum ex eo quod est homo habeat differre à lapide: jam sic est quod quæ differunt per illud omne quod est in ipsis & ut quo & ut quod sensu exposito, magis haud dubiè differunt quam quæ solum differunt ut quod: cujus ratio est quia hoc ipso quod natura v. g. in Petro est id quod distinguitur à Paulo, non autem ex quo, aut quo differt Petrus à Paulo, evidenter sequitur quod Petrus & Paulus, non obstante tali differentia ut quod, habeant conformitatem in natura, cum hoc ipso similem habeant quidditatem, simile munus & per similem definitionem explicari debeant, quod quidem dici non potest de Petro comparativè ad lapidem, in quo scilicet

Nota.

Nota.

licet

licet natura non est tantum id quod distinguitur, sed etiam quo aut ex quo provenit distinctio; tunc enim differentia non est tantum per negationem identitatis in aliquo, ut est in his quæ solum differunt ut quod, sed etiam per negationem conformitatis seu similis quidditatis, muneris & definitionis: Ergo quantumvis differant Petrus & Paulus per illud omne quod est in ipsis sensu supra exposito, adhuc tamen stat quod magis differant Petrus & lapis, & magis adhuc Petrus & albedo.

Instabis: hoc ipso quod animalis formalitas quæ convenit homini convenit etiam realiter leoni, hoc ipso datur à parte rei unum commune quid Petro & leoni non differens nec multiplicatum etiam ut quod; sed formalitas seu quidditas animalis quæ convenit homini, convenit illa etiam realiter leoni: Ergo datur à parte rei unum commune quid Petro & leoni non differens nec multiplicatum etiam ut quod. *Probatur Minor*: ratio illa animalis, quæ convenit homini, aut convenit leoni secundum rem, aut solum secundum rationem: Sed dici non potest quod solum conveniat secundum rationem: Ergo ratio illa seu formalitas animalis quæ convenit homini convenit etiam realiter leoni. *Major* supponitur certa al às ratio animalis denominati non posset universalis in essendo, si una manens non competeret homini & leoni seu pluribus specie differentibus aut secundum rem aut saltem secundum rationem. *Probatur Minor*: leo est animal per rationem animalis sibi convenientem: Sed leo non est tantum animal secundum rationem, sed etiam secundum rem: Ergo & ratio illa animalis quæ convenit homini, non convenit tantum leoni per rationem.

Respondeo negando minorem: etenim licet verum sit & concedendum, quod ratio animalis sit ratio realis, & quod sicut ratio illa convenit homini realiter, sic etiam conveniat equo & leoni realiter, quia tam homo quam leo sunt realiter animal: attamen illa ratio realis quæ competit realiter homini & leoni, non est una realiter sive à parte rei in homine & in leone, ut supra demonstratum puto, sed est in eis una secundum rationem; proindeque cum in minori propositione adductâ exprimatur ratio illa animalis secundum quod una in illis, per ly *Quæ convenit homini, convenit etiam leoni*; consequenter sit falsam esse Minorem illam, puta quod ratio animalis quæ convenit homini, conveniat etiã realiter leoni, licet absolutè

lutè loquendò ratio animalis conveniat etiam realiter leoni. Unde ad probationem Nego similiter Minorem, cum in ea sermo sit non de ratione seu formalitate animalis absolutè loquendo, sed de ratione animalis quæ etiam convenit homini. Ad ultimum vero distinguo claritatis gratiâ Majorem sic: leo est animal per rationem animalis, sibi convenientem per productionem, concedo: sibi convenientem per abstractionem seu prædicationem Nego Majorem, vel subdistinguo; est animal à parte rei Nego, per intellectum & secundum rationem Concedo; & concessâ Minori Nego consequentiam; ex eo scilicet quod in eâ cum sermo sit de animali quod etiam convenit homini, non est per consequens sermo de animali conveniente leoni per productionem; cum producto animali quod est homo, non propterea ponatur animal quod est leo, sed sit sermo de animali convenienti leoni solum per prædicationem & media abstractione, vel clariùs distinguo Majorem sic: leo est animal per rationem animalis sibi convenientem simul & homini Nego; sibi convenientem non homini concedo; & concessâ Minori Nego consequentiam. Interim notetur diligenter, quod in ista materia modica variatio in modo loquendi est variatio sententiæ & sensus; unde ista loquutio est quidem vera: una ratio realis convenit homini & equo realiter; ista tamen est falsa; ratio realis quæ convenit realiter equo & homini est una realiter, prima inquam est vera, quia in prima ly realiter, determinat & afficit extrema quæ de facto realia sunt, secunda vero est falsa quia ibi ly, realiter determinat & afficit modum unitatis, quæ quidem ibi nequit esse realis.

Nota.

Objicies 2. hoc ipso quod id quod intelligitur commune Petro & Paulo est quid reale, sive à parte rei, datur hoc ipso universale formaliter à parte rei: Sed unitas quæ intelligitur communis Petro & Paulo est quid reale sive à parte rei: Ergo & datur universale formaliter à parte rei. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* si unitas quæ intelligitur inter Petrum & Paulum realis non esset, sive realiter formalis, nec etiam realis esset diversitas quæ est inter hominem & asinum in communi: Sed falsum est atque absurdum quod diversitas quæ est inter hominem & asinum non sit realis: Ergo & falsum est quod realis non sit sive à parte rei & illa unitas quæ intelligitur inter Petrum & Paulum. *Probatur Major:* ideo unitas illa inter Petrum & Paulum non est realis sive à parte rei, quia nihil datur à parte rei commune pluribus individuis: Sed prædicta diver-

diversitas quam habet homo ab asino est etiam communis singulis individuis : Ergo si unitas illa inter Petrum & Paulum realis non esset, nec etiam realis esset diversitas quam habet homo ab asino.

Respondeo negando minorem, cujus falsitas sufficienter colligitur ex dictis supra in probandâ conclusione. Ad probationem vero nego sequelam majoris & paritatem ; cujus disparitatis ratio est, quia quantumvis admittatur diversitas realis inter hominem & asinum in communi, non propterea sequitur dari aliquid realiter commune pluribus : siquidem ut verificetur dari diversitatem realem inter asinum & hominem in communi, cum ly homo & ly asinus in communi non supponant pro aliquo communi suis individuis, sed pro ipsissimet individuis spectatis secundum conformitatem quam habent, sufficit quod sit aliquid in quolibet individuo hominis quod non sit in ullo individuo asinino, quod quidem cum verificetur absque eo quod detur quid unum commune omnibus individuis, sed sufficiat conformitas quam habent in his in quibus differunt ab asino, consequenter fit quod ex tali diversitate reali inter hominem & asinum in communi non sequatur unum quid realiter commune pluribus realiter differentibus, sicut sequeretur & supponitur ab adversariis sequi, si admitteretur realis unitas inter Petrum & Paulum, seu natura in illis à parte rei formaliter una unitate universali. Quapropter neganda est sequela majoris. Ad cujus probationem concessâ majori distinguo minorem : atqui illa diversitas quam habet homo ab asino communis etiam est hominibus singulis, eo modo quo communis esset realis unitas inter Petrum & Paulum ; Nego Minorem : longe diverso modo concedo. Etenim diversitas illa ab asino communis singulis hominibus, est & dicitur communis, non in hoc sensu, quod diversitas illa sit aliquid sive aliqua formalitas quæ sit una prorsus & eadem ex natura rei in illis, quo modo unitas illa inter Petrum & Paulum communis dicitur ; sed hoc tantum modo, quod omnia individua puta homines singuli talem habent conformitatem, quod in quolibet individuo reperiatur aliquid per quod sit simili modo diversum ab asino.

Nota.

Instabis: Quæcumque sunt comparabilia ad invicem habent aliquid unum in quo comparentur : Sed Petrus & Paulus sunt comparabiles ad invicem à parte rei : Ergo & est in illis à parte rei unum quid in quo comparentur.

Respondeo distinguendo majorem : quæ sunt comparabilia

ad

ad invicem habeat illa aliquid unum in quo comparentur, quod sit unum per conformitatem aut per communitatem concedo: habent illa aliquid unum quod sit unum de necessitate per communitatem Nego: & concessa minori, distinguo similiter consequens. Dico ergo quod ly unum in quo comparari solent plura individua potest supponere vel pro ly uno

Nota. quod sit tale per communitatem, vel etiam, ut statim ostendam, pro ly uno quod sit solum tale per conformitatem: hæc est autem differentia inter ly unum per conformitatem & ly unum per communitatem, quod ly unum per communitatem determinat & significat tertium aliquod ab extremis comparationis, seu aliud quid ab his quæ comparantur ad invicem, eis indivisibiliter commune & tale unum seu tale quid imaginatur opinio Scotistarum in hac materia: unum vero quod est tale per conformitatem, tantum abest quod significet aliquod tertium ab extremis, quin imo ipsa determinat & significat extrema comparationis prout in his in quibus realiter plura sunt, servant proportionem quamdam & quamdam similitudinem, ac proinde non importat quid indivisibiliter commune pluribus, cum potius importet in recto pluralitatem: jam sic est, quod ad comparationem plurium ad invicem abundè sufficit, quod extrema comparationis in his in quibus plura sunt servent proportionem quamdam & quamdam similitudinem, cum proportio sit virtualiter comparatio quædam: Ergo quantumvis non detur inter Petrum & Paulum aliquid unum indivisibiliter commune; adhuc tamen sufficienter habent unde possint ad invicem comparari.

Objicies 3. hoc ipso quod natura non est id quod multiplicatur in individuis, est hoc ipso una in illis unitate universali: Sed natura à parte rei non est id quod multiplicatur in individuis: Ergo natura à parte rei est una unitate universali. *Major* conceditur. *Probatur Minor:* non potest natura fundare relationem realem similitudinis inter individua & esse id quod à parte rei multiplicatur in individuis: Sed natura fundat relationem realem similitudinis inter individua: Ergo natura non est id à parte rei quod multiplicatur in individuis. *Minor* est certa; Petrus namque & Paulus dicunt ad invicem relationem oppositam & oppositæ rationis ab ea quam dicunt ad equum, verbi gratia, ac proinde cum dicant ad equum relationem realem dissimilitudinis seu diversitatis, debent consequenter importare ad invicem realem relationem similitudinis. *Probatur Minor:* non potest natura fundare relationem simili-

militudinis & relationem diversitatis respectu eorumdem: Sed hoc ipso quod est id, quod multiplicatur in individuis fundat in illis relationem diversitatis, cum sit in illis tunc alia & alia, & consequenter diversa: Ergo non potest natura fundare relationem realem similitudinis inter individua, & esse id quod à parte rei multiplicatur in individuis.

Respondeo negando minorem, cujus falsitas abundè constat ex dictis supra, præcipuè in probationibus conclusionis. Ad probationem vero nego Majorem: tantum enim abest, quod non possit natura fundare relationem realem similitudinis sive conformitatis, & esse id quod multiplicatur in individuis, quin imò est prorsus impossibile fundare posse naturam hujusmodi relationem si non sit id, quod multiplicatur, & quod reperitur multiplicatum in individuis. Pro quo notandum est hoc esse proprium relationum primi generis quæ fundantur in unitate, quales sunt æqualitas, similitudo, & conformitas, quod scilicet ipsa etiam fundamenta proxima pura quantitas, qualitas aut natura sint etiam extrema quæ primo referuntur: convenit enim non tantum quanto, sed etiam quantitati, quod sit tricubita aut bicubita, sive æqualis & inæqualis; & convenit albedini sicut & albo quod sit alteri similis; & similiter naturæ & non tantum habenti naturam convenit esse conformem alteri: jam sic est, quod non potest relatio esse realis, ubi extrema quæ refert non sunt realiter distincta; Ergo impossibile est, quod ubi est natura, ibi sit relatio realis conformitatis, nisi natura illa sit distincta in uno & in altero extremo, subindeque & nisi sit id quod est multiplicatum in individuis. Neganda est igitur major illa secundi argumenti. Ad tertium autem Nego similiter Majorem, aut claritatis gratiâ distinguo sic, non potest natura fundare relationem similitudinis seu conformitatis, & relationem diversitatis respectu eorumdem, si relatio illa diversitatis sit alia relatio, sive opposita relationi similitudinis seu conformitatis, transeat Major: si vero relatio illa diversitatis non supponat pro alia relatione, sed potius cum relatione & in relatione similitudinis sive conformitatis confundatur, Nego Majorem; cujus quidem falsitas tunc per se patet: jam sic est, quod relatio diversitatis, de qua est sermo in Petro respectu Pauli, non habet supponere pro relatione quæ sit alia à relatione similitudinis seu conformitatis; sed magis habet cum ista & in ista confundi; tum quia hæc non potest esse sine tali diversitate, ut supra puto demonstrasse

ex

ex ratione propriâ relativorum primi generis; tum quia diversitas Petri à Paulo non est nisi diversitas numerica: Ergo est diversitas habens imbibitam proportionem & conformitatem in naturâ, ad differentiam diversitatis plusquam numericæ: atqui talis diversitas est hoc idem quod dicimus conformitatem & similitudinem, ut per se patet: Ergo relatio illa diversitatis inter Petrum & Paulum confunditur cum relatione conformitatis sive similitudinis; sicque non propterea fundat natura à parte rei aliam & aliam relationem respectu ejusdem, sed solum fundat relationem realem conformitatis, & relationem rationis identitatis.

Objicies quartò, quod habet verificari de naturâ secundum se, habet verificari de natura à parte rei: Sed universale formale Metaphysicum de quo ibi est sermo, seu unitas universalis verificatur de naturâ secundum se: Ergo & de natura à parte rei verificari debet. *Major* supponitur certa. *Probatur Minor:* natura hoc ipso quod non est determinata, est hoc ipso formaliter universalis, loquendo ut loquimur de universali Metaphysico; Sed natura secundum se est non determinata: Ergo & est secundum se formaliter universalis. *Major* est certa; cum enim universale Logicum superaddat universali Metaphysico; & universale Logicum dicat naturam cum ordine positivo ad plura, & propterea ut ad plura comparatam, consequenter fit quod ad universale formale Metaphysicum sufficiat communitas naturæ talem antecedens ordinem, quæ quidem est communitas naturæ ut non determinatæ. *Probatur Minor.* Hoc ipso quod natura secundum se non est determinata, est hoc ipso non determinata secundum se; sed natura secundum se non est determinata: Ergo est non determinata secundum se. *Major* videtur certa: consequentia enim videtur tenere à negativâ ad affirmativam, variato prædicato penes finitum & infinitum; unde & valet dicere: *lapis non est homo, ergo lapis est non homo. Probatur Minor:* quod est determinatum secundum se, in nullo prorsus statu potest esse indifferens, cum in omni statu ea semper habeat quæ importat secundum se; sed natura potest in aliquo sui statu esse indifferens, in statu scilicet quem habet in anima seu per intellectum: Ergo natura non est determinata secundum se ad individua.

Respondeo Negando minorem: si namque naturæ secundum se competeret esse universalem formaliter, id in quocumque statu deberet illi convenire, & oppositum in nullo statu posset ei competere, cum varietas statuum non variet rem secundum

cundum se; alias non essent status varii ejusdem rei; Jam sic est quod naturæ prout in singularibus non competit esse universalem formaliter, ut per se patet vel certè ut deduci potest ex probationibus conclusionis: immo competit illi oppositum, esse videlicet singularem: Ergo naturæ secundum se non convenit esse formaliter universalem. Unde ad probationem nego similiter minorem; natura enim secundum se nec est determinata, nec non determinata, sed utrumque ei accidit, primum scilicet in singularibus, secundum verò ut est in intellectu, ad tertium verò in quo videtur sita vis argumenti nego majorem; non enim valet hic consequentia à negativâ ad affirmativam facta, ita ut verum sit dicere non est determinata secundum se; Ergo secundum se est non determinata. Cujus ratio est quia regula illa dialecticorum: à negativâ ad affirmativam variato prædicato penes finitum & infinitum valet consequentia, concludit solum generaliter quando propositiones sunt absolutæ, non autem quando fiunt cum appellatione & cum certo addito, ut patet in hoc exemplo: si namque dicatur absolutè: *Petrus non est albus:* tunc valet consequentia ad affirmativam mutato prædicato penes finitum & infinitum, ita ut liceat inferre; *Ergo est non albus;* si verò propositiones illæ duæ non proferantur absolutè, sed cum certo addito, seu cum appellatione ut si dicatur: *Petrus essentialiter non est albus: Ergo essentialiter est non albus:* non valet nec tenet tunc consequentia à negativâ ad affirmativam, ut per se patet: Jam sic est quod in præsenti casu propositiones illæ inter quas prætendit arguens tenere à negativâ ad affirmativam consequentiam, non proferuntur absolutè sed cum addito & cum appellatione, ita ut prædicatum non appellet supra subjectum absolutè sumptum, sed sumptum dumtaxat secundum se: Ergo sicut non valet: lignum secundum se non est calidum: Ergo secundum se est non calidum, nec etiam valere debet in præsenti casu, natura secundum se non est determinata; ergo secundum se est non determinata.

Instabis: non est potior ratio, cur cum tali addito & appellatione valeat hic consequentia ab affirmativa ad negativam, quam à negativa ad affirmativam: sed cum tali addito & appellatione tenet hic consequentia ab affirmativa ad negativam: valeret enim: *Natura secundum se est non determinata, vel aqua secundum se est non ignis: Ergo natura secundum se non est determinata, vel Ergo aqua secundum se non est ignis;* Ergo cum simili addito & appellatione tenere debet conse-

quentia à negativa ad affirmativam variato prædicato penes finitum & infinitum.

Respondeo Negando paritatem majoris; ideo namque consequentia à negativa ad affirmativam in præsenti casu cum appellatione proveniente ab illa particula *secundum se*, est mala, quia ob eam appellationem arguitur virtualiter a disjunctiva ad partem, quia arguendi modus est semper falsus & vitiatus: etenim cum illa propositio negativa: *Natura secundum se non est determinata*, possit indeterminatè verificari, vel per id quod natura secundum se sit non determinata, vel per id quod natura secundum se nec sit determinata nec non determinata, ideo prædicta propositio negativa est virtualiter disjunctiva, & illa propositio affirmativa: *Natura secundum se est non, determinata* est pars illius: atque ita arguendo à prædicta negativa ad affirmativam arguitur virtualiter ratione appellationis, seu ratione illius additi secundum se à disjunctivâ ad partem, & sic ea ibi appellatio falsificat & vitiat consequentiam: è contra verò quia prædicta affirmativa est, ut dictum fuit, velut pars illius disjunctivæ quæ continetur virtualiter in prædicta negativa, & hoc ratione præfatæ appellationis, propterea fit quod non vitiet ibi, sed potius ædificet consequentiam hæc appellatio proveniens ab illa particula secundum se. propterea quod facit quod virtualiter arguatur à parte disjunctivæ ad totum, qui quidem arguendi modus est semper verus ut inductione patet sicut alius à disjunctiva ad partem est semper falsus.

Colliges pro solvendis aliis quibusdam ratiunculis quæ communiter in hac difficultate congeruntur, colliges inquam imprimis quòd universale est quidem objectum intellectus possibilis & omnem illius actionem præcedit, non quidem per hoc quod à parte rei detur universale formaliter, sed per id quod per actionem intellectus agentis abstracta natura à singularibus fit fundamentaliter universalis Metaphysicè, & objectum specificativum intellectus possibilis. Quod si instent adversarii etiam universale formalissimè sumptum esse objectum intellectus, dico non propterea esse necessarium quod præsupponatur existens ante omnem intellectus operationem, sed sufficere quod supponatur possibile ante omnem actualem actionem intellectus: potentia namque sicut & ars factiva sui objecti non propterea illud ad omnem suam actionem supponit existens; sicut ars domificatoria, quia est factiva sui objecti, ipsius videlicet domus, non supponit ad omnem suam actio-

actionem domum existentem, sed solum ut possibilem, & per ipsam artis actionem fit domus. Item

Colliges quod quamvis materialiter & absolutè loquendo detur a parte rei particulare, nihilominus loquendo in sensu formali, & prout ly particulare vel singulare habet esse correlativum universalis, cum illud non habeat, nisi quatenus habet rationem subjicibilis respectu illius & hanc rationem subjicibilis non habeat à parte rei, sed solum per actionem intellectus comparantis illud ut quid inferius ad universale, consequenter fit quod particulare secundum quod petit coexistentiam universalis non sit à parte rei.

Tandem colliges quod aliquid potest dici commune dupliciter, uno modo secundum abstractionem, ut homo in quantum abstrahit à Petro & Paulo: alio verò modo per disjunctionem vel indifferentiam, qualiter aliquid dicitur commune, quando scilicet est hoc vel illud: unde quando quærunt adversarii de appetitu equi v.g. an tendat a parte rei in cibum communem vel particularem, dico quod non tendit in cibum communem per abstractionem, quia non abstrahit, nec in cibum hunc particularem utpote quem non cognoscit, sed tendit in cibum communem communitate indifferentiæ vel disjunctionis id est, in hunc vel illum cibum; proindeque quantumvis detur hujusmodi appetitus seclusâ intellectus operatione, non propterea sequitur quod detur seclusa tali operatione natura communis communitate universali, quæ non est alia quam communitas per abstractionem, cum tunc solum detur *unum versus alia*, quod quidem est id quod intelligendum venit per ly universale ut etymologia sonat.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa præsentem difficultatem.

Respondeo D. Thomam apertè favere nostræ sententiæ. Dicit enim Sanctus Doctor *cap. 4. de Ente & essentia* quod natura secundum se neque est una neque plures. *Si quæratur*, inquit, *utrum ista natura possit dici una vel plures, neutrum concedendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis, & utrumque potest sibi accidere, si enim pluralitas esset de ratione ejus, numquam posset esse una, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate: similiter si unitas esset de intellectu & ratione ejus, tunc esset una & eadem natura Socratis & Platonis, nec posset in pluribus plurificari.* Hæc D. Thomas.

ex quibus duo aut tria colligo ad intentum. Primo quidem rationem inde colligo, qua insuper probatur nostra conclusio, & quidem sic ad formam reductam. Naturæ à parte rei & antecedenter ad statum illius in intellectu non convenit esse universalem formaliter secundum se, nec prout in singularibus. Ergo nullatenus à parte rei id illi competit. *Consequentia* patet, præter namque hos duos status in nullo alio potest considerari natura à parte rei. *Antecedens* autem quoad secundam partem videtur certum, quia natura prout in singularibus est determinata, contracta, & singularis; Ergo ut in singularibus non est universalis formaliter, cum universale formaliter dicat indeterminationem, indifferentiam & communitatem ad plura; prima autem pars antecedentis probatur sic: si naturæ secundum se competeret esse universalem formaliter, id in quocumque statu deberet illi convenire, & oppositum in nullo statu ei posset competere: sed in singularibus non competit naturæ esse universalem, immo competit illi oppositum, esse videlicet singularem: Ergo naturæ secundum se non convenit esse universalem. Secundum verò quod colligo est, naturam esse in omni & pro omni statu communem negativè, sumpto ly communi negativè pro eo quod alicui non repugnat. Etenim naturæ secundum se competit eo modo esse communem: Ergo id etiam in omni statu illi competit. *Consequentia* patet, quia ut diximus quod competit naturæ secundum se, id ei & in quocumque statu debet convenire. *Antecedens* autem probatur, quia naturæ secundum se non repugnat esse communem; alias enim id etiam ei in quolibet statu repugnaret, & non posset fieri communis etiam per intellectum: Ergo naturæ secundum se competit esse communem per non repugnantiam, id est competit quod ei non repugnet esse communem; non tamen competit quod sit positivè communis, ut volunt Scotistæ: quod enim alicui convenit secundum se, non solum in omni statu ei debet convenire, sed etiam sub nulla ratione potest ei repugnare: jam sic est quod naturæ reduplicativè sumptæ prout in individuis repugnat esse pluribus positivè communem: Ergo id non competit positivè naturæ secundum se.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Per quam actionem intellectus fiat universale formaliter.

PRamittendum primò, universale formaliter sumptum duo dicere, naturam scilicet quæ dicitur universalis formaliter; & ipsam universalitatem quæ est veluti forma, quæ naturam afficiens eam denominat & constituit formaliter universalem. Jam ergo dum inquiritur per quam actionem intellectus fiat universale formaliter, procedit & potest procedere quæsiti sensus de utroque, sive tum de natura, & tunc dicitur procedere de universali formali Metaphysico; unde & tunc sensus est per quam actionem habeat natura in tali poni statu, quod immediatè aut tribuat aut possit illi intellectus tribuere intentionem universalitatis: vel potest procedere Quæsiti sensus de ipsa intentione universalitatis, & tunc dicitur procedere de universali formali Logico: certum enim est quod per eamdem actionem per quam habet intellectus naturam ponere in eo statu, cui immediate tribuat aut possit tribuere universalitatem, per hanc inquam eamdem actionem habeat & conferre sive conficere ipsam universalitatem, cum sit universalitas respectus quidam rationis ut dicemus, qui quidem resultare solet seu consequi ad actionem qua ponitur proximum fundamentum qualis est natura in illo statu. Dicitur autem in titulo: per quam actionem intellectus, circa quod unum supponitur, & alterum inquiritur: supponitur namque universale formaliter, sive supponat pro natura cui immediatè tribuitur universalitas, sive pro ipsa forma seu intentione universalitatis fieri non posse nisi per actionem intellectus; cum habeatur ex præcedenti articulo, quod non detur hujusmodi universale à parte rei & antecedenter ad operationem intellectus: quod autem inquiritur, est utrum actio illa intellectus per quam fit universale formaliter, sit vel actio præcisiva, sive ex parte intellectus agentis, sive ex parte intellectus possibilis; qua scilicet natura habet vel repræsentari [si sit actio præcisiva intellectus agentis] vel cognoscitivè attingi [si sit actio præcisivâ intellectus possibilis] seclusis à tali repræsentatione vel cognoscitivâ attingentiâ singularium distinctivis, per quæ plurifica-

rificatur & diversificatur natura : an verò actio illa intellectus per quam supponitur fieri universale formaliter sit, non quidem actio præcisiva, sed potius comparativa, non quidem composita quæ scilicet actu prædicat universale de singulari; hæc enim supponit de necessitate universale jam prædicabile, subindeque etiam universale factum, sed an sit actio comparativa simplex, qua scilicet naturam jam à singularibus abstractam attingit comparativè ad inferiora, sive ut unum quid in quo singularia adunantur, sive ut dici solet, ut unum quid aptum inesse singularibus.

Præmittendum secundò, Pro intelligentiâ principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta. Quod *nihil est sub certo genere quod non sit sub certa & determinatâ specie* : quod *universalitas est respectivum quid, sive respectus quidam rationis* : quod *universale est unum in multis*. Primo quidem receptissimum est apud omnes, nihil esse sub certo genere quod non sit sub certa & determinata specie, quod quidem præterquam quod evidenter colligitur ab inductione : nihil namque est sub genere animalis quod non sit vel rationale vel irrationale, nec est aliquid sub genere quantitatis, permanentis, quod non sit vel linea vel superficies aut corpus : præterquam quod, inquam, hoc sufficienter colligitur ab inductione, potest ulterius suaderi ex eo quod sola species habet per se participare genus, & quidem in primo modo dicendi per se, cum ea sola sit definibilis, subindeque & ea sola includat genus in sui definitione; unde cum illud omne quod est tale, sit tale per illud quod habet esse tale per se, consequenter fit quod illud omne quod participat rationem generis, non habet illam participare nisi ratione speciei, sive quia ipsam participat speciem, in qua includitur per se genus; ac proinde verissimum est, & receptissimum dictum illud, quod nihil est sub certo genere quod non sit sub certâ & determinata specie.

Secundò receptissimum est illud aliud, puta quod universalitas seu intentio universalitatis est respectivum quid sive respectus quidam rationis: Etenim universale ex etymologia nominis idem sonat, ac unum versus alia : jam sic est quod id unde habet unum quid esse versus alia, non est aliud quam respectus hujus ad illa ut patet ex terminis : Ergo cum ex universalitate habeat natura esse una versus alia, debet universalitas esse respe-

respectus quidam: cumque non possit esse respectus realis, ex eo scilicet quod ly unum & ly alia sunt a parte rei & realiter idem, consequenter fit quod sit universalitas respectus quidam rationis addo, quod universale in essendo de quo est sermo, est ex Philosopho & ex Philosophis unum in multis: Ergo universalitas est id ex quo habetur, & salvatur in conceptu aliquo unum cum multis: sed tale quid unde id habetur non est aliud quam respectus illius ad ista, vel istorum ad illud, cum secluso tali respectu se habeant unum & multa disparatè, nec consequenter possint unum adintegrare conceptum: Ergo universalitas est respectus seu respectivum quid: cumque esse non possit quid realiter; respectivum ut dictum fuit: evidenter sequitur universalitatem fore respectum sive quid respectivum per rationem.

Denique receptissimum est & tertium illud, puta quod universale est unum in multis: omne namque universale habet importare unum & multa, & quidem unum in recto, & multa in obliquo; jam sic est quod universale in essendo non potest importare multa; nisi tanquam ea in quibus est, intellige vel actu, vel aptitudine, cum dicatur in essendo, per hoc quod potest unum inesse multis; & per hoc solum quod habet ita inesse multis, habeat posse prædicari de multis: Ergo verissima sunt & receptissima tria illa supra adducta & pronunciata tanquam principia: unde pro quæsiti resolutione, conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Per actum intellectus, qui dicitur puræ præcisionis natura non fit formaliter universalis; unde sequitur fieri tantum formaliter universalem per actum comparativum.*

Probatur primò Ex primo præmisso principio, puta quod *nihil est sub certo genere, quod non sit sub certa & determinatâ specie.* Undè sic arguo. Nihil est sub certo genere, quod non sit sub certa & determinatâ specie: Ergo natura sub statu puræ præcisionis non est sub genere universalis, seu talis cui immediatè tribui possit intentio universalitatis. *Probatur consequentia*: Natura in statu puræ præcisionis sub nulla determinatâ universalis specie reponi potest immediatè: Ergo nec est in tali statu sub genere universalis, hoc ipso quod nihil est sub certo genere, quod non sit sub certâ & determinatâ specie, *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* hoc ipso quod natura plures respicit species indifferenter, sub nulla re-

reponi potest determinatâ immediatè: sed natura in statu puræ præcisionis plures respicit species universalis indifferenter: Ergo sub nulla determinata specie reponi potest in tali statu immediatè. *Major patet* ex terminis *Probatur minor*: Natura albedinis verbi gratia reducitur ad speciem quinti prædicabilis, seu accidentis, hoc ipso quod comparatur ad Petrum & Paulum; reducitur verò ad speciem secundi prædicabilis seu speciei, si comparetur ad hoc vel illud album: atqui natura illa albedinis in statu puræ præcisionis potest indifferenter comparari ad Petrum & Paulum, vel ad hoc & illud album ut per se patet: Ergo natura in statu præcisionis potest indifferenter reduci ad plures universales species: Ergo natura in statu puræ præcisionis sub nulla determinata specie universalis reponi potest immediatè; Ergo hoc ipso quod nihil est sub certo genere, quod non sit sub certa & determinatâ specie, quod est principium primo præmissum, non est natura in statu puræ præcisionis sub genere universalis, seu talis cui immediatè tribui possit universalitatis intentio.

Probatur secundò Ex secundo præmisso principio, puta quod *universalitas est respectivum quid sive respectus quidam rationis*. Arguo ergo sic, universalitas est respectivum quid, sive respectus quidam rationis: Ergo natura in statu puræ præcisionis non est formaliter universalis. *Probatur consequentia.* Natura in statu puræ præcisionis non est etiam per rationem relativa: Ergo nec est in illo statu universalis formaliter, hoc ipso quod universalitas est quidam respectus rationis. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*; pro eo statu non est natura relativa pro quo non habet suum quod habere debet correlativum; sed non habet natura in statu puræ præcisionis suum quod habere debet correlativum: Ergo non est natura in statu præcisionis etiam per rationem relativa. *Major* est certissima: relativum enim & correlativum sunt simul natura, tempore & cognitione, ac proinde hoc ipso quod non habetur in statu aliquo id quod haberi debet correlativū, nec etiam habetur in illo relativum. *Probatur minor*. Correlativum naturæ prout per rationem seu per universalitatem relativæ sint singularia prout subjicibilia: sed pro statu puræ præcisionis non habentur singularia prout subjicibilia: Ergo pro statu puræ præcisionis non habet natura id quod habere debet correlativum: *Major* per se patet; cum enim relatio quam importat natura per universalitatem sit relatio prędicabilitatis, & correlativum prædicabilitatis sit subjicibilitas, cum prędicatū

non

non sit nisi de subjecto, propterea fit quod correlativum naturæ secundum quod per rationem seu per universalitatem relativæ sint ipsa singularia prout subjicibilia. *Probatur Minor:* tunc tantum habentur singularia prout subjicibilia, quando attinguntur comparativè ad naturam cui subjiciuntur cum secundum quod subjicibilia habeant respicere talem naturam, nec habeant ita respicere à parte rei ut supponitur, sed prout per rationem attinguntur ut respicientia seu respectiva; sed pro statu puræ præcisionis naturæ non ita attinguntur singularia ut per se patet, quin imo nec ullatenus attinguntur cum ab illis fiat præcisio: Ergo pro statu puræ præcisionis non habentur singularia prout subjicibilia: Ergo pro statu puræ præcisionis non habet natura id quod habere debet correlativum ut relativa: Ergo pro statu puræ præcisionis non est natura etiam per rationem relativa: Ergo hoc ipso quod universalitas est respectivum quid sive respectus quidam rationis, ut habetur ex secundo præmisso principio, non est natura in statu puræ præcisionis formaliter universalis.

Probatur 3, ex tertio præmisso principio puta, *quod universale est unum in multis:* sic igitur arguo, universale est unum in multis: Ergo non est natura in statu præcisionis formaliter universalis. *Probatur consequentia:* natura in statu præcisionis non est una in multis: Ergo nec est in illo statu formaliter universalis, hoc ipso quod universale est unum in multis. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* non potest natura in statu præcisionis esse una in multis nisi per aptitudinem; Sed nec aptitudinem habet in illo statu ad essendum una in multis: Ergo nec est in illo statu natura una in multis. *Probatur Minor:* aptitudo naturæ ad essendum una in multis non est nisi per rationem; Sed in statu præcisionis haberi non potest hæc aptitudo per rationem: Ergo in statu præcisionis non habet natura hanc aptitudinem. *Major* supponitur certa, cum supponatur in præsenti quæstione fieri solum universale, in quo hæc importatur aptitudo, per actum intellectus, & potest ulterius suaderi ex eo quod hæc aptitudo utpote respectiva importat distinctionem aliquam inter naturam & ipsa singularia, quæ quidem distinctio esse non potest nisi distinctio rationis. *Probatur Minor:* quod est habitum per rationem in tantum est inquantum cognoscitur esse; Sed in statu præcisionis non cognoscitur in natura hæc aptitudo: Ergo in statu præcisionis haberi non potest hæc aptitudo per rationem. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:*

quamdiu non cognoscitur terminus ad quem aptitudinis cognosci non potest hæc aptitudo : Sed in statu præcisionis non cognoscitur terminus ad quem, cum ibi non cognoscantur illa multa saltem ut terminus ad quem, sed hoc solum fiat per actum comparativum ad quem solum pertinere potest ly ad aliud : Ergo pro statu præcisionis non cognoscitur in natura hæc aptitudo : Ergo in statu præcisionis haberi non potest hæc aptitudo per rationem : Ergo in statu præcisionis non est natura una in multis per aptitudinem : Ergo in statu præcisionis non est natura una in multis : Ergo hoc ipso quod universale est unum in multis, ut habetur ex tertio præmisso principio, non est natura in statu præcisionis formaliter universalis.

Dixi autem in conclusione: *Unde sequitur fieri tantum universale formaliter per actum comparativum*; quæ quidem patet sequela, tum quia de his solum actibus præcisivo scilicet & comparativo dubitari potest : tum quia tres supra adhuc hæ relationes excludentes actum præcisivum, concludunt pro actu comparativo, ut consideranti patebit; tum denique quia per actum illum fit & constituitur universalitas ad cujus variationem distinguitur & variatur : Sed ad solam variationem actus comparativi variatur universalitas: Ergo per actum comparativum fieri debet. *Major* est certa per hoc enim quod variatur, aliud acquirit esse, subindeque cum fieri sit acquirere esse, hoc ipso quod universale ad variationem actus variatur, acquirit & accipit esse per talem actum, atque ita & ab illo fit. *Probatur Minor:* variatur universalitas, hoc ipso quod res quæ denominatur universalis de una transit universalis speciei ad alteram : Sed ad solam variationem actus comparativi hoc accidit : Ergo ad solam variationem actus comparativi variatur universalitas. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* comparata risibilitas ad Petrum & Paulum est sub quarta specie universalis, scilicet proprii : Sed comparata per variationem comparationis ad hoc & illud risibile reponitur tunc sub alia specie universalis, scilicet speciei : Ergo ad solam variationem actus comparativi transit res universalis de una universalitatis specie ad alteram.

Nota.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Per actum illum fit universale formaliter, per quem habetur unitas universalis : Sed unitas universalis habetur in natura per actum præcisivum; Ergo & per illum fit universale

Videntur alia conclu-

versale formaliter. *Major* est certa. *Probatur Minor:* natura per actum præcisivum assequitur unitatem quandam: Sed unitas illa quam assequitur non est alia quam unitas universalis: Ergo habetur unitas universalis in natura per actum præcisivum. *Major* est certa tum antecedenter ad actum præcisivum esset multiplex, nec tamen sit multiplex comparativè ad actum præcisivum, sive prout per actum præcisivum attingitur. *Probatur Minor:* sola universalis unitas opponitur unitati singulari; Sed unitas quam assequitur natura per actum præcisivum opponitur unitati singulari, cum acquiratur per exclusionem principiorum numericè seu singulariter multiplicantium: Ergo unitas illa quam assequitur natura per actum præcisivum est unitas universalis.

similis fundamenti in solutionibus objectionum.

Respondeo Negando Minorem: unitas namque universalis quæ afficit naturam reduci debet, seu debet posse immediatè reduci ad aliquam determinatam speciem universalis, cum unitas illa non supponat pro ipsa unitate universali ut sic, sive pro ipsa universalitate, sed pro ipsa unitate universali naturam afficiente, quæ quidem natura sicut est determinata natura, est etiam semper sub specie determinata universalis ut per se patet, & cuivis consideranti patebit: jam sic est, quod unitas illa quam assequitur natura per actum præcisivum reduci non potest immediatè ad aliquam universalis speciem, ut patet ex dictis supra, & ulterius constat exemplo, rationabilitatis sumptæ in concreto & abstractæ à Petro & Paulo, quæ quidem ut talis, cum indifferens sit ut comparetur ad Petrum & Paulum, vel ad hoc & illud rationale, est etiam indifferens ut reponatur sub specie tertii prædicabilis, aut sub specie secundi prædicabilis: Ergo unitas illa quam assequitur natura in statu præcisionis esse non potest unitas universalis, cum ad nullam determinatam speciem reduci possit immediatè. Unde ad probationem Nego similiter Minorem: ad tertium vero in quo videtur sita vis argumenti, distinguo Majorem: sola universalis unitas habet opponi unitati singulari, sumpta singulari unitate materialiter nego, sumpta formaliter & in sensu formali Concedo. Similiter distinguo minorem: sed unitas quam assequitur natura per actum præcisivum opponitur unitati singulari materialiter sumptæ concedo, opponitur unitati singulari sumptæ formaliter in sensu formali Nego Minorem & consequentiam, sensus autem solutionis est, quod singulare subindeque & unitas singularis considerari potest vel materialiter prout scilicet consideratur ut est à parte rei, nullo habito

seu

seu considerato respectu ad naturam superiorem, vel potest considerari formaliter, dum scilicet consideratur cum formali quodam respectu subjicibilitatis ad naturam superiorem: hoc autem supposito tanquam certo & ab omnibus communiter concesso & concedendo dico, quod quamvis natura in statu præcisionis unitatem habeat oppositam unitati singulari sumptæ materialiter, à qua scilicet de facto præscindit, non tamen oppositam unitati singulari sumptæ formaliter seu cum formali respectu subjicibilitatis, cum unitas naturæ in statu præcisionis sit unitas absoluta, non relativa ut per se patet, & ex dictis colligitur, unitas vero illa singularis sumpta formaliter, seu cum formali respectu subjicibilitatis sit unitas correlativa: ut similiter patet: jam sic est, quod unitas universalis est unitas opposita unitati singulari ita sumptæ formaliter ut subjicibili, cum sit unitas prædicabilis, & prædicabile & subjicibile opponantur correlativè: Ergo unitas quam assequitur natura in statu præcisionis, quantumvis opposita unitati singulari non propterea est universalis unitas.

Nota.

Instabis: quomodocumque opponatur unitas naturæ in statu præcisionis unitati singulari, non potest non esse universalis unitas: Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens:* unitas hoc ipso quod non est singularis esse tantum potest universalis unitas: Sed hoc ipso quod opponitur unitati singulari, habet, quomodocumque opponatur, quod non sit singularis: Ergo quomodocumque opponatur habere debet quod sit universalis.

Respondeo negando antecedens, cujus negati ratio sufficienter colligitur ex præcedenti solutione, & potest confirmari ex eo quod oppositio quam habet unitas universalis ad unitatem singularem reduci debet ad oppositionem relativorum, non autem ad oppositionem contrariorum aut alicujus alterius generis, cum universalitas ex proprio conceptu sit respectivum quid, seu quemdam importet rationis respectum, ut patet ex tertio præmisso principio: jam sic est, quod unitas naturæ in statu præcisionis non habet oppositionem relativam ad unitatem singularem, tum quia est unitas absoluta ut consideranti patebit, tum etiam quia naturæ in tali statu non correspondet correlativum, cum illud sit tantum singulare aut singularia ut subjicibilia, & ea in statu præcisionis non attingantur, aut saltem non ita attingantur: Ergo falsum est præmissum illud antecedens, quod scilicet quomodocumque opponatur unitas illa naturæ præcisæ unitati singulari, habeat hoc ipso esse universa-

Nota.

versalis unitas. Unde ad probationem nego majorem, vel claritatis gratiâ distinguo sic: unitas hoc ipso quod non est singularis esse tantum potest universalis vel materialiter, vel formaliter, concedo: esse tantum potest universalis formaliter, qualis est ea de qua in præsenti loquimur Nego: cujus solutionis ratio est, quia unitas illa habet, quod non sit singularis per hoc præcisè quod habet opponi unitati singulari sumptæ materialiter, sensu in præcedenti responsione exposito; atqui per hoc præcisè quod habet opponi unitati singulari materialiter sumptæ, non propterea est formaliter universalis, tum quia per hoc præcisè nondum habet esse unitas relativa, cum nondum habeat suum correlativum puta singularem unitatem cum formali respectu subjicibilitatis: tum etiam quia quod habeat opponi unitati singulari materialiter sumptæ, hoc non ideo est quia eam respicit, sed magis quia contrariè excludit, sicut unum excludit numerum, eique opponitur, cum tamen unitas formaliter universalis non habeat excludere singulare nisi quia id respicit, unde nec propriè excludit, sed magis respicit tanquam illud in quo includitur: Ergo dato, quod unitas illa naturæ in statu puræ præcisionis ex oppositione quam habet ad unitatem singularem, dici posset materialiter universalis, sive id in quo per alium actum fundari & formari potest unitas formaliter universalis, non tamen habet, ut talis est, & immediatè, quod dici possit universalis formaliter. *Nota.*

Objicies 2. universale idem sonat quod unum versus alia; Sed natura in statu præcisionis est una versus alia: Ergo in statu præcisionis est universalis. *Probatur Minor*: quod plura respicit sub ratione termini à quo, habet hoc ipso esse unum versus alia: Sed natura in statu præcisionis, sive ut præcisa à pluribus habet plura respicere sub ratione termini à quo: Ergo in statu præcisionis habet natura esse una versus alia. *Major* per se patet: nec enim minus verificatur ly versus alia comparativè ad terminum à quo, quam comparativè ad terminum ad quem, si tam termini à quo, quam ad quem supponantur plures. *Probatur Minor*: quod respicit natura ut terminum ad quem dum contrahitur, illud idem respicit per abstractionem ut terminum à quo: cum abstractio & contractio opponantur, subindeque & habeant versari circa idem, cum hoc solum discrimine, quod abstractio est circa illud tanquam à quo, contractio vero tanquam ad quod, sive ad quem: atqui natura dum contrahitur plura respicit ut terminum ad quem: Ergo & plura respicit per abstractionem sive in statu abstractionis tanquam terminum à quo:

Respon-

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas sufficienter colligitur ex dictis supra. Ad probationem vero nego similiter minorem: per speciem namque per intellectum agentem abstractam repræsentatur natura, aut per cognitionem præcisivam intellectus possibilis cognoscitur sine ulla prorsus habitudine ad ea à quibus est abstracta, nec tanquam ad terminum ad quem, nec tanquam ad terminum à quo; sed præcisè repræsentatur & cognoscitur natura non repræsentatis nec cognitis singularibus, nec aliqua habitudine seu respectu naturæ ad illa, ut enim colligitur ex Divo Thoma 1. *part. quæst.* 85. *art.* 2. eodem modo se habet quantum ad hoc species abstracta naturæ per intellectum agentem, & simplex ac præcisiva cognitio illius mediâ tali specie, sicut se habet visus in pomo dum percipit colorem sine sapore; jam sic est, quod visus in pomo habet percipere colorem, non solum non percipiendo saporem, sed nec percipiendo colorem cum aliqua habitudine seu respectu aliquo ad saporem, quia per speciem mediâ qua visus colorem percipit, non solum non repræsentatur sapor, sed nec repræsentatur color cum aliqua habitudine ad saporem: Ergo & in præsenti casu præcisionis naturæ à singularibus solum repræsentatur & cognoscitur natura, non repræsentatis aut cognitis individuis, aut aliqua habitudine seu respectu ad illa sive ut terminum ad quem, sive ut terminum à quo. Unde ad tertium argumentum nego absolutè majorem; licet enim quia abstractio & contractio utpote contrariè oppositæ versantur circa idem, verum propterea sit quod illud idem quod est terminus ad quem contractionis sit illud idem terminus à quo abstractionis, falsum tamen est quod illud quod respicit contractio, seu natura per contractionem ut terminum ad quem, illud respiciat natura per abstractionem ut terminum à quo, cujus disparitatis ratio est, quia contractio est actio quædam intellectus comparativa & applicativa, & proindeque non mirum quod natura se habeat per contractionem ad terminum suum per modum respicientis: abstractio vero sive actio præcisiva, tantum abest quod sit comparativa actio, quin imo est actio potius ponens & attingens naturam in statu solitudinis; ac proinde natura in statu illo præcisionis & abstractionis non debet singularia respicere ut terminum à quo, & si ut contracta aut contrahenda illa respiciat ut terminum ad quem

Instabis: si abstracta natura non cognosceretur saltem in exercitio cum aliqua habitudine ad ea à quibus est abstracta, non haberet intellectus principium aliquod ad talem comparandam

dam naturam ad ea potius à quibus est abstracta, quam ad quælibet alia à quibus non est abstracta: Sed hoc communiter reputatur falsum, cum postea intellectus naturam comparet ad ea à quibus est abstracta: Ergo & falsum est quod non cognoscatur natura in statu præcisionis cum habitudine aliqua ad ea à quibus est abstracta, saltem ut terminum à quo.

Respondeo Negando sequelam majoris, licet enim hæc ita sint, quod scilicet non repræsentatur nec cognoscatur natura in statu præcisionis cum habitudine aliqua ad ea à quibus est abstracta: nihilominus adhuc habetur principium unde potius comparet intellectus naturam abstractam ad ea à quibus est abstracta, quam ad alia, cujus ratio est; quia cum intellectus singularia non attingat nec consequenter ad ea comparet nisi convertendo se & reflectendo supra phantasmata, propterea fit quod volens intellectus comparare naturam abstractam, convertat se ad phantasmata à quibus intellectus agens naturam abstraxit, & contemplando per reflectionem eadem phantasmata comparet naturam ad ea potius singularia à quibus est abstracta, cum eorum solum contempletur phantasmata, est ergo habendum tanquam certum quod natura in statu præcisionis non repræsentatur aut cognoscitur cum habitudine aliqua ad inferiora ut terminum à quo: quod quidem quia negatur ab aliquibus ex nostris, qui volunt cognosci quidem naturam in statu præcisionis cum habitudine ad singularia tanquam ad terminum à quo, non tamen tanquam ad terminum ad quem, ex quo concludunt non propterea fore universalem in illo statu; hoc inquam potest & contra istos ulterius confirmari, ex eo quod si ita cognosceretur natura in statu præcisionis cum habitudine aliqua ad inferiora tanquam ad terminum à quo, sequeretur quod in exercitio absque necessitate alterius reflexivæ comparationis cognosceretur etiam natura cum habitudine ad eadem inferiora etiam ut terminum ad quem; cum non possit cognosci naturam aliquam esse abstractam ab individuis, quin eo ipso saltem in exercitio cognoscatur illam esse realiter in individuis, ac per consequens: quin cognoscatur saltem in exercitio habitudo illius ad individua, in quibus est & de quibus prædicari potest, quod quidem est cognoscere cum habitudine ad ea tanquam ad terminum ad quem: Ergo cum hoc secundum à præfatis Thomistis non admittatur, nec consequenter admitti debet primum, puta quod cognoscatur natura in statu præcisionis cum habitudine ad inferiora tanquam ad terminum à quo.

Obji-

Objicies tertiò, sicut se habet contractio ad faciendum singulare, sic se habet abstractio ad faciendum universale: Sed per contractionem quam habet natura à parte rei fit singularis formaliter: Ergo & fit natura formaliter universalis per abstractionem à singularibus. *Minor* videtur certa & indubitata. *Probatur Major*: contractio & abstractio procedunt modo opposito: Ergo & ad oppositos procedunt terminos; Sed contractio procedit ad singulare formaliter: Ergo debet abstractio procedere ad terminum huic oppositum, quod est formaliter universale.

Respondeo negando minorem quam non probat arguens sed improbatam relinquit tanquam suo judicio indubitatam, & nostro nedum dubiam sed etiam falsam. Unde concedo quidem eodem utique modo fieri universale per abstractionem à singularibus, ac singulare per contractionem; sed addo quod per contractionem fit solum natura materialiter singularis, non vero formaliter & Logicaliter, sed ita formaliter sumptum singulare quod quidem ita sumitur, dum scilicet sumitur & consideratur cum formali respectu subjicibilitatis ad naturam specificam sive superiorem; ita, inquam formaliter sumptum singulare fit solum per comparationem intellectus comparantis illud ut inferius ad naturam specificam, & respectu illius naturæ, tribuentis ei intentionem individui subjicibilis, per quam in ratione singularis Logici & formaliter sumpti constituitur; sic ergo proportionaliter per abstractionem à singularibus solum fit natura materialiter universalis, & per comparationem illius ad inferiora fit universalis formaliter.

Instabis: natura in statu illo abstractionis habet per intellectum quidquid haberet à parte rei, si esset realiter à singularibus separata: Sed tunc esset natura non tantum materialiter sed etiam formaliter universalis; siquidem esset una indifferenter se habens ad plura: Ergo in illo statu erit etiam per intellectum formaliter universalis.

Respondeo negando majorem; natura namque si esset à parte rei existens realiter à singularibus separata, quia in ea impossibili positione participaretur realiter à singularibus, & illa essent illius effectus in genere causæ realis exemplaris, diceret consequenter aliquam habitudinem realem positivam ad illa, subindeque cum in hoc statu esset una versus alia, esset consequenter universalis, eo modo quo nos per comparationem intellectus per quam natura accipit positivum ordinem ad inferiora, dicimus illam fieri universalem: quia verò natura utpote

revera indistincta realiter à singularibus non dicit positivum respectum ad illa, nisi quatenus per intellectum eam ad illa comparantem concipitur aliquid ad modum respectus ad sua inferiora, ideo antecedenter ad hoc non datur nec fit universale formaliter.

Objicies ultimò : Si non fieret universale formaliter per actum præcisivum, nec etiam fieret per simplicem comparationem: sed hoc secundum non admittitur: Ergo neque illud admitti debet. *Probatur sequela Majoris*, ideo per actum præcisivum non fit natura formaliter universalis, quia non habet ab eo positivum ordinem prædicabilitatis ad inferiora; sed neque per simplicem comparationem habet natura positivum hunc ordinem: Ergo nec etiam fieret formaliter universalis per simplicem comparationem. *Probatur Minor:* ordo positivus prædicabilitatis est correlativus ad positivum ordinem subjicibilitatis: sed per simplicem comparationem naturæ ad inferiora non habetur in istis positivus ordo subjicibilitatis, cum ad hoc alia similter requiratur comparatio inferiorum ad naturam: Ergo per simplicem comparationem non habet natura positivum ordinem prædicabilitatis ad inferiora.

Respondeo Negando sequelam Majoris, cujus negati ratio abundè patet ex dictis supra; & quidem præcipuè ex eo quod per actum præcisivum & antecedenter ad primam comparationem non habet natura fundamentum proximum & immediatum determinatæ speciei universalitatis, ut supra demonstratum fuit: illud verò sufficientissimè habet natura per primam comparationem, quia per illam in ordine ad determinata inferiora comparatur natura: Ergo male arguitur non fieri per simplicem comparationem naturam formaliter universalem, seu talem cui immediatè tribui possit universalitatis intentio, ex eo quod talis non fit per actum præcisivum, unde ad probationem nego minorem, ad tertium verò in quo videtur sita vis argumenti nego similiter Minorem; cùm enim intellectus in suis cognitionibus sit saltem in exercitio reflexivus, propterea fit quod eadem prima comparatione qua cognoscit & comparat naturam in ordine ad sua inferiora, cognoscit & comparat inferiora ad naturam, & ipsam utramque comparationem cognoscit in exercitio; quod quidem sufficit ut non solum per illam actionem ponatur fundamentum proximum universalitatis & subjicibilitatis, sed & quod ipsa utraque intentio seu uterque rationis ordo formaliter ad talem actionem resultet; licet non diffiteat ego formalius & expressius fieri

hujusmodi intentiones rationis, cum per secundam actionem comparativam magis reflexè, & expresè & in actu secundo cognoscuntur.

Quanam fuerit mens D.Thomæ circa propositam difficultatem.

Respondeo D.Thomam apertè favere nostræ sententiæ. Etenim S.Doctor 1.*p.qu.*28 *art.*1.ita discurrit *aliquando respectus significatus per ea quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri; Et tunc est relatio rationis tantum; sicut comparat ratio hominem animali ut speciem ad genus.* Hæc D.Thomas; Ex quibus hoc conficio argumentum. Respectus qui est tantum in apprehensione rationis conferentis unum alteri, habetur tantum per actum comparativum, & non per actum solummodo præcisivum; ut patet ex terminis: sed respectus speciei ad genus, subindeque & generis ad speciem est ex D.Thoma tantummodo in apprehensione rationis ut conferentis unum alteri; Ergo respectus ille ex D.Thoma habetur tantummodo per actum comparativum, non autem per actum præcisivum: sed talis respectus importatur in natura formaliter universali, ut supra fuit demonstratum, & communiter concedi solet, nec non ut colligi potest ex eodem D.Thom. in testimonio sequenti: Ergo ex D.Thoma non fit natura formaliter universalis nisi per actum comparativum.

Aliud verò testimonium sancti Doctoris, ex quo similiter colligi potest secundam intentionem universalitatis fieri per comparationem, qua natura abstracta ab individuis, & sic abstractè cognita ad sua comparatur inferiora, habetur inquam hoc testimonium *in opusc.*48.*cap.*1.ubi hæc habet: *quia intellectus reflectitur supra seipsum & supra ea quæ in eo sunt, sive subjectè sive objectivè, propterea considerat iterum hominem sic à se intellectum sine conditionibus materiæ, & videt quod talis natura: cum tali abstractione intellectus, potest attribui huic & illi individuo: & ideo format secundam intentionem de tali natura, & hanc vocat universale seu prædicabile.* Hæc sanctus Doctor, ex quibus licet ita arguere, actus ille quo intellectus naturam jam abstractam cognoscit ut potentem attribui huic & illi individuo, est actus quem dicimus comparativum & condistinctum ab actu præcisionis: sed actus quo format intellectus secundam intentionem universalis & prædicabilis est ille ex D.Thomæ verbis citatis, quo naturam jam abstractam cognos-

cognoſcit ut potentem attribui huic & illi individuo: Ergo actus quo format intellectus ſecundam intentionem univerſalis & prædicabilis eſt ex D. Thoma actus comparativus condiſtinctus ab actu præciſionis.

Dices D. Thomam *1 p. qu. 85. art. 2.* aſſerere quod ad ipſum abſtrahi humanitatis à conditionibus individuantibus ſequitur intentio univerſalitatis; ſed per illam actionem fit univerſale formaliter, ad quam ſequitur univerſalitatis intentio: Ergo ſentit D. Thom. fieri univerſale formaliter per ipſã abſtractionem ſive præciſionem naturæ à conditionibus individuantibus.

Reſpondeo ſolum intendere D. Thomam in hoc & aliis ſimilibus locis, quod ad ipſum abſtrahi naturæ à conditionibus individuantibus ſequitur intentio univerſalitatis, quatenus ad talem abſtractionem, & cognitionem naturæ ut ſic abſtractæ ſequitur actio comparativa intellectus per quam & ponitur fundamentum proximum univerſalitatis, & ipſa intentio univerſalitatis, in exercitio per eamdem actionem cognita, formaliter reſultat. Quod autem hæc ſit mens D. Thomæ id imprimis colligo ex primo teſtimonio pro noſtra ſententia ſupra adducto, ubi expreſſis terminis aſſerit D. Thomas, quod relatio rationis ſpeciei ad genus, ſive generis ad ſpeciem, proindeque & ipſa univerſalitatis intentio eſt tantum in ipſa apprehenſione rationis conferentis unum alteri: Ergo in tantum ſentire poteſt D. Thomas quod ad ipſum abſtrahi naturæ ſequitur univerſalitatis intentio, in quantum ad tale abſtrahi, præfata ſequitur apprehenſio conferens unum alteri, in qua tantum ex D. Thoma hæc univerſalitatis intentio habet eſſe.

Secundò id colligo expreſſiùs adhuc ex ſecundo teſtimonio ſupra in favorem noſtræ ſententiæ adducto, ubi habet D. Thomas quod ad ipſam abſtractionem naturæ, ſequitur ejuſdem naturæ conſideratio ut potentis attribui huic & illi, quæ quidem conſideratio format intentionem univerſalis; jam ſic eſt quod talis conſideratio eſt comparatio: Ergo non ſentit D. Thomas quod ſequatur univerſalitas ad ipſum abſtrahi, niſi inquantum ad talem abſtractionem ſequitur comparatio intellectus, per quam & ponitur fundamentum proximum univerſalitatis, in quantum ſcilicet habet tunc natura fundamentum determinatum determinatæ intentionis univerſalitatis, per comparationem ſcilicet ad determinata individua, & ipſa inſuper univerſalitatis intentio, in exercitio per eandem actionẽ cognita formaliter reſultat: addo quod cum clariſſimè in teſtimoniis pro noſtra ſentẽtia adductis & in aliis pluribus D. Th.

asserat fieri universale per operationem intellectus conferentem seu comparantem naturam ad sua inferiora, & hæc testimonia intelligi non possint nisi de universali formaliter sumpto & Logico, cum tamen alia testimonia quæ in oppositum adduci solent possint explicari de universali materialiter sumpto, seu de natura in tali statu posita, quod per actum intellectus immediatè sequentem accipiat ipsam intentionem universalitatis, propterea fit quod talia opposita testimonia in eo sensu intelligenda sunt & explicanda, ne dicamus D. Thomam esse sibi contrarium.

QUÆSTIO V.

Utrum universale sit Genus, sive univocum ad 5. prædicabilia.

PRæmittendum primò, Ex triplici capite fieri posse, quod ratio aliqua sit analoga, & deperdat univocationem, subindeque & rationem generis ad ea ad quæ comparatur. Primo quidem ex dependentia unius ab alio in præfata seu participata ratione, si nimirum talis sit dependentia, quod dependens non adæquet illud à quo dependet in tali ratione, tunc enim nomen significans rationem illam, non significat illam ut omnino eamdem, ut per se patet, nec etiam ut omnino diversam, cum in ea communicent extrema; & ideo D, Th, 1 *p.q.13. art.5.* propter talem dependentiam creaturarum à Deo analogiam colligit inter Deum & creaturas.

Secundò. Provenire potest analogia ac deperdi univocatio ex inæquali participatione rationis alicujus communis, etiam si absque dependentia unius participantis ab altero reperiatur; modo tamen inæqualitas sit in ipsa ratione communi participata, ut esse solet quando in uno participatur simpliciter; & in alio secundum quid, non tamen si sit præfata inæqualitas in ipsis potius rationibus particularibus sive differentialibus participantium, qualis est inæqualitas animalis in equo & homine. Dixi autem [etiamsi absque dependentia reperiatur hæc inæqualis participatio; Quod quidem patet in exemplo de speciebus intelligibilibus, quæ non sunt acceptæ à rebus, ac proinde ab illis non dependentes, ut sunt species angelicæ, & de earumdem objectis, verbi gratia de specie lapidis quam habet Angelus, & de ipso lapide, quæ quidem duo in ratione lapidis,

&

& ut hoc nomine *lapis*, significantur, analogicè conveniunt, & non univocè, ex eo scilicet quod ratio lapidis in lapide reperitur simpliciter, simpliciterque dicitur lapis; & in specie solum reperitur secundum quid, nec nisi in esse intelligibili & intentionaliter dicitur lapis; nec tamen in ratione significata reperitur inter hæc duo dependentia, ut per se patet.

Tertiò denique provenire potest ac deperdi univocatio ex sola transcendentia, hoc est etiam si inter ea ad quæ ratio aliqua comparatur ut transcendens, non sit unius ab altero dependentiæ, nec inæqualis sit inter ea participatio hujusmodi rationis communis; sed omnia illa simpliciter participent hujusmodi rationem communem, sola tamen transcendentia sufficit, ut ratio sic transcendens analogicè dicatur de illis & non univocè. Quod autem res ita sit, sufficienter colligitur ab exemplo accidentis sumpti ut sic & in communi, quod quidem cum non sit genus ad novem accidentium prædicamenta, alias illa non essent suprema genera, & inter se primo diversa, est consequenter ad illa novem analogum & non univocum: jam sic est quod talis analogiæ nulla potest esse causa, nisi præfata transcendentia; cum inter accidentia in ratione communis accidentis non sit assignabilis dependentia aliqua unius ab altero, vel inæqualis participatio hujusmodi rationis communis accidentis; ita quod unum accidens sit simpliciter accidens, aliud verò tantummodo secundum quid: Ergo dicendum est quod sola transcendentia [etiam si absque aliis analogiæ causis reperiatur] abundè sufficit, ut ratio aliqua sit analoga, & non univoca. Hinc autem.

Præmittendum secundò, tanquam certum & apud omnes indubitatum, universale comparativè ad 5. prædicabilia dici non posse analogum, seu non univocum ex primo capite, sive ex dependentia unius prædicabilis ab altero in præfata ratione universalis, cum seclusis etiam per intellectum tum genere, tum specie, tum proprio, tum differentia possit adhuc intellectus abstrahere rationem communem albedinis, & illam comparando ad hunc & illum parietem eam denominare accidentaliter universalem, subindeque & sive dependentia ab aliis prædicabilibus, utpote quæ seclusa sunt in tali casu, & perinde se habent ac si non essent.

Item tanquam certum supponimus & indubitatum, quod neque ex secundo capite sive ex inæquali participatione dici potest universale analogum, & non univocum ad præfata prædicabilia. Hæc namque inæqualis participatio quæ analogiam

causat, tunc tantum est, aut esse solet quando ratio ab uno participatur simpliciter, & ab altero secundum quid: Jam sic est quod hoc minimè verificatur de universali seu de universalitate comparativè ad quinque prædicabilia: cum unumquodque prædicabile loquendo per intellectum habeat simpliciter esse sive denominari unum in multis; sicut habet unumquodque simpliciter esse unum quid abstractum & præcisum à multis, & habeat unumquodque simpliciter esse à parte rei unum quid unitate conformitatis, quæ quidem est primum universalitatis fundamentum. Non ergo ex hoc secundo capite, sicut neque ex primo dicimus aut dicturi sumus universale non esse genus sive univocum ad 5. prædicabilia, ut falsò existimant ij ferè omnes qui nobis ibi adversantur, qui quidem non advertentes ad hoc quod supra præmisimus, nimirum quod ex sola transcendentiâ deperditur univocatio atque causatur analogia, etiam seclusâ omni dependentia aut inæquali participatione, multa propterea proferunt & congerunt adversus nostram sententiam, cujus tamen nequidem primam cutem attingunt, cum solum probent quod supponimus, nec quod contendimus impugnent, puta quod quamvis universale non conveniat prædicabilibus cum dependentia, nec etiam inæqualiter participetur, adhuc tamen non sit ad illa univocum, nec consequenter genus, propterea quod adhuc transcendens est & transcendentaliter imbibitum in eorumdem differentiis sive differentialibus modis, ex qua quidem transcendentiâ sufficienter causari analogiam ac deperdi univocationem, prçterquam quod supra ab exemplo, eoque (meo videri) irrefragabili ostensum est, statim in exponendis, ut consuevimus, principiis conclusionis probabo per rationem à priori. Unde.

Præmittendum tertiò & ultimo, hæc tria communiter admitti ab omnibus, subindeque & vim habitura principij respectu conclusionis inferendæ, puta quod *ex sola transcendentia deperditur univocatio*; quod *accidens ut sic non est univocum ad novem genera accidentium*; quod *genus primum prædicabile dicit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus*. Quantum autem ad primum, quod scilicet ex sola transcendentiâ deperditur univocatio, præterquam quod sufficientissime constat ab exemplo supra in præmissis adducto potest ulterius probari à priori, dicendo scilicet quod cum aliqua ratio est transcendens ad aliqua ita ex propria & quidditativa ratione transcendentiæ imbibitur in om-

omnibus quæ in illis sunt, ut de omnibus illis formaliter prædicetur, nullumque illorum possit absque tali ratione intelligi: id enim est rationem aliquam esse transcendentem: Ergo ratio transcendens imbibitur in eo in quo inferiora conveniunt, & in his per quæ inter se specialiter differunt: Jam sic est quod quatenus imbibitur in eo in quo inferiora conveniunt est illis principium conveniendi; & quatenus imbibitur in illis per quæ inter se differunt, est illis principium differendi: Ergo talis ratio communis & transcendens, hoc ipso quod transcendens est, est hoc ipso respectu inferiorum principium conveniendi simul & principium differendi, ac proinde hoc ipso quod transcendens est, nec est in inferioribus omnino eadem, nec omnino diversa; sed partim eadem & partim diversa: atqui ex hoc evidentissimè deperditur univocatio & inducitur analogia: Ergo receptissimum est atque verissimum primum illud effatum, quod ex sola transcendentiâ deperditur univocatio, quamtumvis secludatur quæcumque dependentia, aut inæqualis participatio.

Quantum Verò ad secundum, puta quod accidens in communi non sit genus sive univocum ad novem genera accidentium, ex eo etiam evidenter constat quod novem hæc genera accidentium sunt genera suprema, & à se invicem primo diversa ut communiter admittitur à Philosophis, & exponi solet in libro prædicamentorum, quod quidem minime verificaretur, si esset accidens genus ad illa & in illo convenirent univoce.

Demum Quantum ad tertium, quod scilicet genus quod est primum prædicabile petat ex propria & differentiali ratione prædicari de pluribus specie differentibus, ex eo etiam evidenter patet quod cum genus in eo quod genus est dicat naturam determinabilem & complebilem per differentias, consequenter fit quod ex propria & formalissimâ ratione generis petat & exigat prædicari de pluribus differentibus specie, ita ut absque eo reperiri nequeat ratio generis: in quo quidem ab aliis differt prædicabilibus: Licet enim prædicari pluribus differentibus specie competere possit & aliis à genere, materialiter tamen, non autem tanquam ex propriâ ratione petitum, quia nec differentia, nec proprium, nec accidens petunt ex sua ratione formali prædicari de pluribus differentibus specie, alias id omni differentiæ, proprio, & accidenti competeret, & absque eo ratio differentiæ, proprij & accidentis salvari nullatenus posset, quod utique non ita est, ut per

se patet: Ergo habet genus ex propriâ & differentiali ratione quod petat prædicari de pluribus specie differentibus. His ergo tribus præmissis tanquam certis & indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

CONCLUSIO: *Universale non est genus, sive univocum quid ad 5. Prædicabilia.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, puta quod *ex sola transcendentia deperditur univocatio sive ratio generica.* Sic igitur arguo, ex sola transcendentia deperditur univocatio. Ergo universale non est univocum ad 5. prædicabilia. *Probatur consequentia:* quantumcumque æqualiter participetur universale, adhuc est transcendens ad præfata 5. prædicabilia: Ergo hoc ipso quod ex sola transcendentia deperditur univocatio, universale non est univocum ad prædicabilia. *Consequentia* est evidens, *Probatur antecedens*: transcendens dicitur, quod prædicatur formaliter de formalissimâ rei differentiâ: sed universale ita prædicatur de differentiis prædicabilium: Ergo universale transcendens est ad quinque prædicabilia: *Major* admittitur communiter ab omnibus; & constat ex præmissis. *Probatur minor*: de eo prædicatur universale formaliter, quod est correlativum ad singulare formaliter sumptum, sive sumptum ut formaliter subjicibile: Sed quodvis prædicabile est ex propria differentia correlativum ad singulare formaliter ut subjicibile: Ergo universale prædicatur formaliter de quavis differentiâ prædicabilium. *Major* est certissima: correlativum enim singularis formaliter sumpti non aliud est quam universale formale, sicut correlativum universalis formaliter sumpti non aliud est quam singulare ita formaliter sumptum. *Probatur minor*: alia est subjicibilitas singularis ad totam essentiam, & alia ad partem essentiæ, sicut & alia ad accidens essentiæ: Ergo habere se vel ut tota essentia vel ut pars essentiæ &c. est terminus subjicibilitatis singularis formaliter ut subjicibilis: Sed quodvis prædicabile habet se ex propria differentia vel ut tota essentia, vel ut pars essentiæ &c. Ergo quodvis prædicabile habet ex propria differentia esse terminum subjicibilitatis singularis: Sed talis terminus correlativus est ut conceditur; Ergo quodvis prædicabile est ex propria differentia correlativum ad singulare ut formaliter subjicibile: Ergo universale transcendentaliter imbibitur in differentiis prædicabilium: Ergo hoc ipso quod ex sola trancendentia deperditur univocatio [quod est primum premissum prin-

principium] universale non est hoc ipso univocum ad quinque prædicabilia.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: ***accidens ut sic & in communi genus non est ad novem genera accidentium***; Ergo nec est universale genus ad quinque prædicabilia. *Probatur consequentia*: ratio quæ excludit rationem generis ab accidente ut sic, concludit etiam pro universali: Ergo hoc ipso quod accidens ut sic genus non est ad novem genera accidentium; nec similiter genus est universale ad quinque prædicabilia. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: ideo accidens ut sic non est genus ad novem accidentia, quia horum differentiæ non se habent ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens: Sed etiam differentiæ prædicabilium non se habent ad universale ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens: Ergo ratio quæ excludit ab accideute ut sic rationem generis concludit etiam pro universali. *Major* est indubitata; cum enim de ratione generis sit esse solum in potentia inferiora, & esse quid contrahibile & determinabile, consequenter fit quod ipsæ inferiorum differentiæ debent esse quasi extraneæ naturæ ad genus, eique superaddi & superadvenire, alias essent actu in genere, & genus esset actu in illis subindeque nec esset genus quid potentiale & complebile; nec essent differentiæ quid incompletum; debent ergo differentiæ generis se habere ad genus ut additum quid & ut additamentum superadveniens. Quod etiam colligitur ex D. Thoma de veritate, *quæst. unica art.* 2. ubi hæc habet: ***Enti non potest addi aliquid quasi extranea natura per modum quo differentia additur generi vel accidens subjecto:*** Hæc ille: cum ergo quod accidens ut sic non sit genus univocum, hoc non proveniat ex inæquali participatione aut dependentia unius ab altero ut per se patet, consequenter fit quod ideo tantum non sit genus ad novem accidentia, quia horum differentiæ non se habent ad illud ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens. *Probatur Minor*: ideo accidentium differentiæ non se habent ad accidens ut sic ut additamentum superadveniens, quia quacumque facta præcisione adhuc in iis importatur ratio entis in alio: sed etiam in differentiis prædicabilium importatur ratio universalitatis: Ergo etiam differentiæ prædicabilium non se habent ad universale ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens. *Major* admittitur communiter, & patet in quantitate quæ quidem ex propria differentia dicit

esse extensivum quid, in quo ut patet importatur ratio entis in alio; cum dici non possit extensivum nisi entis in quo est. *Probatur Minor*: in qua sita est difficultas, respicere plura specie vel numero differentia provenit ex propriis prædicabilium differentiis, cum in hoc differant genus & species, ut dictum est supra in præmissis: Sed in tali respicere, sive in tali respectu importatur universalitas, quin immo respectus ille est ipsa universalitatis relatio, ut per se patet: Ergo in differentiis prædicabilium importatur ratio universalitatis: Ergo differentiæ prædicabilium non se habent ad universale ut additum quid, sicut nec differentiæ accidentium ad accidens ut sic: Ergo ratio quæ excludit ab accidente ut sic rationem generis, concludit etiam pro universali: Ergo hoc ipso quod accidens ut sic non est genus sive univocum ad novem genera accidentium, (ut habetur ex secundo præmisso principio) nec est universale genus univocum ad quinque prædicabilia.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, puta quod, *genus primum prædicabile petit ex propriâ differentia prædicari de pluribus specie differentibus*: Unde sic arguo. Primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus; Ergo universale non est univocum ad prædicabilia. *Probatur consequentia*: in tantum universale est univocum in quantum potest præscindi & abstrahi à differentiis prædicabilium: Sed hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, non potest abstrahi ratio universalis à differentia primi prædicabilis: Ergo hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, non est universale univocum ad prædicabilia. *Major* est certissima, univocum enim significat & importat rationem omnino eamdem in univocatis, quod quidem fieri non posset si ab ipsis differentiis non posset abstrahi ut per se patet, *Probatur minor*: ab eo non potest abstrahi ratio universalis, in cujus conceptu involvitur universalitatis relatio: Sed hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, involvitur universalitatis relatio in ipsius differentiæ conceptu: Ergo hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus ut specie differentibus, non potest universalis ratio abstrahi à differentia primi prædicabilis. *Major* patet ex terminis, cum ipsa universalitatis relatio sit ipsum universale

niversale in abstracto, sive ipsa universalitas. *Probatur minor*: in eo involvitur universalitatis relatio, in quo involvitur relationis terminus, cum relatio & correlativus terminus sint simul natura, tempore, & cognitione: Sed hoc ipso quod differentia primi prædicabilis petit prædicari de pluribus specie differentibus, invenitur ibi terminus relationis universalitatis, ly scilicet plura specie differentia: Ergo hoc ipso quod differentia primi prædicabilis petit prædicari de pluribus specie differentibus involvitur universalitatis relatio in talis differentiæ conceptu: Ergo hoc ipso quod primum prędicabile ex propria petit differentia prædicari de pluribus specie differentibus, non potest ab ejus differentia abstrahi ipsa universalis ratio: Ergo hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, (quod est tertium præmissum principium,) non est hoc ipso universale univocum ad prædicabilia.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Quod æqualiter & immediatè participatur ab inferioribus, non potest non esse univocum; Sed universale æqualiter & immediatè participatur à quinque prædicabilibus: Ergo est universale quid univocum ad quinque prædicabilia. *Minor* conceditur, eaque evidenter ostensa fuit in præmissis. *Probatur Major*: quando negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis; Sed causa cur aliquid non sit univocum est, quia non participatur æqualiter & immediatè, ut patet in ente respectu substantiæ & accidentis, vel Dei & creaturarum: Ergo debet è contra aliquid esse univocum hoc ipso quod æqualiter & immediatè participatur.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Respondeo Negando absolutè majorem, cujus falsitas patet evidenter in exemplo de accidente supra exposito, quod quidem sumptum in communi æqualiter & immediatè participatur ab inferioribus puta à tempore & ubi; & nihilominus conceditur communiter ab omnibus Philosophis non esse accidens quid univocum ad talia accidentia, nec habere ad illa rationem generis; sed esse quid analogum. Unde ad probationem distinguo majorem: quando negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis, si sit negatio totalis & adæquata causa negationis. Concedo: sin minus, Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. In hoc ergo decipiunt & decipiuntur adversarij, quod putent tota-

lem

lem & adæquatam causam cur aliquid non sit univocum sed analogum, esse, quia non æqualiter & immediatè participatur, sed inæqualiter & dependenter, ex quo deinde inferunt [& quidem, meo judicio, evidenter] esse debere universale quid univocum ad prædicabilia; in hoc, inquam, decipiunt & decipiuntur, cum datâ & concessâ æquali participatione, & omni seclusâ dependentiâ adhuc stet, quod ratio illa communis, de cujus univocatione est sermo, possit transcendentaliter imbibi in inferioribus, ut patet in accidente ut sic & in communi sumpto comparativè ad novem genera accidentium; subindeque & adhuc stet quod sit in eis principium conveniendi, inquantum imbibitur transcendentaliter in his per quæ conveniunt, & sit etiam in eis principium differendi, inquantum ita similiter imbibitur in iis per quæ differunt, ac proinde & adhuc stet quod non sit in inferioribus omnino eadem, sed partim eadem & partim diversa, sicque quod sit analoga & non univoca; quantumvis data sit & concessa æqualis & immediata illius participatio ab inferioribus.

Instabis 1. Hoc ipso quod differentiæ prædicabilium non ingrediuntur conceptum universalis, est hoc ipso universale quid univocum; Sed differentiæ prædicabilium non ingrediuntur conceptum universalis, hoc ipso quod istud æqualiter participatur: Ergo hoc ipso quod æqualiter participatur, est hoc ipso univocum. *Major* est certissima, cum tunc conceptum habeat simpliciter eumdem & simpliciter unum, nec nisi in potentiâ contineat differentias inferiorum, in quo consistit univocatio rationis alicujus communis. *Probatur Minor*: hoc ipso quod universale habet participari æqualiter, non ingreditur inæqualitas ejus conceptum; Sed si differentiæ ingrederentur ejus conceptum, ingrederetur & inæqualitas, cum differentiæ sint inæquales: Ergo hoc ipso quod universale participatur æqualiter, differentiæ prædicabilium non ingrediuntur ejus conceptum.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas evidenter patet in exemplo de accidente, quod quidem conceditur æqualiter participari à novem generibus accidentium, & nihilominus horum differentiæ ejus ingrediuntur conceptum, cum ei non superadveniant ut additum quid & quasi extraneæ naturæ, sed importent etiam ut differentiæ sunt rationem entis in alio, ut dictum fuit in secunda probatione conclusionis, licet minus expresse & implicitè. Ratio autem hujus minoris negatæ est, quia transcendentia, quæ quidem reperitur & reperiri potest, ut

ut dictum fuit supra, non obstante æquali participatione, hæc inquam transcendentia non solum facit rationem transcendentem includi in modis seu differentiis inferiorum, sed facit etiam quod ratio transcendens non possit ita abstrahi ab inferioribus, quin actu (licet implicitè & inconfuso) includat differentias seu modos inferiores; & hoc ideo est quia tales differentiæ & modi, cum non sint extranei à ratione transcendenti; sed aliquid de quo illa formalissimè prædicatur; & cum contrahatur per tales differentias vel modos, non tanquam per aliquid quod se habeat propriè ut additamentum illius, sed solum tanquam per aliquid ab ipsa ratione transcendenti penes explicitum distinctum; propterea fit quod dum volumus talem rationem transcendentem abstrahere, adhuc in illâ sic abstracta non possint non includi actu (licet non exprimantur nec explicentur) modi inferiorum; sicque quamtumvis æqualiter participetur universale, adhuc stat & stare potest quod differentiæ inferiorum sive prædicabilium ejus ingrediantur conceptum. Unde ad probationem, distinguo majorem. Hoc ipso quod universale participatur æqualiter, non ingreditur inæqualitas ejus conceptum, explicitum, concedo; implicitum, Nego: licet enim ratio accidentis ut sic æqualiter participetur ab accidentibus inferioribus, adhuc tamen cum illo stat quod inæquales eorum differentiæ ejus ingrediantur conceptum, non quidem explicitum, sed implicitum, vel distinguo majorem sic: hoc ipso quod universale participatur æqualiter, non ingreditur inæqualitas ejus conceptum: si sermo sit de inæqualitate quæ opposita sit æquali ejus participationi, concedo; sin minus Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est quod ly participari æqualiter, de quo est sermo, consistit in hoc, quod universale sive ratio quæ dicitur participari æqualiter, sit simpliciter in utroque participante non autem simpliciter in uno, & solum secundum quid in altero: jam sic est, quod inæqualitas differentiarum quæ ejus ingreditur aut ingrederetur conceptum, non propterea impedit, quin talis ratio sit adhuc simpliciter in utroque, cum nulla ex differentiis excludat simpliciter loquendo rationem essendi in pluribus, quæ quidem est ratio participata: Ergo ex eo quod differentiæ prædicabilium ingrediantur conceptum universalis, non propterea sequitur quod talis inæqualitas hunc ingrediatur conceptum, quæ ejus opponatur æquali participationi.

Instabis 2. Ideo ergo universale non est univocum, quia quantum-

accidentis seu entis in alio quæ ad earum complementum requiritur; ex quo ulterius fit quod sit accidens ut sic quid transcendens ad novem genera accidentium, & ad eorumdem differentias, licet supponat accidens ut sic pro ente completo: ita similiter philosophandum est in præsenti casu & dicendum quod quamvis universale supponat pro ente completo, adhuc tamen transcendens est & ut transcendens formaliter prædicatur de differentiis prædicabilium, quia scilicet hujusmodi differentiæ, quamvis quoad modum significandi sint quid incompletum, inquantum non exprimunt nec explicant in expressa sui significatione relationem seu relativam unitatem universalitatis, sunt tamen revera quid completum, cum revera illam importent implicitè, nec possit talis universalitatis relatio ita ab illis abstrahi, quin adhuc maneat in illis inclusa & imbibita, ut [meo judicio] demonstratum manet ex dictis supra in decursu quæstionis, præsertim in probandâ conclusione.

Instabis 4. Ex concessis universale non exprimit differentias prædicabilium, nec in illis exprimitur: ergo debet universale esse genus ad prædicabila. *Probatur consequentia:* hoc ipso quod universale est in potentia seu potentiale quid ad differentias prædicabilium, est hoc ipso genus ad illa, cum tunc verè faciat cum illis compositionem, quæ alia esse non potest quam generis & differentiæ: Sed hoc ipso quod differentias non exprimit, nec in illis exprimitur, est ad illas quid potentiale, saltem in conceptu suo expresso: Ergo hoc ipso quod universale non exprimit prædicabilium differentias, est hoc ipso genus ad illa.

Respondeo negando consequentiam, ob rationem in sequentibus afferendam. Unde ad probationem nego minorem; pro quo notandum, & est quidem seriò & diligenter, quod ad hoc ut aliquid sit in potentia seu potentiale quid ad aliud, non sufficit quod illud non exprimat in conceptu suo expresso & explicito, sive, quod in idem redit, ex eo quod unum quid aliud non exprimit, non propterea sequitur: Ergo est in potentia ad illud, quod quidem colligo ego & ex ratione, & ab exemplo, eoque duplici. Primo quidem hoc colligo ex ratione, ex eo scilicet quod potentia seu potentiale, cum faciat compositionem cum eo, ad quod comparatur ut potentiale, comparatur consequenter ad illud, ut ad compartem; cumque de ratione partis sit, non tantum quod non sit expresse & explicitè sua compars, sed nec quod simpliciter sit illa, ut per se patet; cum pars & compars simpliciter loquendo sint aliud

& aliud, consequenter fit, quod hoc ipso quod aliquid est aliud implicitè, nec distinguitur ab eo, nisi per hoc quod illud non exprimit nec explicat, non possit ad illud comparare ut potentia, seu potentiale quid; cum ad illud comparari non possit tanquam pars ad compartem; ac proinde quod ad illud comparari non possit tanquam genus ad differentiam. Hoc autem potest exemplo confirmari, eoque duplici. Primum est de attributo divinæ justitiæ, quod quidem non comparatur haud dubiè ad perfectionem misericordiæ, ut quid potentiale, cum sit actus purus; & nihilominus illam non exprimit in suo conceptu: Hoc etiam patet in exemplo de definito, quod quidem non est potentiale ad id quod importatur in definitione; homo namque non est solum in potentia animal rationale; & nihilominus non habet definitum exprimere & explicare illud, quod in definitione importatur, alias definitum non esset in conceptu suo, sed definitio: Ergo verum quod prius.

Quaenam fuerit mens D. Thomæ circa propositam difficultatem.

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè nostræ sententiæ, adeò ut non possit ex doctrina S. Doctoris universale rationem habere generis, sive univoci ad quinque prædicabilia. Porrò id colligo ex quadam doctrina & quidem multùm suo more profundâ, quam affert sanctus Doctor *de veritate quaest. unica art. 2. in corpore*, ubi hæc habet: *enti non potest addi aliquid, quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi, vel accidens subjecto; quia qualibet natura essentialiter est ens, unde etiam probat Philosophus in 3 Metaphysicorum, quod Ens non potest esse genus; sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra Ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur.* Hæc D. Thomas; ex quibus duo conficio argumenta ad intentum.

Primò quidem ideo ex D. Thoma Ens non est genus ad inferiora, quia horum differentiæ Enti superaddi non possunt quasi extranea natura: Jam sic est, quod nec differentiæ prædicabilium superaddi possunt universali sive universalitati, quasi extranea natura, cum respicere plura, quod competit universali ex conceptu universalis, & respicere plura specie differentia, quod quidem competit generi ex propria differentia, sive ex propria ratione generis, ut supra demonstratum est, non se habeant ut extranea, & extranea natura, ut pa-

asserat fieri universale per operationem intellectus conferentem seu comparantem naturam ad sua inferiora, & hæc testimonia intelligi non possint nisi de universali formaliter sumpto & Logico, cum tamen alia testimonia quæ in oppositum adduci solent possint explicari de universali materialiter sumpto, seu de natura in tali statu posita, quod per actum intellectus immediatè sequentem accipiat ipsam intentionem universalitatis, propterea fit quod talia opposita testimonia in eo sensu intelligenda sunt & explicanda, ne dicamus D. Thomam esse sibi contrarium.

QUÆSTIO V.

Utrum universale sit Genus, sive univocum ad 5. prædicabilia.

PRæmittendum primò, Ex triplici capite fieri posse, quod ratio aliqua sit analoga, & deperdat univocationem, subindeque & rationem generis ad ea ad quæ comparatur. Primo quidem ex dependencia unius ab alio in præfata seu participata ratione, si nimirum talis sit dependentia, quod dependens non adæquet illud à quo dependet in tali ratione, tunc enim nomen significans rationem illam, non significat illam ut omnino eamdem, ut per se patet, nec etiam ut omnino diversam, cum in ea communicent extrema; & ideo D. Th. 1 *p. q. 13 art. 5.* propter talem dependentiam creaturarum à Deo analogiam colligit inter Deum & creaturas.

Secundò. Provenire potest analogia ac deperdi univocatio ex inæquali participatione rationis alicujus communis, etiam si absque dependentia unius participantis ab altero reperiatur; modo tamen inæqualitas sit in ipsa ratione communi participata, ut esse solet quando in uno participatur simpliciter; & in alio secundum quid, non tamen si sit præfata inæqualitas in ipsis potius rationibus particularibus sive differentialibus participantium, qualis est inæqualitas animalis in equo & homine. Dixi autem [etiamsi absque dependentia reperiatur hæc inæqualis participatio; Quod quidem patet in exemplo de speciebus intelligibilibus, quæ non sunt acceptæ à rebus, ac proinde ab illis non dependentes, ut sunt species angelicæ, & de earumdem objectis, verbi gratia de specie lapidis quam habet Angelus, & de ipso lapide, quæ quidem duo in ratione lapidis.

&

& ut hoc nomine *lapis*, significantur, analogicè conveniunt, & non univocè, ex eo scilicet quod ratio lapidis in lapide reperitur simpliciter, simpliciterque dicitur lapis; & in specie solum reperitur secundum quid, nec nisi in esse intelligibili & intentionaliter dicitur lapis; nec tamen in ratione significata reperitur inter hæc duo dependentia, ut per se patet.

Tertiò denique provenire potest ac deperdi univocatio ex sola transcendentia, hoc est etiam si inter ea ad quæ ratio aliqua comparatur ut transcendens, non sit unius ab altero dependentiæ, nec inæqualis sit inter ea participatio hujusmodi rationis communis; sed omnia illa simpliciter participent hujusmodi rationem communem, sola tamen transcendentia sufficit, ut ratio sic transcendens analogicè dicatur de illis & non univocè. Quod autem res ita sit, sufficienter colligitur ab exemplo accidentis sumpti ut sic & in communi, quod quidem cum non sit genus ad novem accidentium prædicamenta, alias illa non essent suprema genera, & inter se primo diversa, est consequenter ad illa novem analogum & non univocum: jam sic est quod talis analogiæ nulla potest esse causa, nisi præfata transcendentia; cum inter accidentia in ratione communis accidentis non sit assignabilis dependentia aliqua unius ab altero, vel inæqualis participatio hujusmodi rationis communis accidentis; ita quod unum accidens sit simpliciter accidens, aliud verò tantummodo secundum quid: Ergo dicendum est quod sola transcendentia [etiam si absque aliis analogiæ causis reperiatur] abundè sufficit, ut ratio aliqua sit analoga, & non univoca. Hinc autem.

Præmittendum secundò, tanquam certum & apud omnes indubitatum, universale comparativè ad 5. prædicabilia dici non posse analogum, seu non univocum ex primo capite, sive ex dependentia unius prædicabilis ab altero in præfata ratione universalis, cum seclusis etiam per intellectum tum genere, tum specie, tum proprio, tum differentia possit adhuc intellectus abstrahere rationem communem albedinis, & illam comparando ad hunc & illum parietem eam denominare accidentaliter universalem, subindeque & sive dependentia ab aliis prædicabilibus, utpote quæ seclusa sunt in tali casu, & perinde se habent ac si non essent.

Item tanquam certum supponimus & indubitatum, quod neque ex secundo capite sive ex inæquali participatione dici potest universale analogum, & non univocum ad præfata prædicabilia. Hæc namque inæqualis participatio quæ analogiam

 causat

causat, tunc tantum est, aut esse solet quando ratio ab uno participatur simpliciter, & ab altero secundum quid: Jam sic est quod hoc minimè verificatur de universali seu de universalitate comparativè ad quinque prædicabilia: cum unumquodque prædicabile loquendo per intellectum habeat simpliciter esse sive denominari unum in multis; sicut habet unumquodque simpliciter esse unum quid abstractum & præcisum a multis, & habeat unumquodque simpliciter esse à parte rei unum quid unitate conformitatis, quæ quidem est primum universalitatis fundamentum. Non ergo ex hoc secundo capite, sicut neque ex primo dicimus aut dicturi sumus universale non esse genus sive univocum ad 5. prædicabilia, ut falso existimant ij ferè omnes qui nobis ibi adversantur, qui quidem non advertentes ad hoc quod supra præmisimus, nimirum quod ex sola transcendentiâ deperditur univocatio atque causatur analogiâ, etiam seclusâ omni dependentia aut inæquali participatione, multa propterea proferunt & congerunt adversus nostram sententiam, cujus tamen nequidem primam cutem attingunt, cum solum probent quod supponimus, nec quod contendimus impugnent, puta quod quamvis universale non conveniat prædicabilibus cum dependentia, nec etiam inæqualiter participetur, adhuc tamen non fit ad illa univocum, nec consequenter genus, propterea quod adhuc transcendens est & transcendentaliter imbibitum in eorumdem differentiis sive differentialibus modis, ex qua quidem transcendentiâ sufficienter causari analogiam ac deperdi univocationem, præterquam quod supra ab exemplo, eoque (meo videri) irrefragabili ostensum est, statim in exponendis, ut consuevimus, principiis conclusionis probabo per rationem à priori. Unde.

Præmittendum tertiò & ultimo, hæc tria communiter admitti ab omnibus, subindeque & vim habitura principij respectu conclusionis inferendæ, puta quod *ex sola transcendentia deperditur univocatio*; quod *accidens ut sic non est univocum ad novem genera accidentium*; quod *genus primum prædicabile dicit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus*. Quantum autem ad primum, quod scilicet ex sola transcendentiâ deperditur univocatio, præterquam quod sufficientissime constat ab exemplo supra in præmissis adducto potest ulterius probari à priori, dicendo scilicet quod cum aliqua ratio est transcendens ad aliqua ita ex propria & quidditativa ratione transcendentiæ imbibitur in om-

omnibus quæ in illis sunt, ut de omnibus illis formaliter prædicetur, nullumque illorum possit absque tali ratione intelligi: id enim est rationem aliquam esse transcendentem: Ergo ratio transcendens imbibitur in eo in quo inferiora conveniunt, & in his per quæ inter se specialiter differunt: Jam sic est quod quatenus imbibitur in eo in quo inferiora conveniunt est illis principium conveniendi; & quatenus imbibitur in illis per quæ inter se differunt, est illis principium differendi: Ergo talis ratio communis & transcendens, hoc ipso quod transcendens est, est hoc ipso respectu inferiorum principium conveniendi simul & principium differendi, ac proinde hoc ipso quod transcendens est, nec est in inferioribus omnino eadem, nec omnino diversa; sed partim eadem & partim diversa: atqui ex hoc evidentissimè deperditur univocatio & inducitur analogia: Ergo receptissimum est atque verissimum primum illud effatum, quod ex sola transcendentiâ deperditur univocatio, quamtumvis secludatur quæcumque dependentia, aut inæqualis participatio.

Quantum Verò ad secundum, puta quod accidens in communi non sit genus sive univocum ad novem genera accidentium, ex eo etiam evidenter constat quod novem hæc genera accidentium sunt genera suprema, & à se invicem primo diversa ut communiter admittitur à Philosophis, & exponi solet in libro prædicamentorum, quod quidem minime verificaretur, si esset accidens genus ad illa & in illo convenirent univoce.

Demum Quantum ad tertium, quod scilicet genus quod est primum prædicabile petat ex propria & differentiali ratione prædicari de pluribus specie differentibus, ex eo etiam evidenter patet quod cum genus in eo quod genus est dicat naturam determinabilem & complebilem per differentias, consequenter fit quod ex propria & formalissimâ ratione generis petat & exigat prædicari de pluribus differentibus specie, ita ut absque eo reperiri nequeat ratio generis: in quo quidem ab aliis differt prædicabilibus: Licet enim prædicari pluribus differentibus specie competere possit & aliis à genere, materialiter tamen, non autem tanquam ex propriâ ratione petitum, quia nec differentia, nec proprium, nec accidens petunt ex sua ratione formali prædicari de pluribus differentibus specie, alias id omni differentiæ, proprio, & accidenti competeret, & absque eo ratio differentię, proprij & accidentis salvari nullatenus posset, quod utique non ita est, ut per

se patet: Ergo habet genus ex propriâ & differentiali ratione quod petat prædicari de pluribus specie differentibus. His ergo tribus præmissis tanquam certis & indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

CONCLUSIO: *Universale non est genus, sive univocum quid ad 5. Prædicabilia.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, puta quod *ex sola transcendentia deperditur univocatio sive ratio generica.* Sic igitur arguo, ex sola transcendentia deperditur univocatio. Ergo universale non est univocum ad 5. prædicabilia. *Probatur consequentia:* quantumcumque æqualiter participetur universale, adhuc est transcendens ad præfata 5. prædicabilia: Ergo hoc ipso quod ex sola transcendentia deperditur univocatio, universale non est univocum ad prædicabilia. *Consequentia* est evidens, *Probatur antecedens*: transcendens dicitur, quod prædicatur formaliter de formalissimâ rei differentiâ: sed universale ita prædicatur de differentiis prædicabilium: Ergo universale transcendens est ad quinque prædicabilia: *Major* admittitur communiter ab omnibus; & constat ex præmissis. *Probatur minor*: de eo prædicatur universale formaliter, quod est correlativum ad singulare formaliter sumptum, sive sumptum ut formaliter subjicibile: Sed quodvis prædicabile est ex propria differentia correlativum ad singulare formaliter ut subjicibile: Ergo universale prædicatur formaliter de quavis differentiâ prædicabilium. *Major* est certissima: correlativum enim singularis formaliter sumpti non aliud est quam universale formale, sicut correlativum universalis formaliter sumpti non aliud est quam singulare ita formaliter sumptum. *Probatur minor:* alia est subjicibilitas singularis ad totam essentiam, & alia ad partem essentiæ, sicut & alia ad accidens essentiæ: Ergo habere se vel ut tota essentia vel ut pars essentiæ &c. est terminus subjicibilitatis singularis formaliter ut subjicibilis: Sed quodvis prædicabile habet se ex propria differentia vel ut tota essentia, vel ut pars essentiæ &c. Ergo quodvis prædicabile habet ex propria differentia esse terminum subjicibilitatis singularis: Sed talis terminus correlativus est ut conceditur; Ergo quodvis prædicabile est ex propria differentia correlativum ad singulare ut formaliter subjicibile: Ergo universale transcendentaliter imbibitur in differentiis prædicabilium: Ergo hoc ipso quod ex sola trancendentia deperditur univocatio [quod est primum præmissum prin-

principium] universale non est hoc ipso univocum ad quinque prædicabilia.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *accidens ut sic & in communi genus non est ad novem genera accidentium*; Ergo nec est universale genus ad quinque prædicabilia. *Probatur consequentia*: ratio quæ excludit rationem generis ab accidente ut sic, concludit etiam pro universali: Ergo hoc ipso quod accidens ut sic genus non est ad novem genera accidentium; nec similiter genus est universale ad quinque prædicabilia. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: ideo accidens ut sic non est genus ad novem accidentia, quia horum differentiæ non se habent ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens: Sed etiam differentiæ prædicabilium non se habent ad universale ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens: Ergo ratio quæ excludit ab accidente ut sic rationem generis concludit etiam pro universali. *Major* est indubitata; cum enim de ratione generis sit esse solum in potentia inferiora, & esse quid contrahibile & determinabile, consequenter fit quod ipsæ inferiorum differentiæ debent esse quasi extraneæ naturæ ad genus, eique superaddi & superadvenire, alias essent actu in genere, & genus esset actu in illis subindeque nec esset genus quid potentiale & complebile; nec essent differentiæ quid incompletum: debent ergo differentiæ generis se habere ad genus ut additum quid & ut additamentum superadveniens. Quod etiam colligitur ex D. Thoma de veritate, *quæst. unica art.* 2. ubi hæc habet: *Enti non potest addi aliquid quasi extranea natura per modum quo differentia addit ur generi vel accidens subjecto*: Hæc ille: cum ergo quod accidens ut sic non sit genus univocum, hoc non proveniat ex inæquali participatione aut dependentia unius ab altero ut per se patet, consequenter fit quod ideo tantum non sit genus ad novem accidentia, quia horum differentiæ non se habent ad illud ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens. *Probatur Minor*; ideo accidentium differentiæ non se habent ad accidens ut sic ut additamentum superadveniens, quia quacumque facta præcisione adhuc in iis importatur ratio entis in alio: sed etiam in differentiis prædicabilium importatur ratio universalitatis: Ergo etiam differentiæ prædicabilium non se habent ad universale ut additum quid, sive ut additamentum superadveniens. *Major* admittitur communiter, & patet in quantitate quæ quidem ex propria differentia dicit

esse extensivum quid, in quo ut patet importatur ratio entis in alio; cum dici non possit extensivum nisi entis in quo est. *Probatur Minor*: in qua sita est difficultas, respicere plura specie vel numero differentia provenit ex propriis prædicabilium differentiis, cum in hoc differant genus & species, ut dictum est supra in præmissis: Sed in tali respicere, sive in tali respectu importatur universalitas, quin immo respectus ille est ipsa universalitatis relatio, ut per se patet: Ergo in differentiis prædicabilium importatur ratio universalitatis: Ergo differentiæ prædicabilium non se habent ad universale ut additum quid, sicut nec differentiæ accidentium ad accidens ut sic: Ergo ratio quæ excludit ab accidente ut sic rationem generis, concludit etiam pro universali: Ergo hoc ipso quod accidens ut sic non est genus sive univocum ad novem genera accidentium, (ut habetur ex secundo præmisso principio) nec est universale genus univocum ad quinque prædicabilia.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, puta quod, *genus primum prædicabile petit ex propriâ differentiâ prædicari de pluribus specie differentibus*: Unde sic arguo. Primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus; Ergo universale non est univocum ad prædicabilia. *Probatur consequentia*: in tantum universale est univocum in quantum potest præscindi & abstrahi à differentiis prædicabilium: Sed hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, non potest abstrahi ratio universalis à differentia primi prædicabilis: Ergo hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, non est universale univocum ad prædicabilia. *Major* est certissima, univocum enim significat & importat rationem omnino eamdem in univocatis, quod quidem fieri non posset si ab ipsis differentiis non posset abstrahi ut per se patet. *Probatur minor*: ab eo non potest abstrahi ratio universalis, in cujus conceptu involvitur universalitatis relatio: Sed hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, involvitur universalitatis relatio in ipsius differentiæ conceptu: Ergo hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus ut specie differentibus, non potest universalis ratio abstrahi à differentia primi prædicabilis. *Major* patet ex terminis, cum ipsa universalitatis relatio sit ipsum universale

niversale in abstracto, sive ipsa universalitas. *Probatur minor*: in eo involvitur universalitatis relatio, in quo involvitur relationis terminus, cum relatio & correlativus terminus sint simul natura, tempore, & cognitione: Sed hoc ipso quod differentia primi prædicabilis petit prædicari de pluribus specie differentibus, invenitur ibi terminus relationis universalitatis, ly scilicet plura specie differentia: Ergo hoc ipso quod differentia primi prædicabilis petit prædicari de pluribus specie differentibus involvitur universalitatis relatio in talis differentiæ conceptu: Ergo hoc ipso quod primum prędicabile ex propria petit differentia prædicari de pluribus specie differentibus, non potest ab ejus differentia abstrahi ipsa universalis ratio: Ergo hoc ipso quod primum prædicabile petit ex propria differentia prædicari de pluribus specie differentibus, (quod est tertium præmissum principium,) non est hoc ipso universale univocum ad prædicabilia.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Quod æqualiter & immediatè participatur ab inferioribus, non potest non esse univocum; Sed universale æqualiter & immediatè participatur à quinque prædicabilibus: Ergo est universale quid univocum ad quinque prædicabilia. *Minor* conceditur, eaque evidenter ostensa fuit in præmissis. *Probatur Major*: quando negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis; Sed causa cur aliquid non sit univocum est, quia non participatur æqualiter & immediatè, ut patet in ente respectu substantiæ & accidentis, vel Dei & creaturarum: Ergo debet è contra aliquid esse univocum hoc ipso quod æqualiter & immediatè participatur.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Respondeo Negando absolutè majorem, cujus falsitas patet evidenter in exemplo de accidente supra exposito, quod quidem sumptum in communi æqualiter & immediatè participatur ab inferioribus puta à tempore & ubi; & nihilominus conceditur communiter ab omnibus Philosophis non esse accidens quid univocum ad talia accidentia, nec habere ad illa rationem generis; sed esse quid analogum. Unde ad probationem distinguo majorem: quando negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis, si sit negatio totalis & adæquata causa negationis. Concedo: sin minus, Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. In hoc ergo decipiunt & decipiuntur adversarij, quod putent totalem

lem & adæquatam causam cur aliquid non sit univocum sed analogum, esse, quia non æqualiter & immediatè participatur, sed inæqualiter & dependenter, ex quo deinde inferunt [& quidem, meo judicio, evidenter] esse debere universale quid univocum ad prædicabilia; in hoc, inquam, decipiunt & decipiuntur, cum datâ & concessâ æquali participatione,& omni seclusâ dependentiâ adhuc stet, quod ratio illa communis, de cujus univocatione est sermo, possit transcendentaliter imbibi in inferioribus, ut patet in accidente ut sic & in communi sumpto comparativè ad novem genera accidentium; subindeque & adhuc stet quod sit in eis principium conveniendi, inquantum imbibitur transcendentaliter in his per quæ conveniunt, & sit etiam in eis principium differendi, inquantum ita similiter imbibitur in iis per quæ differunt, ac proinde & adhuc stet quod non sit in inferioribus omnino eadem, sed partim eadem & partim diversa, sicque quod sit analoga & non univoca; quantumvis data sit & concessa æqualis & immediata illius participatio ab inferioribus.

Instabis 1. Hoc ipso quod differentiæ prædicabilium non ingrediuntur conceptum universalis, est hoc ipso universale quid univocum; Sed differentiæ prædicabilium non ingrediuntur conceptum universalis, hoc ipso quod istud æqualiter participatur: Ergo hoc ipso quod æqualiter participatur, est hoc ipso univocum. *Major* est certissima, cum tunc conceptum habeat simpliciter eumdem & simpliciter unum, nec nisi in potentiâ contineat differentias inferiorum, in quo consistit univocatio rationis alicujus communis. *Probatur Minor*: hoc ipso quod universale habet participari æqualiter, non ingreditur inæqualitas ejus conceptum; Sed si differentiæ ingrederentur ejus conceptum, ingrederetur & inæqualitas, cum differentiæ sint inæquales: Ergo hoc ipso quod universale participatur æqualiter, differentiæ prædicabilium non ingrediuntur ejus conceptum.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas evidenter patet in exemplo de accidente, quod quidem conceditur æqualiter participari à novem generibus accidentium, & nihilominus horum differentiæ ejus ingrediuntur conceptum, cum ei non superadveniant ut additum quid & quasi extraneæ naturæ, sed importent etiam ut differentiæ sunt rationem entis in alio, ut dictum fuit in secunda probatione conclusionis, licet minus expressè & implicitè. Ratio autem hujus minoris negatæ est, quia transcendentia, quæ quidem reperitur & reperiri potest,

ut

ut dictum fuit supra, non obstante æquali participatione, hæc inquam transcendentia non solum facit rationem transcendentem includi in modis seu differentiis inferiorum, sed facit etiam quod ratio transcendens non possit ita abstrahi ab inferioribus, quin actu (licet implicitè & inconfuso) includat differentias seu modos inferiores; & hoc ideo est quia tales differentiæ & modi, cum non sint extranei à ratione transcendenti; sed aliquid de quo illa formalissimè prædicatur; & cum contrahatur per tales differentias vel modos, non tanquam per aliquid quod se habeat propriè ut additamentum illius, sed solum tanquam per aliquid ab ipsa ratione transcendenti penes explicitum distinctum; propterea fit quod dum volumus talem rationem transcendentem abstrahere, adhuc in illâ sic abstracta non possint non includi actu (licet non exprimantur nec explicentur) modi inferiorum; sicque quantumvis æqualiter participetur universale, adhuc stat & stare potest quod differentiæ inferiorum sive prædicabilium ejus ingrediantur conceptum. Unde ad probationem, distinguo majorem. Hoc ipso quod universale participatur æqualiter, non ingreditur inæqualitas ejus conceptum, explicitum, concedo; implicitum, Nego: licet enim ratio accidentis ut sic æqualiter participetur ab accidentibus inferioribus, adhuc tamen cum illo stat quod inæquales eorum differentiæ ejus ingrediantur conceptum, non quidem explicitum, sed implicitum, vel distinguo majorem sic: hoc ipso quod universale participatur æqualiter, non ingreditur inæqualitas ejus conceptum: si sermo sit de inæqualitate quæ opposita sit æquali ejus participationi, concedo; sin minus Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est quod ly participari æqualiter, de quo est sermo, consistit in hoc, quod universale sive ratio quæ dicitur participari æqualiter, sit simpliciter in utroque participante non autem simpliciter in uno, & solum secundum quid in altero: jam sic est, quod inæqualitas differentiarum quæ ejus ingreditur aut ingrederetur conceptum, non propterea impedit, quin talis ratio sit adhuc simpliciter in utroque, cum nulla ex differentiis excludat simpliciter loquendo rationem essendi in pluribus, quæ quidem est ratio participata: Ergo ex eo quod differentiæ prædicabilium ingrediantur conceptum universalis, non propterea sequitur quod talis inæqualitas hunc ingrediatur conceptum, quæ ejus opponatur æquali participationi.

Instabis 2. Ideo ergo universale non est univocum, quia quantum-

quantumvis æqualiter participetur, adhuc transcendens est: sed transcendentia cum æquali participatione non excludit univocationem: Ergo falsum est non esse universale quid univocum. *Probatur Minor:* ratio entis realis transcendens est ad quæcumque compareturs, sive æqualiter, sive inæqualiter participantia: Sed ratio entis realis non excludit univocationem respectu quocumque: Ergo sola transcendentia, sive transcendentia cum æquali participatione non excludit univocationem. *Major* conceditur. *Probatur Minor:* ratio entis realis comparari potest ad duo individua ejusdem speciei, v.g. ad Petrum & Paulum: Sed ad duo individua ejusdem speciei univoca est ratio entis realis, cum ad ea univoca sit ratio specifica in qua includitur ratio entis: Ergo ratio entis realis non excludit univocationem respectu quorumcumque.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas abundè colligitur ex dictis supra. Ad probationem vero concessa majori si nimirum sermo sit de ratione entis realis, ut abstrahit ab ente completo & incompleto; hæc enim sola esse potest transcendens, cum hæc sola reperiatur imbibita in omnibus formalitatibus rei, sive completæ sint, sive incompletæ ut differentiæ. Concessa ergo majori in tali sensu nego minorem intellectam de ratione entis realis in eodem sensu, & ad ultimum nego similiter minorem. Unde dico quod ratio entis realis ut abstrahit à completo & incompleto est analoga ad quascumque res etiam ejusdem prædicamenti; cujus ratio est quia cum non sint aliquæ duæ res quantumvis ejusdem prædicamenti, & speciei athomæ, quæ in aliquo non conveniant, & per proprias differentias saltem individuales non differant, consequenter fit quod ratio entis intrinsecè transcendens & transcendentaliter imbibita in eo, in quo conveniunt, & in his in quibus differunt, sit per consequens eis principium conveniendi & principium differendi, ac proinde non sit omnino eadem nec omnino diversa, sed partim diversa & partim eadem; nec possit talis ratio ab illis abstrahi, quin eorum diversas differentias, licet non explicet, actu tamen includat: sicque quod sit illis analoga hoc ipso quod est ita transcendens. Neque obest quod ponitur in argumento in probationem minoris negatæ, puta quod ratio specifica in qua involvitur ratio entis est univoca ad individua ejusdem speciei: non inquam obest, siquidem ratio illa entis quæ involvitur in ratione specifica est ratio entis completi, quæ quidem ratio non est transcendens, cum non prædicetur formaliter de quavis formalitate

tate rei, ut de differentiis quæ ut tales sunt, sunt entia incompleta; sicque illud non obest quin ratio entis quæ transcendens est, sit analoga respectu quorumcumque, ut probat ratio ibi adducta.

Instabis 3. Non ergo alia de causa universale univocationem excludit respectu prædicabilium, nisi quia transcendens est ad illa; Sed falsum est transcendens esse ad prædicabilia: Ergo & falsum est quod universale non sit univocum. *Probatur Minor:* universale de quo est sermo supponit pro ente completo: Sed si esset transcendens, non supponeret pro ente completo: Ergo non est universale transcendens ad prædicabilia. *Major* est certissima; cum supponat pro ente definibili, & pro quadam specie aut quasi specie entis rationis, sive intentionis rationis. *Probatur Minor:* quod supponit pro ente completo prædicari non potest formaliter de ente incompleto, ut patet ex terminis: Sed si universale transcendens esset ad prædicabilia, prædicaretur formaliter de ente incompleto, cum in hoc casu prædicaretur de eorumdem differentiis, quæ quidem in quantum tales, sunt quid incompletum: Ergo si universale esset transcendens, non supponeret pro ente completo.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas abundè constat ex decursu quæstionis. Ad probationem vero nego similiter minorem, ob rationem statim afferendam. Unde ad ultimum distinguo majorem sic: quod supponit pro ente completo prædicari non potest formaliter de ente incompleto, quod sit revera & de facto incompletum quid, Concedo: prædicari non potest de ente incompleto, quod sit solum quoad modum significandi quid incompletum, & revera sit quid completum, Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est, & quidem scitò & diligenter ad solutionem plurium circa analogiam aut univocationem entium difficultatum, & alias solutu difficillimarum, notandum inquam est, quod sicut differentiæ accidentium, diversa constituentium prædicamenta, quamvis quoad modum significandi significentur ad modum alicujus entis incompleti, revera tamen sunt quid completum, in quantum scilicet nihil nisi majorem expressionem & explicationem addentes supra ens in alio, idque revera importantes implicitè, habent consequenter ratione talis inclusionis quod sint revera ens completum, licet significentur ut incompletum ens, in quantum non exprimunt rationem illam *Nota.*

acci-

accidentis seu entis in alio quæ ad earum complementum requiritur; ex quo ulterius fit quod sit accidens ut sic quid transcendens ad novem genera accidentium, & ad eorumdem differentias, licet supponat accidens ut sic pro ente completo: ita similiter philosophandum est in præsenti casu & dicendum quod quamvis universale supponat pro ente completo, adhuc tamen transcendens est & ut transcendens formaliter prædicatur de differentiis prædicabilium, quia scilicet hujusmodi differentiæ, quamvis quoad modum significandi sint quid incompletum, inquantum non exprimunt nec explicant in expressa sui significatione relationem seu relativam unitatem universalitatis, sunt tamen revera quid completum, cum revera illam importent implicitè, nec possit talis universalitatis relatio ita ab illis abstrahi, quin adhuc maneat in illis inclusa & imbibita, ut [meo judicio] demonstratum manet ex dictis supra in decursu quæstionis, præsertim in probandâ conclusione.

Instabis 4. Ex concessis universale non exprimit differentias prædicabilium, nec in illis exprimitur: ergo debet universale esse genus ad prædicabila. *Probatur consequentia:* hoc ipso quod universale est in potentia seu potentiale quid ad differentias prædicabilium, est hoc ipso genus ad illa, cum tunc verè faciat cum illis compositionem, quæ alia esse non potest quam generis & differentiæ: Sed hoc ipso quod differentias non exprimit, nec in illis exprimitur, est ad illas quid potentiale, saltem in conceptu suo expresso: Ergo hoc ipso quod universale non exprimit prædicabilium differentias, est hoc ipso genus ad illa.

Respondeo negando consequentiam, ob rationem in sequentibus afferendam. Unde ad probationem nego minorem; pro quo notandum, & est quidem seriò & diligenter, quod ad hoc ut aliquid sit in potentia seu potentiale quid ad aliud, non sufficit quod illud non exprimat in conceptu suo expresso & explicito, sive, quod in idem redit, ex eo quod unum quid aliud non exprimit, non propterea sequitur: Ergo est in potentia ad illud, quod quidem colligo ego & ex ratione, & ab exemplo, eoque duplici. Primo quidem hoc colligo ex ratione, ex eo scilicet quod potentia seu potentiale, cum faciat compositionem cum eo, ad quod comparatur ut potentiale, comparatur consequenter ad illud, ut ad compartem; cumque de ratione partis sit, non tantum quod non sit expresse & explicitè sua compars, sed nec quod simpliciter sit illa, ut per se patet; cum pars & compars simpliciter loquendo sint aliud

&

& aliud, consequenter fit, quod hoc ipso quod aliquid est aliud implicitè, nec distinguitur ab eo, nisi per hoc quod illud non exprimit nec explicat, non possit ad illud comparare ut potentia, seu potentiale quid; cum ad illud comparari non possit tanquam pars ad compartem; ac proinde quod ad illud comparari non possit tanquam genus ad differentiam. Hoc autem potest exemplo confirmari, eoque duplici. Primum est de attributo divinæ justitiæ, quod quidem non comparatur haud dubiè ad perfectionem misericordiæ, ut quid potentiale, cum sit actus purus; & nihilominus illam non exprimit in suo conceptu: Hoc etiam patet in exemplo de definito, quod quidem non est potentiale ad id quod importatur in definitione; homo namque non est solum in potentia animal rationale; & nihilominus non habet definitum exprimere & explicare illud, quod in definitione importatur, alias definitum non esset in conceptu suo, sed definitio: Ergo verum quod prius.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa propositam difficultatem.

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè nostræ sententiæ, adeò ut non possit ex doctrina S. Doctoris universale rationem habere generis, sive univoci ad quinque prædicabilia. Porrò id colligo ex quadam doctrina & quidem multùm suo more profundâ, quam affert sanctus Doctor *de veritate quæst. unica art. 1. in corpore*, ubi hæc habet: *enti non potest addi aliquid, quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi, vel accidens subjecto; quia qualibet natura essentialiter est ens, unde etiam probat Philosophus in 3 Metaphysicorum quod Ens non potest esse genus: sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra Ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur.* Hæc D. Thomas: ex quibus duo conficio argumenta ad intentum.

Primò quidem ideo ex D. Thoma Ens non est genus ad inferiora, quia horum differentiæ Enti superaddi non possunt quasi extranea natura: Jam sic est, quod nec differentiæ prædicabilium superaddi possunt universali sive universalitati, quasi extranea natura, cum respicere plura, quod competit universali ex conceptu universalis, & respicere plura specie differentia, quod quidem competit generi ex propria differentia, sive ex propria ratione generis, ut supra demonstratum est, non se habeant ut extranea, & extranea natura, ut pa-

tet ex terminis: Ergo ex præfata doctrina sancti Doctoris non est universale genus ad prædicabilia.

Secundò ex eodem sancto Doctore ibidem: Ens non est genus ad aliqua, quia hæc non addunt supra Ens, nisi quia ipsius exprimunt modum, qui nomine entis non exprimitur: Jam sic est quod nec addunt prædicabilia super universale, nisi quia ipsius exprimunt modum essendi, qui nomine universalis non exprimitur; cum revera illud actu includant implicitè, sicut & inferiora entis includunt ens, illud inquam actu includant implicitè in suis differentiis, ut pote quæ correlativæ sunt ad determinata singularia, formaliter ut subjicibilia sunt: ut ostensum fuit supra; quod quidem esse non posset, nisi in eis actu & formaliter includeretur relatio prædicabilitatis, sive universalitatis: Ergo nec est universale genus ad prædicabilia, ex doctrina sancti Doctoris; ac proinde & nostræ favet sententiæ S. Thomas.

QUÆSTIUNCULA

De numero universalium sive prædicabilium.

Respondeo Dicendum universale adæquatè dividi in quinque prædicabilia, scilicet Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens. Pro hujus autem intelligentiâ, nec non & pro solutione plurium, quæ adversus sufficientiam hujus divisionis possent objici, advertendum est universale hic accipi, non pro quocumque etiam ut superiori de aliquibus prædicabili; [si enim sic acciperetur, non esset difficilè plura quam præfata quinque assignare prædicabilia;] Sed accipitur universale pro eo quod est unum in multis; ex quo quidem plures deducuntur ad universale requisitæ conditiones: defectu quarum plura ab hoc diviso excluduntur. Prima quidem, quod ut aliquid sit universale non sit æquivocum nec analogum respectu inferiorum; quia scilicet æquivocum non est unum, sed simpliciter plura: analogum autem non habet unitatem simpliciter, sed solum secundum quid: Et hac ratione ens & quodlibet prædicatum analogum, licet ut aliqualiter superius prædicetur de pluribus, non continetur sub diviso, nec sub aliquo hujus divisionis membro. Secunda autem requisita conditio ad universale est, quod non sit transcendens; vel quia

quia omnis transcendentia inducit analogiam, subindeque & excludit unitatem simpliciter; vel quia saltem prædicatum transcendens non potest totaliter abstrahi nec præscindi ab inferioribus, subindeque manens semper etiam per intellectum in illis imbibitum, non tam est unum in multis, quam multiplex in multis. Tertia ad universale requisita conditio est, quod non sit prædicatum negativum, ut non lapis, non homo; tum quia prædicatum negativum dicit quodammodo transcendentiam; tum etiam quia cum non dicat naturam determinatam, nec de his de quibus prædicatur dicat, quid sint, sed potius, quid non sint, non dicit propriè aliquid unum. Quarta demum ad universale requisita conditio est, quod sit quid incomplexum: unum enim non potest esse nisi omnem excludendo complexionem; ex eo scilicet quod complexa cum ex pluribus non solum vocibus, sed & conceptibus resultent non habent consequenter unitatem simpliciter; & hac ratione excluditur à ratione prædicabilis definitio, & quodlibet aliud prædicatum complexum.

Porro his ita suppositis tanquam certis & indubitatis, jam sufficientiam divisionis adductæ ostendo sic. Quidquid ut univocum, determinatum, positivum & incomplexum [quale supponitur universale] prædicatur de aliquibus, vel prædicatur de illis, ut dicens totam illorum essentiam, & sic est species, vel prædicatur ut dicens partem essentiæ eorumdem. Et tunc vel dicens partem genericam determinabilem, & sic constituit genus: vel ut dicens partem differentialem & determinantem, & sic constituit differentiam: vel prædicatur ut dicens aliquod accidens respectu illorum de quibus prædicatur; & sic vel dicens accidens aliquod proprium & ab eorum profluens essentia, & tunc est proprium quartum prædicabile: vel tandem dicens commune accidens, & tunc ad accidens quintum prædicabile pertinet: Ergo cum nullus alius excogitari queat prædicandi modus, qui vel ad aliquem ex quinque assignatis directè vel reductivè non pertineat, rectè per consequens responsum fuit supra ad quæsiti resolutionem, quod præfata divisio est adæquata, quodque nec plura nec pauciora quam quinque sunt assignanda prædicabilia.

Dices primò Quod individuum vagum, verbi gratia aliquis homo, est verè prædicabile, siquidem prædicatur de pluribus: istæ enim sunt veræ prædicationes, Petrus est aliquis homo, Paulus est aliquis homo &c. Sed ad nullum ex quinque assignatis prædicabilibus pertinet: Ergo non est adæquata

præfata divisio. *Probatur Minor:* si enim ad aliquod pertineret ex enumeratis, maximè pertineret ad speciem; sed ad speciem pertinere non potest, tum quia non dicit essentiam hominis, sed modum particularem existendi; tum etiam quia diversæ rationis est hæc prædicatio: *Petrus est homo*, ab ista: *Petrus est aliquis homo*: Ergo cum illa sit prædicatio speciei, debet hæc esse alterius prædicabilis.

Respondeo, Non quidem ut plures respondere solent qui quidem excludunt individuum vagum à ratione prædicabilis eo quod, inquiunt, sit æquivocum & non importet aliquid unum sed plures modos particulares existendi inter se primo diversos; vel saltem eo quod sit analogum sive prædicatum transcendens. Non inquam ita respondeo ego; tum quia nullum istorum potest stare cum doctrina D. Thomæ qui *quæst. 9. de potentia art. 2. ad* 1. docet quod persona & individuum vagum dicunt modum aliquem particularem existendi communem omnibus individuis; tum etiam quia horum utrumque reputo falsum; & ratio est, quia sicut natura est communis univoce omnibus individuis, ita & modus particularis existendi abstrahibilis, cum omnimoda unitate à modo existendi hujus vel alterius individui: Ergo individuum vagum, persona, suppositum, & Hypostasis quæ dicunt modum existendi naturæ, aliquid important commune univocum omnibus individuis; ac proinde non sunt prædicata propriè transcendentia: tum quia alias non essent univoca; tum etiam quia non prædicantur de natura humana in quolibet statu: si enim daretur natura realiter separata, ut existimabat Plato, illa non esset aliquis homo, ut asserit D. Thom. loco citato, nec natura humana prout est in intellectu abstracta à singularibus dicitur aliquis homo. Non igitur ob aliquod istorum individuum vagum, persona, suppositum, & hypostasis excluduntur à ratione prædicabilis; unde respondeo dicendum quod excluditur individuum vagum & sic de aliis enumeratis, quia non dicit in recto aliquam naturam, vel partem naturæ, nec aliquod accidens illius, sed modum incomplexum naturæ vel alterius prædicati essentialis vel accidentalis, atque ita individuum vagum (& idem dico de supposito hypostasi vel persona) non pertinet directe ad aliquod prædicabile, sed reducitur ad illud prædicabile, cujus naturæ modum existendi importat; ut ad speciem reducitur individuum vagum specificum, ut aliquis homo; ad genus individuum vagum genericum, ut aliquod animal & sic de cæteris.

Dices

Dices secundò Prædicabilia distinguuntur ex diversis modis, quibus aliquid de inferioribus prædicatur: Sed multo plures sunt tales modi, quam quinque: Ergo & multo plura prædicabilia. *Probatur Minor:* diversus modus prædicandi sumitur ex diversis modis essendi; quia enim species diversimodè est in individuis, quam sit proprium, diversum etiam modum habet prædicandi de illis: sed sunt plures quam quinque modi essendi, decem videlicet diversa constituentes prædicamenta, quæ quidem ex diversis modis essendi distinguuntur: Ergo totidem erunt prædicandi modi, & consequenter prædicabilia.

Respondeo Negando minorem: ad cujus probationem nego similiter minorem, quod scilicet plures sint modi quam quinque, quibus universale est in inferioribus. Unde dico quod licet decem sint modi essendi entis, decem constituentes prædicamenta, non propterea ad eorum numerum enumerari & multiplicari debent modi essendi, quibus universale habet esse in inferioribus, ex eo scilicet quod omnes illi modi essendi prædicamentales materialiter se habent ad rationem universalis & prædicabilis; & ratio hujus est, quia ratio universalis & prædicabilis habet solum formaliter respicere modum essendi in inferioribus essentialem vel accidentalem, ex eo scilicet quod ex sola variatione illius modi essentialis vel accidentalis variatur universale secundum rationem unius in multis, seu secundum comparationem ad inferiora, cum è contra ex variatione aliorum modorum essendi variatur in modo essendi absolutè & secundum participationem entis, unde cum omnia novem prædicamenta accidentis conveniant in hoc, quod est dicere, aliquid extra essentiam subjecti, subindeque & in modo conveniant accidentali: propterea fit quod omnis alia differentia inter ipsa repetta materialiter omnino, & per accidens se habeat ad rationem prædicabilis.

Dices tertiò Omnia prædicabilia ad duo tantum possunt reduci, scilicet ad prædicabile in quid & ad prædicabile in quale: Ergo frustra quinque assignantur prædicabilia.

Respondeo quod licet possit universale dividi in duo prædicabilia, prædicabile videlicet in quid, & prædicabile in quale, tanquam in species subalternas divisibiles in alias species; Hæc tamen assignata divisio in quinque est divisio universalis in suas species infimas, & sic rectè dividitur in quinque assignata prædicabilia.

Instabis: Species infimæ prædicabiles plures sunt quam quinque: Ergo si assignatur divisio universalis juxta numerum specierum

cierum ejus infimarum, ut dicit præcedens solutio, inadæquata est & insufficiens præfata divisio. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens:* differentia subalterna & differentia atoma: ut sensibile & rationale ad diversa pertinent prædicabilia: Ergo si sermo sit de speciebus infimis prædicabilibus, plures sunt quam quinque. *Probatur antecedens:* differentia subalterna prædicatur de pluribus differentibus specie, & atoma de pluribus solo numero differentibus: Sed hac sola ratione genus & species duo constituunt prædicabilia: Ergo differentia subalterna & infima ad diversa pertinere debent prædicabilia.

Respondeo Negando antecedens, ad cujus probationem nego similiter antecedens, ad ultimum verò nego minorem. Neque enim genus & species præcisè per hoc duo constituunt prædicabilia, quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie, species verò de pluribus solo numero differentibus, sed quia quod ita prædicetur genus, hoc habet & petit ex propria & quidditativa ratione generis in eo quod genus est, cum in eo quod genus est prædicetur & prædicari debeat ut pars determinabilis, quæ quidem ut talis habet & petit respicere differentias specie diversas, ut per se patet; & similiter quod ita prædicetur species de pluribus solo numero differentibus, hoc habet & petit ex propria & quidditativa ratione speciei in eo quod species est, cum in eo quod species est prædicetur ut tota essentia, quæ quidem ut talis habet solum respicere inferiora numero differentia ut per se patet, cum iis solum tota essentia possit esse communis: cum igitur differentia subalterna & infima, licet habeant prædicari de pluribus specie & numero differentibus, hoc tamen non habeant nec petant ex propria & quidditativa ratione differentiæ in eo quod differentia est, tum quia ab hoc abstrahit ratio differentiæ, tum quia in ratione differentiæ ut differentia est, conveniunt differentia subalterna & infima, quæ tamen non conveniunt sed potius differunt in prædicari de pluribus specie aut numero differentibus, consequenter fit quod quamvis genus & species duo constituant prædicabilia per prædicari de pluribus specie aut numero differentibus, non tamen idem dicendum sit de subalterna & infima; addo quod species subalterna & infima licet differant ex parte eorum de quibus prædicantur, conveniunt tamen in modo quo de illis prædicantur, cum utraque prædicetur in quale quid, ac proinde cum ex modo diverso quo fit prædicatio oriatur diversitas prædicabilium, non debent per consequens

quens duo constituere prædicabilia differentia subalterna & infima, benè quidem genus & species, quæ non tantum ex parte eorum de quibus prædicantur disconveniunt, sed etiam ex parte modi quo de illis prædicari debent, cum genus prædicetur ut pars essentiæ, species verò ut tota essentia.

CAPUT
DE GENERE.
QUÆSTIO VI.

Vtrum compositio ex genere & differentia sit compositio realis, seu ex natura rei an verò solum rationis.

De definitione generis.

PRæmittendum primò, Genus primum prædicabile de quo præsens procedit quæstio sic à Porphyrio definiri: *Genus est id quod prædicatur de pluribus specie differentibus, in eo quod quid.* Hanc autem bonam esse definitionem cum communi sententia asserimus, ex eo scilicet quod in illa ponitur id, in quo genus cum omnibus prædicabilibus convenit, scilicet, *prædicari de pluribus*; & ponitur in eadem definitione id per quod genus ab omni alio differat prædicabili, puta ly, *prædicari de differentibus specie in eo quod quid.* Pro quo notandum est contra aliquos qui volunt quod etiam ens prædicetur in quid, notandum inquam quod ens non propriè prædicatur quidditativè, quia licet sit prædicatum essentiale respectu cujuslibet, quia tamen est prædicatum transcendens & imbibitum in omni re, sive pertinente ad quidditatem, sive non, cum sit commune quidditati & non quidditati, non potest conceptum quidditativum constituere, sed potius præsupponitur conceptus entis ad conceptum quidditatis; nec minus pertinet ad interrogationem quale, quam ad quid: sicut enim interroganti: quid est homo, rectè dicitur quod sit ens, ita & inquirenti qualis sit homo rectè respondetur quod est ens. Non ergo aliud à genere habet ita prædicari in *eo quod quid*; modo tamen

tamen ly prædicari in quid supponat pro aliquo universali, ac proinde pro aliquo uno & incomplexo, per quod excluditur definitio; nec non & ut dicens in actu solam partem essentiæ eorum de quibus prædicatur, per quod excluditur species, quæ quidem prædicatur in quid, sed ly in quid supponente pro tota essentia. Quod si instes contra præfatam definitionem videri quod non possit genus prædicari de specie, cum ex una parte nulla pars possit prædicari de toto, & ex altera non possit genus de specie prædicari ut totum etiam potentiale, cum de illa non prædicetur nisi secundum quod illam componit, & illam non componat nisi ut pars, non autem ut totum etiam potentiale, cum ut tale non distinguatur à differentia, sed illam potius includat, à qua tamen distingui debet ut componens, alias compositio ex genere & differentia non solum non esset realis, sed neque vera compositio: ad hoc ergo respondeo quod pars Physica, cum nullo modo sit totum & consequenter non includat aliquo modo omnia, quæ in toto reperiuntur, non potest de illo verè prædicari; at verò pars Metaphysica, quia simul est totum potentiale imò esse totum potentiale conditio est ut sit pars Metaphysica, licet in actu & explicitè non includat quidquid est in toto, includit tamen illud in potentia & implicitè, adeoque potest optimè de toto quod componit prædicari. Ex quo patet quid sit dicendum ad probationem, negatur enim quod pars Metaphysica secundum quod totum potentiale est non componat, & ad ultimam probationem negatur similiter quod genus secundum quod totum potentiale non distinguatur ab altera comparte, saltem ratione, quod sufficit ad compositionem Metaphysicam; nam licet differentia includatur in potentia in genere, non tamen includitur in actu, & consequenter ab illo ratione, adeoque & sufficienter distinguitur, ut cum illo verè componat.

Præmittendum 2. Quod cum compositio sit distinctorum unio, duplex propterea circa compositionem ex genere & differentia extat sententia, juxta sententiam duplicem quæ habetur circa eorumdem distinctionem, Thomistarum scilicet alteram, & alteram Scotistarum, Volunt namque Thomistæ, quod genus & differentia in eodem sumpta individuo non distinguantur, nisi actu per rationem, in quantum scilicet videns intellectus ex diversis effectibus reperiri in bruto, v. g. vivere & sentire, non autem intelligere; & videns in homine vivere, sentire & intelligere, invenit fundamentum, ut in eadem forma indivisibili hominis distinguat gradum vivendi & sentiendi, in

in quo convenit cum bruto & à quo natura generica animalis desumitur: & gradum intelligendi seu ratiocinandi in quo homo differt à brutis, & à quo differentia rationalitatis sumitur: Ex quo consequenter fit [inquiunt] quod hæc duo genus scilicet & differentia distinguantur quidem à parte rei fundamentaliter sive virtualiter; actualiter tamen non nisi per intellectum distinguantur; quia verò [addunt illi] ad veram & actualem ex aliquibus compositionem non sufficit fundamentalis seu virtualis eorum distinctio, cum stare non possit vera compositio sine unione, adeoque stare non possit cum sola unitate; & è contra fundamentalis distinctio, seu fundamentum actualis distinctionis per intellectum stet cum sola unitate, adeò ut sola unitas & quidem perfectior & simplicior, puta eminentialis possit esse tale fundamentum, cum consistat hoc fundamentum in eo, quod unum aliquid æquivalet pluribus, seu per unum præstat quod alia præstant per plura, hinc enim sumit intellectus fundamentum ad illa distinguenda plura in tali uno, consequenter fit [concludunt iidem Thomistæ] quod compositio ex genere & differentia non sit compositio à parte rei sive ex natura rei, sed rationis tantum; cum non nisi per rationem & intellectum actualiter distinguantur genus & differentia, Scotistæ autem, cum velint & doceant genus & differentiam esse formalitates duas à parte rei & ex natura rei actu distinctas, volunt propterea, quod compositio Metaphysica ex illis sive ex eorumdem ut distinctorum unione resultans, sit compositio, non rationis tantum, sed realis sive ex natura rei.

Præmittendum ultimò. Pro intelligentia & declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod; ***quæ sunt formaliter eadem uni tertio, sunt eadem formaliter inter se:*** quod ***id quod est tale per se & ex natura rei, ubicumque sit semper est tale***; quod ***pars componens est semper simplicior composito***. Primum quidem receptissimum est, imò & per se notum: intantum enim duo aliqua dicuntur esse formaliter eadem uni tertio, inquantum formalitas tertii est ipsa formalitas uniuscujusque; jam sic est, quod non potest formalitas illa tertii esse formalitas uniuscujusque, quin illa sint idem formaliter inter se, cum hoc ipso non sit in illis tribus nisi una tantum formalitas, ut ex ipsis patet terminis: Ergo verissimum est & receptissimum primum illud dictum, quod scilicet

quæ sunt formaliter eadem uni tertio, sunt & formaliter idem inter se.

Quantum vero ad secundum puta quod id quod est tale per se & ex natura rei, ubicunque sit, semper est tale, ex eo etiam evidenter patet, quod cum unumquodque sit, loquendo simpliciter, per id, quod dicit per se & ex natura rei, qua de causa ipsa natura uniuscujusque dici solet forma totius, propterea fit quod cum non possit aliquid esse alicubi sine seipso, sive à seipso separatum, nec etiam possit esse alicubi sine eo quod dicit per se & ex ipsa rei natura, ac proinde quod id quod est tale per se & ex natura rei, ubicumque sit, semper est tale.

Demum quantum ad tertium, quod scilicet componens pars est semper simplicior composito, præter quod ex ipsis patet terminis inquantum scilicet componens ut tale se habet ad id quod componit, tanquam id quod non est compositum ad id quod compositum est, ex eo præterea ostenditur, quod componens pars se habet ad compositum tanquam ad id quod ipsam includit & aliquid aliud ab ipsa seu præter ipsam; a. eoque cum careat pars componens illo alio ad compositum requisito & in composito incluso, consequenter fit quod non possit componens pars esse composita, æquè ac ipsum quod componit compositum, subindeque & quod sit eo simplicior. His ergo tribus præmissis tanquam certis & indubitatis principiis jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *Compositio ex genere & differentia non est compositio realiter formalis, sive ex natura rei; sed rationis tantum.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, *quæ sunt formaliter eadem uni tertio sunt eadem formaliter inter se:* Ergo genus & differentia non faciunt compositionem realiter formalem sive ex natura rei. *Probatur consequentia:* genus & differentia sunt eadem formaliter uni tertio, scilicet speciei: Ergo hoc ipso quod quæ sunt formaliter eadem uni tertio sunt eadem formaliter inter se, non faciunt inter se genus, & differentia compositionem formalem sive ex natura rei: *Consequentia* est evidens, cum hoc ipso non distinguantur formaliter inter se genus & differentia, quæ tamen distinctio essentialiter requiritur ad compositionem formalem, cum sit compositio distinctorum unio. *Probatur antecedens:* propositio hæc, homo est animal, homo est rationalis, est vera simpliciter & absolutè loquendo; Sed si animal & rationale, sive

genus

genus & differentia non essent idem formaliter & ex natura rei cum homine sive cum specie, non esset vera hæc propositio simpliciter & absolutè loquendo: Ergo genus & differentia sunt eadem formaliter uni tertiò scilicet speciei. *Major* conceditur ab omnibus, cum hæc concedi soleat propositio ita simpliciter prolata, homo est animal, vel homo est rationalis *Probatur minor*: ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa; Sed si homo non esset idem cum animali formaliter & ex natura rei, non esset homo animal simpliciter loquendo; Ergo nec vera esset simpliciter loquendo hæc propositio, homo est animal. *Major* supponitur certissima. *Probatur minor*: quod est solum animal modaliter loquendo, non habet esse animal loquendo simpliciter, cum entitas modalis non sit entitas nisi secundum quid, seu cum hoc addito, *Modalis*; Sed si homo non esset idem cum animali formaliter & ex natura rei, non esset animal, sive idem cum animali, nisi modaliter sive realiter loquendo & quantum ad realitatem, quæ in hoc casu & juxta hanc sententiam se habet tanquam modus naturæ: Ergo si homo non esset idem cum animali formaliter & ex natura rei, non esset animal simpliciter loquendo: Ergo si homo non esset idem formaliter & ex natura rei cum animali vel rationali, non esset vera hæc propositio simpliciter loquendo, homo est animal, vel homo est rationalis: Ergo rationale & animal, sive genus & differentia sunt idem formaliter & ex natura rei, cum homine sive cum uno tertio: Ergo hoc ipso quod quæ sunt formaliter eadem uni tertio sunt eadem formaliter inter se [quod est primum præmissum principium] non possunt hoc ipso genus & differentia facere compositionem formalem, sive, quod in idem redit, sunt in hoc ipso idem formaliter inter se.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio, *quod est tale per se & ex natura rei, ubicumque est, semper est tale*, Ergo compotio ex genere & differentia non est talis ex natura rei. *Probatur consequentia*: compositio ex genere & differentiâ non est talis ex natura rei, ubicumque reperitur; Ergo hoc ipso quod id quod est tale ex natura rei, ubicumque sit semper est tale, non potest ullibi compositio illa esse talis ex natura rei. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: par est ratio quantum ad hoc de compositione ex genere & differentia, & de compositione ex communi & proprio: Sed compositio ex communi & proprio, ubicumque reperitur non est talis ex natura rei: Ergo nec compositio ex genere

&

& differentiâ. *Major* supponitur certa, cum non major sit distantia sive distinctio inter genus & differentiam, quam inter commune & proprium, ut per se patet. *Probatur minor*; in enti simplici, quod supponitur, aut supponeretur ex ipsa rei natura simplex, non adest compositio ex natura rei, ut patet ex terminis: Sed in tali ente simplici adhuc reperitur compositio ex communi & proprio; cum adhuc in eo distingui possit ratio entis vel entis simplicis, per quod cum alio ente simplici convenit aut conveniret, & ratio talis entis, sive entis taliter simplicis per quod differt aut differret: Ergo compositio ex communi & proprio ubicumque sive in quocumque reali ente reperitur, non est talis ex natura rei: Ergo compositio ex genere & differentia, ubicumque sive in quocumque reali enti reperitur, non est talis ex natura rei: Ergo hoc ipso quod id quod est tale per se & ex natura rei, ubicumque est, semper est tale [quod est secundum præmissum principium] non potest compositio ex genere & differentia esse talis ex natura rei.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, *Pars componens est semper simplicior composito:* Ergo compositio ex genere & differentia non est talis ex natura rei. *Probatur consequentia*: si compositio ex genere & differentia esset talis ex natura rei, esset & genus, v. g. compositum ex natura rei æque ac ipsum compositum quod componeret: Ergo hoc ipso quod pars componens est semper simplicior composito, non potest compositio ex genere & differentia esse talis ex natura rei. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*. Ideo compositum ex genere & differentia est tale juxta adversariorum doctrinam ex natura rei, quia assignatur in eo per quod convenit cum aliis speciebus, & per quod specificè differt: arqui in una parte componente assignatur similiter per quod ita convenit, & per quod differt; cum per hoc quod sit genus conveniat, & per hoc quod sit tale genus differat: Ergo si esset compositum ex genere & differentia tale ex natura rei, esset & genus, v. g, compositum ex natura rei, æque ac ipsum compositum quod componeret: Ergo hoc ipso quod non potest genus esse æquè compositum ac ipsum compositum quod componit, non potest compositio ex genere & differentia esse talis ex natura rei: Ergo hoc ipso quod pars componens est semper simplicior composito [quod est tertium præmissum principium] non potest hoc ipso compositio ex genere & differentia esse talis ex natura rei.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Compositio est distinctorum unio: Sed genus & differentia distinguuntur ex natura rei: Ergo & faciunt unita compositionem ex natura rei. *Probatur Minor*: quæ fundantur ex natura rei super aliud & aliud realiter, non possunt non distingui ex natura rei: Sed genus & differentia fundantur ex natura rei super aliud & aliud realiter: Ergo & distinguuntur ex natura rei. *Major* est evidens. *Probatur Minor*: materia est aliud à forma, sicut & essentia aliud ab existentia; Sed genus petit fundari super materiam in entibus materialibus, & differentia super formam; & in aliis entibus fundari petit super essentiam, & differentia supra existentiam: Ergo genus & differentia fundantur ex natura rei super aliud & aliud realiter. *Probatur Minor*: ratio generis est ratio determinabilis & actuabilis, sicut ratio differentiæ est ratio determinantis & actuantis: Ergo hoc ipso quod habent fundamentum in re, fundari petunt super determinabile; & determinans: Sed determinabile super quod fundari possunt, non aliud est quam vel materia vel essentia, & determinans quam vel forma vel existentia: Ergo genus petit fundari super materiam vel essentiam, & differentia super formam vel existentiam.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Respondeo Negando minorem primi, secundi & tertij argumenti. Etenim genus univocè dicitur de substantiis compositis, seu materialbus; de simplicibus seu immaterialibus, & accidentibus, ut concedunt omnes; siquidem licet nihil quidditativum dici possit univocè de decem generibus, bene tamen aliquid denominativum, scilicet esse intellectum, esse genus, esse speciem, & alij similes respectus rationis: jam sic est, quod si in substantiis materialibus desumeretur genus ex materia, & differentia ex forma; & in aliis non compositis ex materia & forma ut sunt substantiæ immateriales & accidentia, ab essentia & existentia, tunc genus non posset dici univocè de iis omnibus: cum hoc semel admisso, de illis non diceretur genus secundum unam causam, cum diceretur in uno genus secundum materiam, & in aliis secundum essentiam quæ cum sit forma totius, differt toto cælo à materia: Ergo cum dici univocè de aliquibus hoc de necessitate requirat, quod de illis dicatur secundum unam causam, dici non potest quod genus & differentia ita desumantur ex alio & alio, sive fundari

dari petant super aliud & aliud realiter. Unde diligenter notandum est pro resolutione pleniori hujus difficultatis & argumenti solutione, quod quando dicit aliquando Divus Thomas vel authores, quod genus sumitur à materia, debet hoc ita exponi, id est ab eo quod habet modum vel similitudinem materiæ, ita tamen quod illa similitudo sit multum æquivoca: quando namque concipitur res conceptu confuso, ut quando concipitur homo conceptu animalis, vel corporis aut substantiæ, tunc dicitur haberi conceptus generis, & concipitur res conceptu generis; quando autem concipitur determinatè & distinctè, & ut differens per rationale ab aliis speciebus, à quibus per conceptum confusum non differebat sive non intelligebatur differre, habetur tunc conceptus differentiæ: quia vero ille indistinctus & confusus conceptus quasi perficitur in esse intellecto per conceptum distinctum & determinatum, & sic habet ad istum rationem potentiæ & consequenter aliqualiter rationem materiæ, consequenter fit quod id unde habetur conceptus generis aliqualem habeat similitudinem cum materia, sed tamen multum imperfectam & æquivocam. Ex quo patet solutio ad ultimum argumentum, ad quod addo quod fundatur intentio generis super esse determinabile & confusum, non quidem in esse reali, sed in esse ut conceptum est; neque propterea sequitur, quod hæc intentio generis sit fictitia & sine fundamento in re; habet namque in re fundamentum, non quidem illud quod volunt adversarii, scilicet materiam vel essentiam; sed ipsam rei naturam & indivisibilem entitatem, quæ quidem habet prius movere intellectum possibilem, ad conceptum confusum subindeque & determinabilem ac genericum, quam ad distinctum & determinatum seu differentialem.

Instabis: Si conceptus ejusdem confusus vel distinctus fundarent genus & differentiam, Deus nec Angeli haberent de rebus conceptum generis: Sed hoc est falsum; Ergo & falsum est quod solus rei conceptus confusus vel distinctus fundent genus & differentiam. *Minor* est certa, tum quia conceptus generis est de quidditate rei, quam perfectissimè penetrat Deus, tum quia omnes nostras conceptiones comprehendit Deus, in quibus reperitur conceptus generis tanquam terminus & objectum. *Probatur Major:* divinus vel angelicus intellectus non prius movetur ad conceptum confusum rerum, quam ad distinctum & determinatum, immò nec capax est divinus intellectus conceptus confusi, sicut nec imperfecti:

Sed

Sed ad habendum in hoc casu, & juxta hanc nostram doctrinam conceptum generis illud requiritur: Ergo si conceptus generis fundaretur in conceptu confuso rei, non haberet Deus conceptum generis de rebus.

Respondeo Negando sequelam majorem, cujus negati ratio est, quia quantumvis Deus distinctissimè cognoscat, & distinctissimum conceptum habeat de rebus, eo nihilominus distinctissimo conceptu videt quod res habeat ex parte sui & ex natura sua quod possit confusè vel distinctè & determinatè concipi: jam sic est, quod non potest hoc de re cognoscere divinus intellectus, quin habeat hoc ipso de illa conceptum generis, cum cognosci rem ut potentem confusè concipi sit hoc ipso cognosci ut determinabilem in esse intellecto, potentialem, contrahibilem, quæ omnia sunt propria conceptus generici: Ergo quantumvis conceptus confusus & distinctus rei fundent genus & differentiam, & Deus & Angeli habere possent de rebus conceptum generis. Neque propterea sequitur habere Deum actum intelligendi confusum & imperfectum, ex eo quod non habeatur conceptus generis nisi quia concipitur res in confuso; & ratio hujus est, quia ad habendum conceptum generis juxta hanc doctrinam, non propterea opus est, quod ly concipi in confuso determinet actum intelligendi, in quo quidem casu esset actus intelligendi confusus & imperfectus, sed sufficit quod determinet rem cognitam, adeo ut sufficiat quod cognoscatur rem intelligibilem esse in confuso ex parte sui, & ex sui natura; jam sic est, quod potest hoc Deus cognoscere etiam per distinctissimum & minimè confusum conceptum ut per se patet; alias de confuso non posset haberi distinctus conceptus: Ergo non propterea sequitur fore conceptum Dei aliquo modo imperfectum, habendo juxta hanc doctrinam conceptum generis de ipsis rebus. Ex quo patet solutio ad argumentum ultimum.

Nota.

Objicies secundò, Taliter componunt genus & differentia qualiter distinguuntur; sed genus & differentia, verbi gratia, animal & rationale distinguuntur ex natura rei: Ergo & faciunt unita compositionem ex natura rei: *Probatur minor:* hoc ipso quod de animali dicitur aliquid à parte rei, quod non dicitur de rationali, distinguuntur hoc ipso ex natura rei; Sed de animali dicitur aliquid à parte rei quod non dicitur de rationali: Ergo animal & rationale sive genus & differentia distinguuntur ex natura rei. *Major* constat ex terminis. *Probatur minor*: convenire alteri ab homine, dicitur

de

de animali à parte rei; Sed convenire alteri ab homine non dicitur de rationali: Ergo de animali dicitur aliquid à parte rei, quod non dicitur de rationali.

Reſpondeo Negando minorem, intellectam ſcilicet in ſenſu in quo procedit præſens quæſtio, puta de genere & differentia: verbi gratia, de animali & rationali in eodem ſubjecto ſive ſuppoſito. Sic enim animal & rationale ſunt à parte rei una omnino indiviſibilis entitas, quæ non dicitur fundare & præcontinere hæc duo, genus ſcilicet & differentiam, niſi quia concipi poteſt & conceptu confuſo & potentiali, in quo caſu dicitur genus, & convenire cum aliis ſpeciebus; & conceptu diſtincto ac determinato, in quo ſimiliter caſu dicitur differentia & ab illis differre; ac proinde cum hoc ſit penes intellectum, adeó ut à parte rei ſit una prorſus indiviſibilis entitas, ut relinquitur abundè probatum ſupra, conſequenter fit falſam eſſe minorem illam primi argumenti, nec non & minorem ſecundi, ſi ſemper intelligatur ut intelligi debet de animali & rationali ſive de genere & differentia in eodem ſubjecto ſive ſuppoſito. Pro cujus pleniori intelligentia notandum eſt, imo hoc unum ferè notandum velim pro ſolutione omnium ferè argumentorum, quæ ſolent hic ab adverſariis objici, quod ly genus in præſenti, verbi gratia, animal ſumi poteſt & conſiderari dupliciter, primo ut eſt contractum ad ſubjectum, in quo incluſa manet differentia; ſecundo verò conſiderari poteſt, non quidem ſecundum quod ita contractum, ſed ſecundum ſuam indifferentiam ad ſua inferiora, inquantum ſcilicet ly animal ad aliquid ſe extendit per prædicationem quod negatur de determinato inferiori ſive de inferiori ut determinato per rationale, hoc autem ſuppoſito jam proſequor ſic. Certum autem eſt & indubitatum, quod animal ita ſumptum ſecundum indifferentiam quam habet ad ſua inferiora diſtinguitur à rationali; non quidem ita quod animal ſecundum omnia ſua inferiora ſive omnes particulares animalitates diſtinguatur à rationali à parte rei; non enim per animalitatem hominis differt à rationali: ſed dicitur animal ſecundum ſuam indifferentiam ita diſtingui a parte rei, quia ſcilicet animal in ſua indifferentia quaſdam includit partes ſubjectivas determinatas, verbi gratia, animalitatem bovis & aſini, ratione quarum diſtinguitur à parte rei à rationali: nihilominus de animali ita in ſua indifferentia ſumpto minimè procedit quæſitum, ſed procedit de animali ut contracto ad ſubjectum, cum ſit ſermo de animali ut componit unum cum differentia,

Nota.

sentia, nec habeat ita componere, nisi inquantum est contractum ad illud.

Unde in hoc verè plangendi sunt Scotistæ, qui cum multum insudaverint ad aliquid probandum contra Thomistas, adeo tamen infeliciter & parum utiliter, ut hoc tantum probent, quod isti ut indubitatum supponunt; & quod probandum est, de eo ne quidem verbum habeant. Quæro namque unde habent quod distinguantur animal & rationale in homine à parte rei, subindeque & quod faciant compositionem ex natura rei? Respondent, & hoc nobis objiciunt, quia aliquid dicitur de animali à parte rei, quod non dicitur de rationali. Quæro autem ulterius: unde habent quod aliquid dicatur de animali hominis quod non dicitur de rationali: Respondent, & ex hoc suum prætendunt probare intentum, quia animal prædicatur de animalitate bovis & asini, de quibus non prædicatur rationale; jam sic prosequor, & concludo; Ergo non differt animal à rationali, nisi quia includit animalitatem bovis & asini, seu eis convenit, quæ haud dubiè differunt à rationali: jam sic est, quod illa differentia non est nisi ratione quarumdam partium subjectivarum animalis in sui indifferentia sumpti, ut per se patet; Ergo tritum illud Scotistarum argumentum, quod quidem est omnium ferè aliorum fundamentum non probat, quod controvertitur, puta quod animal ad hominem contractum distinguatur à parte rei à rationali; sed probat solum quod animal sumptum secundum indifferentiam suorum inferiorum, sive ratione quarundam sui partium subjectivarum, de quibus scilicet prædicatur, distinguatur à rationali, quod quidem nos libenter concedimus.

Nota.

Instabis: Sumitur animal ut contractum, hoc ipso quod sumitur ut prædicatum hominis: Sed animal ut est hominis prædicatum, adhuc distinguitur à rationali à parte rei: Ergo & distinguitur à rationali ut contractum, & non tantum secundum indifferentiam suorum inferiorum, ut vult præcedens solutio. *Probatur minor:* animal ut est prędicatum bovis distingui tur haud dubiè à rationali: Sed ex Aristotele in prædicamentis sub eadem prorsus ratione est animal prædicatum hominis & bovis: Ergo & ut est prædicatum hominis habet animal distingui à rationali.

Respondeo Distinguendo minorem: sed animal ut est hominis prædicatum adhuc distinguitur à rationali à parte rei; si sumatur ly animal ut est prædicatum Logicale sive per ratio-

nem Logicaliter negotiantem circa illud, Transeat, si autem sumatur ly animal ut est prædicatum hominis, non per rationem negotiantem, sed per productionem, Nego quod ita sumptum distinguatur ut prædicatum à rationali in homine à parte rei. Pro quo notandum est in hoc iterum hallucinari ac decipi adversarios, quod cum procedat quæsitum de distinctione animalis prout est hominis aut in homine per productionem, ex eo scilicet quod de eo procedit prout est hominis à parte rei,in quo quidem statu nihil est nec habet homo nisi per productionem, aliud tamen non controversum solum probent, puta quod animal prout est hominis per prædicationem Logicalem, sive per rationem circa illud Logicaliter negotiantem, distinguatur à rationali, ex eo scilicet quod ut dicit Philosophus, ita sumptum animal sub eadem prorsus ratione habet esse prædicatum bovis & hominis, inquantum scilicet per rationem Logicaliter circa illud negotiantem consideratur secundum suam rationem præcisè sumptam seclusis differentiis diversificantibus, ac proinde ut unum quid indivisum in suis speciebus: Dico autem in hoc iterum decipi & in vanum laborare adversarios cum datâ & concessâ distinctione animalis ita considerati à rationali, nihil propterea contra intentum conclusionis, sive in favorem sententiæ adversæ concludi possit, tum quia quod animal ita sumptum distinguatur à rationali, sive alteri conveniat ab homine, hoc non est nisi quia per rationem Logicaliter negotiantem accipitur ut quid unum in suo præciso conceptu & indivisum in suis speciebus, ac proinde cum unitas illa non sit nisi rationis, consequenter fit quod illa distinctio quæ exinde infertur non sit etiam nisi rationis, non autem distinctio à parte rei: tum quia hoc non obstante adhuc verificatur de animali prout est hominis per productionem, quod est idem convertibiliter cum rationali, nec alteri convenit à subjecto, sive ab homine; cum non minus verum sit dicere, quod producto tali animali producitur homo, quam quod producto homine vel rationali producitur illud animal, quod scilicet est idem cum homine; jam sic est, quod omne quod est in creatis à parte rei, est per productionem: Ergo hoc non obstante adhuc verificatur quod animal prout est hominis sit idem à parte rei convertibiliter cum rationali seu quod à parte rei non conveniat alteri ab homine, subindeque & quod à parte rei non distinguatur à rationali.

Dixi autem supra in distinguenda majori *transeat*: neque enim

enim est absolutè loquendo verum quod animal sumptum ut est hominis prædicatum per prædicationem logicalem distinguatur à parte rei à rationali, tum quia non est ita & taliter prædicatum à parte rei, sed ratione tantum: tum etiam quia, cum ut prędicatum Logicale sit totum quoddam potentiale & universale potentialiter seu in confuso includens animalitates bovis, leonis & hominis tanquam partes sui subjectivas, licet distinguatur à rationali ratione quarumdam partium subjectivarum, puta ratione animalitatis, leonis & bovis, non tamen ratione omnium suarum partium, cum non distinguatur, vel potius à nobis probetur non distingui à rationali per animalitatem hominis; ac proinde non est ita absolutè loquendo verum quod animal ut est hominis prædicatum logicale, sive per rationem logicaliter negotiantem distinguatur à parte rei in homine à rationali; unde merito dixi transeat.

Objicies tertiò, Ubi componentia sunt reale quid, ibi compositio non potest esse tantum rationis: Sed in compositione ex gradu generico & differentiali componentia sunt quid reale: Ergo compositio ex genere & differentia non potest esse compositio tantum rationis. *Minor* est certissima; homo namque & secundum quod animal & secundum quod rationalis est reale quid, cum sit à parte rei ac per productionem & animal & rationalis. *Probatur Major:* talis est compositio qualis extremorum componentium distinctio; Sed inter extrema realia non potest esse distinctio tantum rationis: Ergo nec ex illis fieri potest compositio tantum rationis. *Probatur Minor:* extrema non fiunt talia nisi per distinctionem, sive distinctio non est nisi inter extrema quæ facit: Sed impossibile est quod distinctio tantum rationis faciat extrema realia: ergo & impossibile est quod distinctio rationis sit inter extrema realia.

Respondeo Negando majorem, cujus quidem falsitas constabit ex dicendis in hac & sequenti solutione; ad probationem vero nego minorem, puta quod inter extrema realia impossibilis sit rationis distinctio: potest namque idem & indivisibile reale ens à nostro attingi intellectu duplici conceptu & utroque ad idem terminato, sed sub alia & alia ratione, uno, verbi gratia, terminato sub ratione corporis & altero sub ratione viventis; in quo casu certum est intercedere inter has duas rationes, quæ quidem sunt extrema realia, & quidem eadem realitate, intercedere inquam distinctionem rationis. Hujus autem quod in hac materia est magni ponderis placet duplicem afferre rationem, & utramque [meo judicio,] evidentissimam,

dentissimam. Prima ast quia hoc ipso quod inter extrema realia intercedere potest distinctio non realis, potest & inter ea intercedere distinctio rationis, cum hæc claudatur sub distinctione non reali: jam sic est, quod in doctrina adversariorum potest inter extrema realia intercedere distinctio non realis; cum apud eos distinctio formalis sit distinctio non realis, & hæc intercedat inter formalitates reales, subindeque & inter extrema realia: Ergo ex ratione extremorum realium non propterea repugnat intercedere inter ea distinctionem rationis. Altera verò ratio est quia distinctio rationis & unitas rationis quæ sunt passiones rationis entis eodem currunt passu, nec una magis sequitur ens rationis quam altera, sicut nec magis sequitur unitas realis reale ens quam distinctio realis: jam sic est quod unitas rationis etiam in doctrina adversariorum reperitur inter extrema realia; Petrus namque & Paulus qui sunt extrema realia, sunt unum specificè, quæ unitas est rationis, ut ipsi etiam concedunt: Ergo & distinctio rationis poterit inter extrema realia reperiri. Sed pro majori hujus intelligentiâ advertatur diligenter ad sequentem distinctionem multum acutam & ponderosam. Ad ultimum ergo argumentum distinguo minorem sic: sed impossibile est quod distinctio solius rationis faciat extrema realia, in hoc sensu, ita quod faciat distinctio rationis quod quæ extrema sunt fiant realia, Concedo: in hoc verò sensu: ita quod impossibile sit quod facit distinctio rationis, ut quæ realia sunt fiant extrema, Nego minorem & consequentiam. Etenim ea quæ realia sunt etiam eadem realitate potest ratio ad invicem comparare, sub alia scilicet & alia ratione; & sic ea constituere extrema realia, non quidem faciendo, quod quæ extrema realia sunt fiant, sed potius faciendo quod quæ sunt realia, fiant extrema, in quantum scilicet fiunt per rationem ad invicem comparata ut dictum fuit supra.

Nota. *Nota.*

Instabis: Hoc ipso quod alicui repugnat actus primus, repugnat etiam actus secundus: sed esse rationis & distinctio rationis rationem habent actus primi & actus secundi: Ergo cui repugnat esse rationis repugnat & distinctio rationis: sed esse rationis repugnat entibus realibus: Ergo & eis repugnare debet distinctio rationis.

Respondeo Concedendo totum syllogismum, si nimirum intelligatur major propositio (ut intelligi debet) uniformiter; ita quod sensus sit quod eo modo quo repugnat actus primus, repugnare debeat & actus secundus. Jam verò ad subsumptum di-

distinguo sic: sed esse rationis repugnat entibus realibus, loquendo subjectivè & quidditativè, Concedo: loquendo objectivè, relativè & denominativè, Nego & sub eadem distinctione nego consequentiam. Etenim loquendo taliter de esse rationis, tantum abest quod repugnet enti reali, quin immo id quod ita afficit & denominat, ejusque substractum & fundamentum non aliud esse solet quam ens reale; & propterea dici solet quod entia rationis Logicalia sunt secundæ intentiones adjunctis primis. Quod si ulterius quæratur an extrema realia sint extrema distinctionis reduplicativè ut res sive realia, vel ut non res; responderi debet, nec sic nec sic; siquidem si essent extrema distinctionis rationis reduplicativè ut res, tunc nihil distingueretur ratione nisi res; sed nec etiam ut non res, quia tunc res non possent ratione distingui, vel illa solum quæ non sunt res possent ita ratione distingui, cujus oppositum probavimus: unde quando inquiritur sub qua reduplicatione extrema realia habent esse extrema distinctionis rationis, responderi debet quod sub hac reduplicatione habent esse extrema, puta ut comparata per rationem.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa propositam difficultatem.

Respondeo D. Thomam apertè favere nostræ sententiæ in duobus præcipuè locis; & in altero ejusdem assignasse rationem. Primò quidem illud insinuat evidenter S. Doctor 1. *p. quæst. 40. art. 3. ad 4*, ubi ait quod *genus & differentia solum differunt & distinguuntur secundum diversas ejusdem rei considerationes*: Jam sic est quod taliter componunt qualiter distinguuntur, cum compositio non aliud sit quam distinctorum unio: Ergo ex mente S. Doctoris compositio ex genere & differentia est compositio rationis tantum, seu compositio facta per considerationem rationis.

Hoc idem docet sanctus Doctor *in 3. cap. de ente & essentia §. ex hoc patet*; ubi ait quod *hæc compositio non est sicut ex duabus rebus tertia res: sed sicut ex duobus intellectis tertius intellectus*: Jam sic est quod in eo quod asserit non esse istam compositionem sicut ex duabus rebus tertia res, negat illam esse realem sive realiter formalem; & in eo quod dicit, quod est sicut ex duobus intellectis tertius intellectus innuit illam esse compositionem rationis: Ergo idem quod prius.

Denique hujus rationem in altero assignat loco D. Thomas, scilicet 1. p. *quaest.* 76. *art.* 3. ubi docet quod *eadem formaliter est anima Petri secundum quod dat esse sensitivum, à qua provenit animalitas, & secundum quod dat esse intellectivum à qua provenit rationalitas*. Unde sic arguo: eodem modo distinguuntur animal & rationale inter se, subindeque & & componunt, quomodo distinguuntur in anima, cujus sunt effectus formales: sed animal & rationale non distinguuntur formaliter & ex natura rei in anima, sive quod in idem redit, anima est formaliter una & eadem secundum quod tribuit esse animal & esse rationale: cum ea duo tribuens, quia cum superior sit, adunat in se quae sunt in inferioribus dispersa, ea consequenter tribuat sub ratione & formalitate unius supplentis vicem plurium: Ergo & docet & probat D. Thomas compositionem illam ex animali & rationali sive ex genere & differentiâ sicut & eorumdem distinctionem non esse compositionem realem sive realiter formalem, sed rationis tantum, si sermo sit de compositione actuali: addo autem ex consulto si sermo sit de compositione formali, ut scilicet innuam quod si sermo sit de compositione solum fundamentali haec haud dubiè non est tantum rationis sive per intellectum, sed reperitur à parte rei, cum à parte rei inveniat intellectus fundamentum ad distinguendum deinde actualiter gradum genericum à differentiali, & ad illum tanquam determinabile quid actualiter determinandum per istum tanquam per determinativum; sed nihil propterea inferre licet contra nos & in favorem adversariorum, tum quia non est sermo in praesenti quaestione nisi de actuali compositione; tum etiam quia quod detur à parte rei fundamentalis compositio sicut & fundamentalis distinctio, hoc arguit solum & solùm innuit dari à parte rei unum quid, quod quia unum est unitate perfectiori eminentiori, adeoque & simpliciori, habet sub ratione unius vicem gerere plurium, ac proinde & fundare à parte rei compositionem & distinctionem rationis; sicque tantum abest, quod fundamentalis illa compositio & distinctio à parte rei arguant à parte rei dualitatem aliquam & aliquam pluralitatem in gradibus componentibus, ut volunt adversarii; quin immo summam arguunt à parte rei inter eos unitatem, subindeque & indistinctionem.

Nota.

QUAE-

QUÆSTIUNCULA.

De Definito in definitione generis, an scilicet per se definiatur ipsa intentio generis; an natura subjecta huic intentioni.

RESpondeo tres in hoc dubio distingui communiter sententias; quarum prima asserit, id quod per se definitur in definitione generis esse naturam ipsam subjectam intentioni, non autem ipsam intentionem seu genereitatem. Secunda verò cui subscribit Cajetanus, docet è contra definitum per se in definitione generis esse ipsam secundam intentionem generis seu genereitatem, non autem naturam quæ huic secundæ intentioni subjicitur, & ab eadem denominatur genus. Tertia denique quam hodie sequuntur communiter Thomistæ, est quod id quod per se definitur in hac definitione generis supra in quæstione præcedenti adducta ex Porphirio sit ipsa natura v. g. animalis, non quidem secundum se, sed ut substat intentioni generis, & ab eâ formaliter denominatur genus. His tamen tribus omissis sententiis, est alia quarta ad veritatem discutiendam (meo judicio) aptissima, cui propterea libenter subscribo, & pro cujus expositione, hoc unum præmitto, quod scilicet aliquid per se definiri, potest dupliciter intelligi, aut quia definitur tale quid per essentialia, subindeque & per ea quæ ei competunt in primo modo dicendi per se; vel certè quia, etsi per essentialia non definiatur, subindeque nec per se definiatur in eo sensu, est tamen id quod per se intenditur per definitionem explicari, & in hoc sensu dicitur per se definiri. Hoc autem posito, jam pro quæsiti resolutione.

Dico, quod sumpto ly definito per se, pro eo quod per se intenditur in definitione explicari, ipsa intentio generis seu genereitas est id quod per se definitur in præfata definitione: sumpto verò ly definito per se pro eo, quod per essentialia definitur, nihil habet rationem definiti per se in hac definitione.

Probatur prima pars: Definitio datur ad habendam notitiam subjecti definiti: Ergo hoc ipso quod aliquid est id cujus notitia per se intenditur à definiente, dicitur seu potest dici in hoc sensu definitum per se: Sed in præfata definitione

 gene-

generis (& idem dic de omnibus aliis definitionibus Logicalibus) ens rationis sive secunda intentio est id, cujus notitia per se intenditur à Logico definiente, cum in tota Logica sive incedatur via divisiva, sive via definitiva, non intendatur nisi perfecta cognitio entis rationis in se & in suis partibus & passionibus; adeò ut si quid aliud definiatur, non sit nisi pro tanto, quia notitia ejus ordinatur ad notitiam entis rationis supra illud fundati: Ergo ipsa secunda intentio generis seu genereitas rationem habet definiti per se in definitione generis sumpto ly definito per se sensu supra exposito, pro eo scilicet cujus notitia per se intenditur in definitione.

Probatur verò secunda pars: si esset aliquid definitum per se in præfata definitione, sumpto ly definito, per se pro eo quod per essentialia definitur, vel esset ipsa prima intentio seu natura prout subjicitur secundæ intentioni, vel esset ipsa secunda intentio: Sed neutrum dici potest: ergo nihil habet rationem definiti per se in præfata definitione, sumpto ly per se in sensu ibi exposito. *Probatur Minor*, & primo quidem quoad primam partem: secunda intentio non afficit primam essentialiter sive quidditativè, sed denominativè tantum ut ab omnibus conceditur; non enim animal est essentialiter intentio illa generis sed denominativè tantum: Ergo natura sive prima intentio definita per ea quæ ei competunt, prout subjicitur secundæ intentioni, non habet definiri per essentialia: Sed ea quæ afferuntur in præfata generis definitione non conveniunt naturæ nisi prout subjicitur secundæ intentioni generis, ut per se patet, cum ibi involvatur prædicari de pluribus, quod est passio sive proprietas secundæ intentionis, aut saltem primæ prout solum subjicitur secundæ: Ergo sumpto ly definito per se pro eo quod per essentialia definitur, ipsa prima intentio etiam prout stat sub secundâ non habet rationem definiti per se in præfata definitione. Quod autem nec ipsa secunda intentio rationem habeat in hoc sensu definiti per se, quod est altera pars præfatæ Minoris. Etenim non minus imò magis sunt extranea & extrinseca enti rationis sive secundæ intentioni fundamenta, in quibus fundantur, quam accidentibus realibus subjecta in quibus subjectantur, cum hæc saltem conveniant in hoc quod sint reale ens, non autem illa: Sed quando definiuntur realia accidentia per sua subjecta, non dicuntur definiri per se in præfato sensu, sive per ea, quæ essentialiter & quidditativè eis competunt: Ergo & quando definiuntur entia rationis sive secundæ intentiones per sua fundamenta non habent

habent in hoc sensu definiri per se, sive per essentialia atque quidditativè convenientia: jam sic est quod in definitione quæ affertur de genere [& idem dic de omnibus definitionibus Logicalibus] definitur secunda intentio generis per ipsam naturam realem intellectam ut in pluribus specificè distinctis eisque convenientem, *in quid*: Ergo ibi non definitur secunda intentio per se, sumpto ly definito per se pro eo quod per essentialia definitur; sed solum sumpto in altero sensu, pro eo scilicet cujus notitia per se intenditur à definiente.

Dices primò contra primam partem: illud solum definitur per se, cui competunt partes definitionis: sed partes definitionis generis non competunt secundæ intentioni: Ergo secunda intentio nullo modo & in nullo sensu rationem habet definiti per se in præfata definitione. *Probatur Minor.* In præfata definitione ponitur prædicari de specie seu speciebus; sed hoc verificari nequit de ipsa secunda intentione generis: cum unum disparatum non prædicetur de sibi disparatè opposito; sintque genus & species ut supponentia pro intentionibus, disparatè opposita: Ergo partes hujus definitionis generis minimè competunt secundæ intentioni.

Respondeo Distinguendo majorem: illud solum rationem habet definiti per se, cui competunt definitionis partes, sumpto ly definito per se in hoc sensu, pro eo scilicet quod per essentialia definitur, concedo: sumpto in alio sensu pro eo scilicet quod per se intenditur in definitione explicari, subdistinguo: cui competunt definitionis partes vel in recto vel in obliquo Concedo: cui competunt definitionis partes in recto tantum Nego: & sub eadem subdistinctione Minoris nego consequentiam vel distinguo, juxta primam adductam distinctionem unde dico, quod licet in definitione quæ datur per essentialia & quidditativè convenientia debeant partes definitionis convenire in recto ipsi definito, ex eo scilicet quod unumquodque est in recto & absolutè id quod est ipsa ejus essentia, nihilominus ubi non datur definitio nec dicitur per se dari, in eo sensu nimirum per essentialia & quidditativa, sed solum in quantum ly per se determinat subjectum cujus notitia & explicatio per se intenditur à definiente, sufficit tunc quod ea quæ ponuntur in definitione dicantur in obliquo de definito, ex eo scilicet quod potest alicujus notitia haberi, non tantum per hoc quod est in recto, seu per hoc quod est id, sed etiam per hoc quod ejus vel illius est, ut patet in definitionibus descriptivis. Jam sic est quod ponitur in definitione quæ

affertur de genere, dicitur in obliquo de ipsa secunda intentione, cum natura illa quæ prædicatur in quid de pluribus specie differentibus, dicatur de tali intentione genereitatis ut ejus fundamentum: Ergo præfatæ definitionis partes sufficienter competunt ipsi secundæ intentioni, ut dicatur per eas definiri per se, sumpto ly definito per se pro eo, quod per se intenditur explicari, seu cujus notitia per se intenditur à definiente.

Dices secundò contra secundam partem. Secunda intentio generis debet posse definiri per se, sumpto ly definito per se pro eo quod per essentialia definitur: sed dato quod in hoc sensu definiatur, non aliter videtur definiri posse, quam per definitionem adductam ex Porphirio, qua scilicet definitur, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid: Ergo in præfata definitione habet secunda intentio generis definiri per se, sumpto ly definito per se in utroque sensu, sive non tantum pro eo quod per se intenditur explicari, sed etiam pro eo quod per essentialia explicatur.

Respondeo Concedendo quidem Majorem, quod scilicet secunda hæc intentio, & sic de cæteris, debet posse per essentialia definiri & explicari. Cum constet secundas etiam intentiones in genere suo intrinsecè & formaliter distingui; addendo tamen, quod sicut difficile est assignare differentias essentiales substantiarum, adeo ut ex mente Philosophi non nisi de unius substantiæ, scilicet hominis differentiâ essentiali certi simus; & insuper sicut difficilius est cognoscere & assignare differentias essentiales accidentium ob magis diminutam eorumdem entitatem, ita & difficillimum est cognoscere & assignare differentias essentiales entium rationis, seu secundarum intentionum in se, seclusa consideratione fundamenti; ac proinde etsi absolutè loquendo possit secunda intentio generis definiri per se sive per essentialia, adeo tamen difficulter hoc fieri potest, ut vix putem fieri posse ab humano intellectu pro hoc morrali statu. Concessa igitur absolutè Majori nego minorem. Etenim si definire velis secundam intentionem generis per se in hoc secundo sensu, sive per essentialia, non debes nec potes per præfatam Porphirii definitionem explicare, ut constat ex præfatione supra adductâ, sed debes dicere: genus est ens rationis A, apponendo ly A pro differentia intrinseca essentiali & quidditativa quam ignoramus; & simpliciter loquendo de specie debes dicere: species est ens rationis B, & sic de cæteris.

Colliges pro complemento quæstionis hujus de genere, quod diversimodè accipitur genus à grammatico, qui scilicet dicit quod genus est exploratio sexus, & à Logico qui dicit quod genus est quoddam prædicabile. Item quod nec accipimus hîc genus, prout dicitur aliquorum genealogia consanguinitatis, vel prout est multorum collectio, sed solum dicitur genus talis intentio, quæ convenit rei, prout ei plures species supponuntur, ut animali bos, homo, & asinus. Genus autem sic sumptum dividitur in generalissimum & subalternum. Generalissimum dicitur genus quod dicitur de illo, quod non habet aliquod genus supra se; & hoc modo quia substantia in genere non habet supra se genus aliud, dicitur genus generalissimum; sed quia corpus, & animatum habent supra se substantiam dicuntur genera subalterna.

CAPUT
DE SPECIE.
QUÆSTIO VII.

Vtrum intentio speciei prædicabilis convenire possit naturæ creatæ, cui plura repugnant individua.

PRæmittendum primò, Quod cum duplex sit respectus in specie, alter scilicet ad genus, prout genus illi superius de illa prædicatur, & secundum quem respectum dicitur species generi subjicibilis; alter verò respectus ad individua, quatenus species ut superior respicit illa, & secundum quem dicitur species prædicabilis, ideo secundum duplicem istum respectum diversimodè definitur species à Porphyrio; quatenus enim subjicitur, definitur sic; *Species est quæ subjicitur generi, & de qua genus in eo quod quid prædicatur*: juxta verò secundum respectum definitur ab eodem Porphyrio *id, quod præ-*

prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid. Utramque autem prædictam definitionem bonam esse solet communiter concedi. Enim verò quia species in ratione subjicibilis est correlativum ad genus, non melius quam per subjectionem ad genus ut de ipsa in quid prædicabile potest talis ejus ratio subjicibilis explicari: Ergo cum sic per prædictam definitionem explicetur, optima consequenter est talis definitio, sive ut diximus in quæstiuncula præcedenti definitiva descriptio. Similiter quia in altera definitione definitur species ut universalis, optimè per consequens definitur in ordine ad inferiora in quo cum omnibus universalibus convenit: sicut & in ordine ad certa inferiora, puta solo numero differentia; in quo similiter ut in superioribus dictum fuit ab iisdem universalibus differt: nullum namque aliorum prædicabilium habet ex propria ratione prædicari exigere prædicari de pluribus solo numero differentibus, ut habet species; tum quia si hoc haberet differentia verbi gratia, & hoc haberet omnis differentia, quod tamen est falsum, cum hoc non habeat differentia subalterna; tum quia cum habeat species ex propria ratione prædicari & exigere prædicari ut tota essentia, consequenter fit quod plura de quibus prædicatur, cum conveniant in tota essentia, non possint nisi solo numero differre & · lurificari; ideoque cum sola hoc habeat species, prædicari scilicet ut tota essentia, sola etiam habet ex propria ratione & exigentia prædicari de pluribus solo numero differentibus. Addo quod per ly *in eo quod quid*, quod quidem supponit pro quidditate completa sufficienter etiam distinguitur species ab aliis universalibus, sive prædicabilibus cum ergo in hac assignetur definitione per quid conveniat & differat, bona consequenter est & hæc secunda definitio.

Circa tamen definitionem primam una occurrit difficultas, quæ certè eo modo quo communiter solvitur, non plenè, meo judicio, evacuatur. Hanc autem propono sic: non tantum species, sed etiam individuum habet subjici generi, habetque genus de eo, in eo quod quid prædicari; Ergo prima illa definitio speciei alteri competit à definito. Ad hoc ex communi solutione respondetur, quod individuum mediate tantum seu mediante specie subjicitur generi: in definitione autem præfata speciei, de subjectione immediata ad genus & de generis immediata prædicatione fit sermo: Sed contra; individuum genericum verbi gratia hoc animal, hoc corpus habet immediatè, non mediante specie subjici generi: Ergo nulla solutio.

Nota.

Pro-

Probatur antecedens: si hoc animal subjiceretur generi seu animali mediante specie, vel subjiceretur mediis omnibus, vel media aliqua determinata: sed non mediis omnibus, quia unum individuum non potest esse individuum omnium specierum, ut mediis illis omnibus subjiciatur: sed neque subjicitur media aliqua specie determinata, cum enim ly hoc animal non sit magis individuum speciei humanæ, quam equinæ, non est cur magis media specie humana quam equina subjiciatur generi; Ergo verum quod prius.

Ad hoc argumentum respondent aliqui negando dari individua illa generica, eo quod inquiunt individua non reperiuntur nisi determinata per ultimas specificas & individuales differentias. Sed contra istud est instantia manifesta. Etenim viso à Longè aliquo animali quod movetur, concipimus illud esse aliquod individuum animalis, non concipiendo an illud sit individuum naturæ rationalis vel irrationalis: Ergo si à duobus individuis animalis sic in confuso conceptis vellet aliquis abstrahere naturam communem, solùm posset illam abstrahere ut communem prædictis individuis generis, non autem ut communem prædictis individuis specificis, quia non habuit speciem alicujus individui specifici: Ergo quantumcumque à parte rei sit determinatum omne individuum per ultimas differentias specificas & individuales, sive quantumcumque sint idem à parte rei & realiter & formaliter hoc animal & hoc rationale, adhuc tamen possumus per intellectum habere hoc animal abstractum ab hoc rationali, sicut & irrationali, subindeque & individuum genericum. Unde respondeo ego quod individua illa generica subjiciuntur quidem generi etiam immediatè, non tamen quatenus genus est [quod requiritur ad subjectionem in hac speciei definitione requisitam] sed quatenus genus illud est quædam species, seu rationem habet speciei; cujus quidem ratio est, quia comparatum animal verbi gratia ad hoc animal, non accipitur tunc ut contrahibile per differentias, dicitque in actu totam talium individuorum essentiam, siquidem animal actu dicit vivens sensibile, quod est tota essentia hujus animalis inquantum hoc animal est.

Præmittendum 2. Quod cum naturæ angelicæ tales sint, ut in præsenti supponantur esse, quibus scilicet plura repugnet habere individua, sive quibus repugnet numericè multiplicari, nisi multiplicatis specificè; propterea quod cum tales naturæ sint immateriales seu carentes compositione ex materia & forma, habeant quod sint omnino simplices in ratione naturæ, *Nota.* adeo

adeo ut minimè sit composita natura à parte rei, nec consequenter ut singularis, licet deinde sit componens cum existentia, consequenter fit quod in iis verificetur, quod per idem nedum formaliter & proximè [quod etiam reperitur in nobis] sed etiam radicaliter constituantur & in esse naturæ & in esse hujus naturæ, ac proinde cum idem sit principium constitutivum & distinctivum, ulterius sequitur quod non possint ab alio differre in esse hujus seu talis naturæ, quod est differre numero, quin hoc ipso & differant in esse naturæ, quod est differre specificè, adeoque quod multiplicari non possint solo numero seu individualiter tantum: cum igitur naturæ angelicæ tales supponantur, quibus scilicet plura repugnant individua seu individualiter solum distincta, de iis propterea procedit in præsenti quæsitum tituli; an illæ scilicet possint rationem seu intentionem habere speciei prædicabilis. Procedit autem insuper quæsitum de intentione speciei non subjicibilis sed prædicabilis: supponitur namque ut indubitatum quamlibet naturam angelicam habere intentionem speciei subjicibilis, cum quælibet talis natura utpote potentialis & limitata in suo conceptu, nec actus purus, composita sit ex genere & differentia, & immediate sub genere naturis omnibus angelicis communi & de omnibus illis prædicabili in quid collocetur, ac directè in prædicamento substantiæ quælibet illarum ponatur. Dubium igitur solum est de intentione speciei prædicabilis, seu speciei ut universalis: immo quia certum est posse illas habere intentionem speciei subjicibilis, & sub lite est, an etiam habere possint intentionem speciei prædicabilis, præsens propterea difficultas sub aliis terminis solet proponi, an videlicet omnis species subjicibilis possit etiam esse species prædicabilis. Porro etsi prima fronte videatur hîc concludendum negativè, propterea quod intentio hæc speciei prædicabilis plura exigit individua ad quæ possit comparari, & ita fieri una in multis, quæ tamen ut diximus repugnant in natura angelica, nihilominus re seriò ponderata & examinata verior haud dubiè est affirmativa, cum à nobis qui nihil habemus in intellectu quin prius fuerit in sensu, non intelligantur naturæ illæ, nisi ad modum rei materialis atque corporeæ, subindeque nec nisi per abstractionem ab individuatione singularisante intelligantur, ex qua solum videtur excludi universalitas à natura angelica sive referibilitas naturæ ad plura individua. Unde

Præmittendum ultimò, pro expositione principiorum, ad quæ veritas conclusionis reduci debet, quod hæc tria sunt

apud

apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu illatæ seu inferendæ conclusionis; puta quod *potest natura angelica in eo poni statu, in quo ad plura comparari possit, si essent*: quod *non habet prædicatum latius patere suo subjecto, nisi ratione universalitatis*: quod *universalitas non competit naturæ secundum se, sed secundum certum naturæ statum.* Quantum autem ad primum, quod scilicet possit natura angelica in eo poni statu, in quo ad plura comparari possit si essent, patet evidenter ex eo quod natura quælibet quæ poni potest in statu abstractionis, habet hoc ipso & ex vi talis status ita comparari ad ea à quibus est abstracta, ut & ad alia indifferenter comparari posset si essent, ac proinde cum natura angelica poni possit, immo non possit non poni ab intellectu nostro in statu abstractionis, seu attingi ut abstrahens à suâ differentiâ individuali, ut conceditur; & ex dictis supra colligitur: consequenter fit quod possit natura angelica in eo poni statu, in quo ad plura comparari possit, si essent, quantumvis impossibile sit talia esse; hoc autem placet hoc confirmare argumento, quod quidem, meo videri, est irrefragabile; arguo ergo sic. Non minùs implicat infinitas individuorum in alia natura creata, quam pluralitas in natura angelica: atqui hoc non obstante verificatur adhuc quod natura illa hoc ipso quod abstracta ad infinita comparari posset, si essent: Ergo & non obstante implicantia illa pluralitatis in natura angelica, adhuc verificari debet, quod natura illa hoc ipso quod abstracta ad plura possit comparari, si essent.

Jam verò quantum ad secundum, quod scilicet non habeat prædicatum latius patere suo subjecto nisi ratione universalitatis, constat etiam evidenter: prædicatum enim non habet latius patere suo subjecto, nisi inquantum aliis convenit à subjecto, & quidem sub eadem ratione; alias non esset idem prædicatum, nec consequenter latius patens: jam sic est quod posse prædicatum aliquod pluribus convenire sub eadem ratione, non tantum ex universalitate haberi potest, cum sit hoc ipso prædicatum unum in multis seu unum comparabile ad multa, in quo quidem consistit ipsum universale: Ergo verissimum est illud secundum, puta quod non habet prædicatum latiùs patere suo subjecto, nisi ratione universalitatis.

Tandem quantum ad tertium quod scilicet universalitas non competit naturæ secundum se, sed secundum certum naturæ statum, potest hæc hujus adduci ratio, dicendo scilicet quod illud quod comitatur & afficit naturam secundum se,

ipsam

ipsam afficit & comitatur pro omni statu; cum ex variatione statuum naturæ non propterea varietur natura secundum se: patet autem, quod universalitas non habet comitari naturam pro omni statu, cum pro statu singularitatis, vel etiam à parte rei ut ostensum fuit supra, non sit natura universalis: non ergo compètit naturæ secundum se universalitas, sed duntaxat in certo quodam statu. His ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Potest natura specifica angeli fieri universalis, seu intentionem habere speciei prædicabilis, quamvis in ea plura repugnent individua.*

Probatur primò, Ex primo præmisso principio, *potest natura angelica verbi gratia Gabrielis in eo poni statu, in quo ad plura comparari possit si essent*: Ergo potest natura angelica seu specifica angeli fieri universalis. *Probatur Consequentia*: natura quæ ad plura comparari potest per prædicationem sub conditione concepta est universalis: Ergo hoc ipso quod potest natura angelica comparari ad plura, si essent; est hoc ipso universalis. *Consequentia* est evidens; cum ly si essent supponat pro pluribus sub conditione conceptis. *Probatur antecedens*: quod non potest compati cum natura ut singulari, comitatur naturam ut universalem: sed posse per prædicationem comparari ad plura sub conditione concepta. Non potest compati cum natura ut singulari: Ergo comparari posse per prædicationem ad plura sub conditione concepta naturam arguit universalem. Major patet ex terminis. *Probatur Minor*: comparari posse naturam ad plura individua sub conditione concepta, est illam fieri posse, hoc, illud, & istud, si essent: sed quamdiu natura est singularis, non habet fieri posse, hoc, illud, & istud; cum tamdiu sit hæc, & ut hæc neget illud, & istud: Ergo posse naturam ad plura comparari sub conditione concepta, non potest compati cum natura ut singulari: Ergo posse comparari ad plura individua sub conditione concepta naturam arguit universalem: Ergo natura quæ ad plura comparari potest, si essent, est universalis: Ergo hoc ipso quod natura angelica potest in eo poni statu, in quo ad plura comparari possit, si essent [quod est primum præmissum principium] est hoc ipso universalis.

Probatur secundò, Ex secundo præmisso principio. *Non habet prædicatum latius patere suo subjecto, nisi ratione universalitatis*: Ergo natura specifica Angeli rationem habet speciei prædicabilis seu universalis. *Probatur Consequentia*: habere

potest natura specifica Angeli rationem prædicati latius patentis: Ergo hoc ipso quod non est prædicatum latius patens suo subjecto, nisi quia universale, habet hoc ipso sive habere potest species angelica rationem universalis speciei. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens:* abstracta species angelica à suo individuo est respectu ejusdem prædicatum latius patens: Sed potest species angelica à suo abstrahi individuo: Ergo & habere potest species angelica seu natura specifica Angeli rationem prædicati latius patentis. *Minor* conceditur & supponitur ex dictis supra in præmissis. *Probatur Major:* prædicatum quod potest aliis competere à subjecto, facta suppositione quod essent, non potest non esse latius patens, cum subjectum ex sui limitatione nec absolutè, nec ex suppositione aliqua possit aliis ita competere: Sed abstracta species angelica à suo individuo posset aliis competere à subjecto, seu à reali individuo, si essent ut conceditur, & constat ex primo præmisso principio: Ergo abstracta species angelica à suo individuo est respectu ejusdem prædicatum latius patens: Ergo habere potest natura specifica Angeli rationem prædicati latius patentis erga suum individuum: Ergo hoc ipso quod non habet prædicatum latius patere suo subjecto nisi ratione universalitatis, [quod est secundum præmissum principium,] potest hoc ipso natura angelica rationem habere speciei prædicabilis, sive universalis.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, *universalitas non competit naturæ secundum se, sed secundum certum naturæ statum:* Ergo potest natura seu species angelica fieri universalis. *Probatur consequentia:* quantumcumque repugnet universalitas naturæ angelicæ secundum se consideratæ, non pugnat tamen in certo quodam illius statu: Ergo hoc ipso quod universalitas non competit naturæ secundum se, sed secundum certum naturæ statum, potest hoc ipso natura angelica fieri universalis. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens:* Intantum repugnat universalitas naturæ angelicæ, quantum repugnat plura in ea haberi seu concipi individua: Sed non repugnat in certo quodam illius statu plura in ea concipi individua: Ergo non repugnat universalitas naturæ angelicæ pro certo quodam illius statu. *Major* conceditur, quò est unicum adversariorum fundamentum. *Probatur Minor:* repugnantia in natura angelica ad plura individua non est ratione individuationis naturæ; Sed in certo quodam sui statu est natura illa, seu perinde se habet, ac si esset sine

individuatione: Ergo in certo quodam illius statu non repugnat plura in ea concipi sive haberi individua. *Minor* est certissima: in statu namque abstractionis præscindit hujusmodi natura à sui individuatione, quod est perinde se habere, ac si esset sine individuatione. *Major* autem, præter quam quod est expressus terminus ex D. Thoma, *quæst. de spiritualibus creaturis, art.* 8. *ad* 4. probatur sic. Quod est per se primo tale, est ratio & causa, cur cætera sint talia; Sed immultiplicabilitas seu repugnantia multiplicabilitatis in plura individua convenit per se primo individuo; cum hoc in ejus ponatur definitione, utpote quod definiri solet, quod de uno tantum prædicatur: Ergo repugnantia in natura angelica ad plura individua non est nisi ratione individuationis naturæ; Ergo non repugnat plura in ea concipi individua in certo quodam illius statu, in statu scilicet abstractionis ab individuatione: Ergo quantumcumque repugnet universalitas naturæ angelicæ secundum se, ei tamen non repugnat, pro certo quodam illius statu: Ergo hoc ipso quod universalitas non competit naturæ secundum se, sed secundum certum naturæ statum [quod est tertium præmissum principium,] potest natura specifica fieri universalis, sive intentionem habere prædicabilis speciei.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Objicies 1. Non potest esse prædicabile sine subjicibili: Sed subjicibilitas correspondens prædicabilitati speciei esse non potest in natura angelica: Ergo nec esse potest in ea prædicabilitas speciei. *Major* per se patet correlativorum enim [qualia sunt prædicabile & subjicibile] unum non potest esse sine altero. *Probatur Minor:* subjicibilitas correspondens prædicabilitati speciei non est existens nisi in pluribus individuis prout subjicibilibus: Sed sub nulla prorsus ratione sunt in natura angelica plura individua subjicibilia: Ergo nec esse potest in illa subjicibilitas correspondens prædicabilitati speciei. *Major* est certa, cum terminus relationis prædicabilis sive universalis sint multa, juxta definitionem illam quæ afferri solet universalis, qua definiri solet unum in multis & de multis. *Probatur Minor:* nulla alia imaginari possunt individua quam vel realia existentia aut possibilia, vel rationis: Sed nec illa nec ista sunt in natura angelica subjicibilia; Ergo sub nulla prorsus ratione sunt in natura angelica plura individua subjicibilia. *Major* per se patet, *Minor* quoad primam partem similiter

patet, cum talia realia individua supponantur in natura lica impossibilia. Unde probatur quoad secundam partem ia sola videtur esse dubium: individua subjicibilia debent alia, quod de iis & prædicetur natura specifica, & de iis ibus prædicetur univocè; Sed de individuis rationis non st natura realis qualis est angelica formaliter prædicari, ut patet; nec de iis omnibus prædicari potest univocè, cum ejus individuo puta Gabrieli, & individuis rationis nihil possit univocè commune, ut similiter per se patet: Ergo non possunt in natura angelica plura individua sive realia ationis subjicibilia.

spondeo Negando minorem primi & secundi argumenti: ur namque in natura angelica plura individua quantum et requiritur dari ad subjicibilitatem quæ correspondet icabilitati sive universalitati speciei. Ratio autem hujus uia ad hoc ut habeatur prædicabilitas speciei, subinde & subjicibilitas ei correspondens, requiritur ut solum & sufplura dari sub conditione, ad quæ omnia ita sub condi- concepta possit natura specifica una manens comparari ferri, sive de illis prædicari posse; cum ita prædicari pospluribus sub conditione conceptis competere non posturæ inquantum singulari, ut supra ex stimo demonstrasm sic est, quod non obstante repugnantiâ plurium indiorum absolutè loquendo in natura angelica, adhuc stat dari individua plura sub conditione concepta ad quæ ita parari possit natura angelica, cum adhuc stet posse natuillam à suo abstrahi individuo, ex quo quidem abstractioatu habet ita ad illud comparari per prædicationem ut ia comparari possit si essent, sicut & natura humana, veratia, ex vi suæ abstractionis ita habet comparari ad sua, ut a ad infinita comparari possent, si essent, quantumvis hæc in ea impossibilia: Ergo falsum est non dari in natura lica plura individua; quantum requiritur ut sint plura cibilia. Unde ad tertium argumentum nego majorem, dem præter individua realia existentia ut possibilia, & inua rationis dantur individua realia sub conditione con-, quæ quidem sufficiunt ad terminandam prædicabilitaive relationem universalitatis speciei, subindeque & ad ufficiunt ut plura dentur in natura angelica subjicibilia. propter concedo quidem individua illa ad quæ ut sublia refertur prædicabilitas speciei, esse non posse inua rationis, ut bene probat argumentum propositum,

 sed

ſed nego quod præter iſta eſſe non poſſint alia,ad quæ poſſit terminari prædicabilitas ſpeciei,quandoquidem hæc ſufficienter terminatur ad plura realia,non quidem exiſtentia aut poſſibilia,ſed ſub conditione concepta,qualia adhuc admitti debent in natura angelica ut probatum fuit.

Inſtabis: individua illa ita ſub conditione concepta ſunt individua rationis,ſive ab intellectu conficta: Ergo ex eo quod talia dentur individua,non propterea dantur quæ ſint ſubjicibilia prædicabilitati ſpeciei. *Conſequentia* evidenter colligitur ex dictis ſupra. *Probatur antecedens:* reale ens dividitur ex prima ſui diviſione in actum & potentiam, ſive in ens in actu,& in ens poſſibile; Sed præfata individua ita ſub conditione concepta nec ſunt in actu ſive exiſtentia in natura angelica,nec in potentia,ſeu poſſibilia ut ſupponitur: Ergo individua illa ita ſub conditione concepta non ſunt realia ſed rationis.

Reſpondeo Negando antecedens. Etenim de individuis rationis non tantum verificatur, ſi eſſent; ſed etiam verificatur quod ſunt: jam ſic eſt, [quod de præfatis individuis ita ſub conditione conceptis ſolum verificatur ſi eſſent: Ergo non ſunt nec dici debent individua rationis. Addo quod de hujuſmodi individuis conceptis ſub hac conditione,ſi eſſent, verificatur,verbi gratia,quod varias elicerent reales intellectiones, ut per ſe patet: hoc autem verificari non poſſe de individuis rationis patet ſimiliter per ſe: Ergo falſum eſt illud antecedens, quod ſcilicet præfata individua ita ſub conditione concepta ſint individua rationis. Unde ad probationem diſtinguo majorem,reale ens dividitur in ens in actu & in ens poſſibile,loquendo de ente abſoluto,ſive quod abſolutè eſt. Concedo; loquendo de ente conditionato,ſive exiſtente ſolum ſub conditione,ſive de ente reali ut abſtrahit ab abſoluto & conditionato,Nego; ens namque reale, quod eſt ſolum ſub hac conditione ſi eſſet,nec exigit eſſe in actu,nec etiam ſimpliciter exigit eſſe poſſe; ſed ſolum exigit quod aliquid reale de illo verificaretur ſi eſſet; cum hoc ipſo quod reale quid de illo verificaretur ſi eſſet,dici non poſſit ens tantum rationis,ex eo quod de hoc ſub nulla ratione verificari poſſit quid reale: quamvis ergo præfata individua naturæ angelicæ nec ſint in actu, nec ſint poſſibilia,adhuc tamen realia dici debent ſub conditione, non rationis,cum de illis reale quid verificaretur ſi eſſent, puta cum de illis prædicaretur natura ſpecifica Angeli quæ realis eſt,ut dictum fuit ſupra.

Objicies 2. Hoc ipſo quod natura angelica etiam ut à nobis conci-

concipitur denudari non potest ab omni singularitate, non potest hoc ipso fieri universalis,seu prædicabilis: Sed de facto ita se habet natura angelica,etiam ut à nobis concipitur: Ergo non potest ullo modo natura angelica fieri universalis *Probatur Minor*: non potest natura angelica etiam à nobis concipi sine prædicato suo generico: Sed ex prædicato suo generico importat singularitatem: Ergo non potest natura angelica etiam ut à nobis concipitur ab omni denudari singularitate. *Major* per se patet,alias conciperetur natura angelica,& tamen non conciperetur, cum conciperetur esse sine eo quo habet esse,aut sine quo non habet esse. *Probatur Minor*: esse irreceptibilem in materia est prædicatum genericum angeli: sed angelus singularisatur & individuatur per esse irreceptibilem in materia: Ergo angelus ex prædicato suo generico importat singularitatem. *Major* videtur certa,cum conveniant singuli angeli in eo quod sint irreceptibiles in materia. *Probatur Minor*: & quidem ratione quam ad hoc probandum affert patronus meus amantissimus divus Thomas *quæst. unica de spiritualibus creaturis,art.8.ad 4.* non minus excludit communitatem universalis quod de multis prædicatur, subindeque & singularitatem importat non posse esse in aliquo,seu in materia, quam esse in aliquo,seu in materia,sed ita esse in aliquo excludit communitatem universalis, & importat singularitatem; forma namque quæ est in subjecto vel materia individuatur per hoc,& per hoc excludit communitatem universalis: Ergo & individuatur natura angelica per hoc quod non est nata in aliquo recipi, subindeque & per hoc quod est irreceptibilis in materia.

Respondeo negando minorem,natura namque angelica, & si à nobis non concipiatur corporea & materialis, ad modum tamen rei corporeæ & materialis concipitur,cum non nisi per species sensibilium & materialium ad eorum notitiam deveniamus; ac proinde cum proprius modus concipiendi rem corpoream & materialem, sit eam concipere per abstractionem à singularitate,sub ratione scilicet quidditatis sive naturæ,consequenter fit quod natura angelica, ut à nobis concipitur,concipiatur denudata à singularitate. Negari ergo debet minor: ad cujus probationem nego similiter minorem, ad tertium verò nego majorem,licet enim esse formam irreceptibilem in materia, per quod singularisatur & individuatur angelus, sit prædicatum essentiale naturæ angelicæ, quia ut dicemus, probabilius est singularitatem esse de essentia

cujuslibet Angeli, tamen sicut ipsa singularitas quantumvis essentialis non est prædicatum naturæ sed individui; alias non posset ab ea fieri abstractio; ita & naturam Angelicam esse formam irreceptabilem in materia, non est similiter prædicatum pertinens ad naturam, nec consequenter ad gradum genericum, sed ad singularitatem, ut ad speciale prædicatum. Quod autem hæc doctrina vera sit & legitima colligitur ex D. Thoma in allegato loco quæstionis de spiritualibus creaturis, ubi dicit & docet S. Doctor, quod naturam Angelicam non esse natam recipi in aliquo subjecto [quod quidem idem est ac illam esse irreceptibilem in materia] non pertinet ad rationem naturæ sed ad rationem individui; unde cum natura Angelica concipitur à nobis inadæquatè, ut natura videlicet, & non ut singularis & individua, non concipitur ut forma irreceptibilis in materia; quia solum concipimus tunc prędicata essentialia quę naturæ per modum & sub ratione naturæ conveniunt, & non per modum & sub ratione singularitatis.

Instabis: Prædicatum se tenens ex parte singularitatis, & non ex parte naturæ est prædicatum distinctivum unius ab altero, non autem assimulativum: Sed esse irreceptibilem in materia est prædicatum non distinctivum tantum, sed & assimilativum unius Angeli cum altero; cum sit quilibet irreceptus & irreceptibilis in materia: Ergo esse irreceptibilem in materia non est prædicatum se tenens tantum ex parte singularitatis, sed etiam ex parte naturæ.

Respondeo Distinguendo majorem: prædicatum se tenens ex parte singularitatis & non ex parte naturæ est prædicatum distinctivum tantum, non autem assimmulativum, sumpto ly prædicato in actu exercito, Concedo: sumpto in actu signato Nego. Similiter distinguo minorem: Sed esse irreceptibilem in materia est prædicatum non distinctivum tantum, sed etiam assimilativum, sumpto ly irreceptibili in materia in actu signato, Concedo minorem, quod scilicet sit prædicatum assimilativum: sumpto, ut in præsenti sumitur, in actu exercito Nego minorem & consequentiam. Pro quo notandum est quod sicut ly recipi in materia, per quod dicitur forma materialis singularisari & individuari, imò & ipsa singularitas potest considerari dupliciter, vel in actu signato quando scilicet spectatur ut sic & in communi, vel in actu exercito quando scilicet consideratur ut exercet ipsum munus singularitatis, sive quando consideratur ut exercet id quod est recipi in materia seu in subjecto; adeo ut licet consideratum

in

in communi & in actu signato, non sit tantum distinctivum sed etiam assimilativum, cum omnes materiales formæ assimilentur in hoc quod est recipi in subjecto, nihilominus consideratum in actu exercito sit solummodo distinctivum cum per hoc & hoc ipso quod exercet forma id quod est recipi in subjecto, non propterea aliæ formæ idem exerceant, cum hoc idem exercet etiam si unica supponeretur forma: ita similiter Philosophandum est in præsenti, & dicendum quod licet esse irreceptibilem in materia, quod quidem prædicatum diximus se tenere cum Divo Thoma ex parte solum singularitatis, non autem ex parte naturæ, sensu supra in præcedenti solutione exposito, licet inquam prædicatum illud consideratum in actu signato seu secundum rationem suam communem & ut sic, sit assimilativum, inquantum scilicet in eo communicant singuli Angeli, nihilominus consideratum hoc idem prædicatum in actu exercito est solummodo distinctivum, subindeque & se tenens tantum ex parte singularitatis, non autem ex parte naturæ, cum per hoc & hoc ipso quod exercetur in Gabriele, v. g. id quod est in nullo recipi subjecto, non propterea hoc in aliis exerceatur cum hoc idem in isto exerceretur, & alij non supponerentur Angeli.

Objicies tertiò, Ubicumque singularitas est prædicatum essentiale, non potest ibi induci universalitas: sed singularitas est prædicatum essentiale naturæ Angelicæ: Ergo non potest natura Angelica fieri universalis. Minor colligitur ex ratione supra adducta in præmissis ad probandam repugnantiam ad plura individua in natura Angelica; & est haud dubiè juxta mentem S. Doctoris *p. 1. quæst. 13. art. 9.* ubi habet quod formæ subsistentes, scilicet Angeli si intelligerentur secundum quod sunt in seipsis, non possent communicari nec in re nec ratione, subindeque nec sine singularitate concipi. *Probatur Major*: universalitas naturam afficit secundum certum naturæ statum; sed nullus est assignabilis status in quo natura essentialiter singularis possit affici universalitate: Ergo ubicumque singularitas est essentialis non potest ibi induci universalitas *Probatur min.* & quidem ex D. Thoma *c. de ente & essentia*: id, inquit ibi S. Doctor; *quod essentialiter alicui competit, semper & in quocumque statu debet ei convenire*: ergo hoc ipso quod singularitas est naturę essentialis, debet ei competere in omni statu: sed in statu pro quo est singularitas, induci non potest universalitas, ex eodē D. Thoma ibidem, ubi ait quod tunc oppositum in nullo potest statu ei convenire: ergo nullus est assignabilis status in quo na-

natura essentialiter singularis possit universalitate affici.

Respondeo Negando Majorem ita absolutè prolatam, cujus ratio est, quia quamtumvis singularitas sit prędicatū essentiale, potest tamen natura, cui ita essentialis est singularitas, adhuc inadæquatè concipi, cum possit ad huc attingi, imo & in præsenti casu de facto attingatur per abstractivam cognitionem, quæ quidem ad differentiam intuitivæ cognitionis attingentē rem ut præsentem & ut est in se & adæquatè, potest rem ita inadæquatè attingere; cum ergo possit natura illa, cui ita essentialis est singularitas, adhuc attingi & concipi inadæquatè, consequenter fit quod possit hæc attingi sub ratione naturæ præcisè, adeoque & quod in illo statu possit universalitate affici. Unde nego minorem sequentis argumenti: ad tertium vero distinguo majorem sic. Id, inquit divus Thomas, quod essentialiter alicui competit, semper & in quocumque statu etiam in statu per intellectum competit: Et loquitur ibi D. Thomas de re prout adęquatè & quidditativè concipitur concedo: & loquitur de re sive adæquatè sive inadęquatè conceptā nego antecedens: Et sub eadem distinctione concedo & nego consequentiam. Dico igitur quod illa propositio DiviThomæ, quod id quod convenit naturæ secundum se, in quocumque statu etiam prout in intellectu debet illi convenire, verificatur, si talis res adæquatè & quidditativè concipiatur, non autem si concipiatur inadæquatè; cum rei inadæquatè conceptæ minus haud dubiè conveniat quam eidem ut conceptæ adæquatè; & totum quod exigitur convenire naturæ adæquatè conceptæ; totum inquam illud sit, quod illud quod ei conveniat secundum se, ei conveniat pro omni statu: cum igitur natura angelica supponatur à nobis concipi inadæquatè, in quantum scilicet concepta ad modum rei corporeæ & per speciem sensibilium concipitur sub ratione naturæ, & non ut singularis, ex prima saltem & directa cognitione; consequenter fit quod non obstante dicto illo D. Thomæ supra citato, seu non obstante quod singularitas sit essentialis, adhuc sit assignabilis status, in quo sit denudatus à singularitate & potens affici universalitate.

Instabis: Non potest naturæ angelicæ tribui universalitas nisi cum fundamento in re: sed hoc ipso quod singularitas est ei essentialis non potest ei tribui cum fundamento in re; Ergo nec potest ei absolutè tribui, hoc ipso quod singularitas est ei essentialis. *Major* constat cum universalitas seu intentio speciei prædicabilis annumeretur inter entia rationis Logicalia,

ita, quæ quidem ad differentiam aliorum quæ sunt fictitia, habent fundamentum in re. *Probatur Minor*, loquendo in re & re ipsa non minùs est singularis Angelus quam Petrus: sed quia Petrus est ita singularis, non adest fundamentum tribuendi illi universalitatem: Ergo nec potest tribui Angelo, quæ habeat fundamentum in re. *Minor* per se patet. *Probatur Major*: esse tale essentialiter, est esse maximè tale: Ergo quod est tale essentialiter non potest esse minus tale: sed Angelus est & supponitur essentialiter singularis: Ergo non potest Angelus esse minùs singularis quam Petrus.

Respondent Communiter Thomistæ distinguendo Majorem, & illam quidem concedendo si sermo sit de fundamento in re proximo vel remoto; illam verò negando, si sermo tantum sit de fundamento proximo. Unde dicunt fundamentum quidem proximum universalitatis in natura angelica non non esse in re, sive in ipsa natura angelica, cum tale sit status ipse quem habet in intellectu nostro rei veluti corporeæ & à singularitate abstractæ; esse tamen in re seu in ipso Angelo fundamentum remotum, cum tale sit fundamentum distinctio quædam virtualis naturæ specificæ à singularitate; ex qua quidem distinctione oritur, quod natura illa ex modo nostro concipiendi abstrahi possit ab hujusmodi singularitate, quæ sola universalitatem impedit, quæque distinctio reperitur, inquiunt, in ipsa natura angelica, utpotè quæ adduat secundum se importat primario sua tantum prædicata essentialia, inter quæ non est singularitas sive immultiplicabilitas quæ solum ex illis consequitur, ex spiritualitate scilicet & immaterialitate. Hæc tamen doctrina etsi olim multum placuerit, hodie tamen attentiùs perpensa & ad librum sancti Doctoris iterum ponderata, non videtur mihi adeo firma, & multo minus totum dicenda fundamentum hujus nostræ sententiæ ut solent dicere præfati Thomistæ. Etenim certum est in via & doctrina Divi Thomæ desumpta *ex prima parte qua. 13. art. 9 in corpore* quod formæ simplices sive Angeli intellecti ut sunt in seipsis fieri non possunt communicabiles, nec consequenter universales, nec re nec ratione. Jam sic est quod ex præfata solutione videtur sequi posse Angelos etiam intellectos ut sunt in se fieri communicabiles & universales ratione, cum ex præfata solutione non sit singularitas seu immultiplicabiltas inter prædicata quæ primariò tanquam essentialia importat, subindeque & possit per propriam speciem subindeque & ut est in seipsum primarium Angeli sive ipsa Angeli essentia repræsentari, non repræ-

sentatâ & intellectâ ipsa singularitate: Non ergo videtur præfata solutionis doctrina adeò aut satis consona menti præceptoris nostri Angelici. Unde hac omissâ solutione

Respondeo Distinguendo Majorem sic: Non potest naturæ Angelicæ tribui universalitas, nisi cum fundamento in re, vel omni vel aliquo Concedo: nisi cum omni fundamento in re quod potest intentio universalitatis habere Nego: & sub eadem distinctione Minoris nego consequentiam: Dico igitur quod quamvis non possit universalitas naturæ Angelicæ omne in ea habere fundamentum in re, quod in aliis habere solet, cum in tali natura non supponatur unitas conformitatis seu convenientiæ, ut in aliis naturis reperiri solet; adhuc tamen potest aliquod in eâ habere fundamentum, ipsam scilicet perfectionem naturæ Angelicæ, sive simplicitatem summam & omnimodam immaterialitatem, ex qua quidem fit quod ab intellectu nostro, qui corporeus est quantum ad modum, attingi non possit ut est in se sive ut Angelus simul & hic Angelus, sed attingatur sub ratione naturæ priusquam attingatur sub ratione singularis naturæ; cum autem in hoc ejus fundetur universalitas, immo & super hoc formetur, consequenter fit, quod in natura Angelica sit fundamentum aliquod universalitatis: jam sic est, quod ad universalitatem unum abundè sufficit fundamentum, nec requiritur quod omne habeatur quod haberi potest aut solet; cum per hoc præcisè quod aliquod habetur fundamentum condistinguatur ab entibus rationis fictitiis, subindeque & inter Logicalia annumeretur: Ergo potest universalitas naturæ tribui Angelicæ cum fundamento in re, quantum saltem requiritur ut sit universalitas, Logicalis & non fictitia. Unde ad probationem distinguo claritatis gratia majorem sic. Loquendo in re & reipsa, non minùs singularis est Angelus quam Petrus: si fiat loquutio de re absolutè sumpta, & secluso ordine ad eamdem ut conceptam & significatam Concedo: Si autem loquutio illa fiat de re ut concepta & significata Nego Majorem, quod scilicet non minùs singularis sit Angelus quam Petrus similiter distinguo Minorem: Sed quia Petrus est singularis fundare non potest universalitatem, præcisè quia singularis est nego Minorem: quia singularis est & semper, significatus talis per hoc nomen Petrus concedo Minorem & nego consequentiam. Non ergo dicitur Petrus excludere universalitatem præcisè quia est essentialiter singularis, cum in re essentialiter singulari adhuc detur locus duos formandi conceptus

ceptus & quidem de natura sub ratione naturæ, & alterum sub ratione hujus naturæ, vel ex dictis colligitur: sed ideo dicitur Petrus fundare non posse universalitatem, quia inquantum significatur per hoc nomen Petrus, quod quidem est proprium nomen individui, significatur semper, subindeque & semper concipitur ut singularis; & hinc libenter concedo, quod nec posset concipi ut universalis seu universalitatem fundare Angelus ut significatur per aliquod nomen proprium individui aut per hoc nomen, hic Angelus; bene tamen ut significatur per nomen naturæ, quia licet naturæ significatæ essentialiter comperat singularitas, potest tamen intellectus ita significatam illam concipere ut naturam, & non ut individuam & singularem.

Objicies quartò, si posset naturæ angelicæ tribui universalitas, posset & tribui naturæ divinæ: sed falsum est posse tribui divinæ naturæ: Ergo & falsum quod tribui possit naturæ angelicæ. *Minor* solet communiter admitti ab omnibus; & patet ex eo quod universalitas importat potentialitatem & determinabilitatem, quæ quidem divinæ naturæ etiam ut à nobis conceptæ repugnat, cum etiam ut à nobis concipitur concipiatur actus purus. *Probatur Major:* ideo tribui potest naturæ angelicæ universalitas ex modo nostro concipiendi, quia ex eo concipitur & attingitur ut natura, & non ut individua: sed hoc idem verificaretur de natura divina: Ergo & posset naturæ divinæ tribui universalitas, si tribui posset naturæ angelicæ. *Major* constat ex dictis supra in probanda conclusione; ex tali namque modo concipiendi sub ratione naturæ, & non sub ratione individui, assumitur fundamentum illam comparandi ad plura individua sub conditione concepta, si darentur, subindeque & illi tribuendi intentionem universalitatis & speciei prædicabilis. *Probatur Minor:* ideò à nobis concipitur natura angelica sub ratione naturæ, & non sub ratione individui, quia abstractivè concipitur, & ad modum rei materialis: sed etiam divina natura à nobis abstractivè concipitur & ad modum rei materialis: Ergo & de divina natura hoc idem verificaretur quod de natura angelica.

Respondent ad hoc communiter Thomistæ negando paritatem Majoris, pro cujus assignandâ disparitate dicunt quod natura specifica angeli ex modo nostro intelligendi abstrahitur à singularitate nedum exercitâ hic & nunc, quæ est ipsi, inquiunt, omnino accidentalis, sed etiam signatâ & veluti vagâ, quæ non est de primaria ejus ratione, sed se habet, aiunt,

aiunt, ut proprietas ejus Logicalis, quatenus ex eo quod est immaterialis consequitur per modum cujusdam attributi necessarii, quod sit numero immultiplicabilis & individua; quemadmodum ex eo quod substantia non sit in subjecto, consequitur ut proprietas attributalis & indistincta, quod non habeat contrarium. At verò natura divina, licet quâ parte concipitur à nobis imperfectissimè, ad modum etiam rei corporeæ intelligatur ut abstracta à singularitate exercitâ quæ est extra rationem ejus sic conceptæ, non abstrahit tamen à singularitate signatâ quæ est ipsi essentialis etiam ex nostro modo intelligendi, ita ut, inquiunt, sive illâ implicet formati conceptum Dei, quicumque ille sit, cùm nomine Dei intelligatur ab omnibus ens aliquod supra omne ens, subindeque aliquid quod non potest intelligi nisi unum, adeoque & individuum. Hoc unum est quod semper audivi responsum & respondendum ad argumentum propositum, contra quod tamen duo instant argumenta non ita, meo judicio, solutu facilia: primò namque insto sic. Ex hoc responso non potest Deus etiam ex nostro concipiendi modo apprehendi & concipi sine singularitate in actu signato: Ergo singularitas illa signata, sine qua non potest à nobis Deus concipi, est Deus ipse, seu ingreditur conceptum deitatis: sed singularitas illa in actu signato rationem habet communis universalis & determinabilis comparativè ad singularitatem exercitam, hanc scilicet vel illam: Ergo ex hoc responso potest Deus seu aliquid ingrediens conceptum deitatis habere rationem universalis, sicque contra responsi intentum, responsum militat: secundo, non minus essentialis est Deo singularitas in actu exercito, quam singularitas in actu signato: immò sola exercita est illi essentialis, cùm Deus ex essentialissimo sui conceptu sit actus purus, ex quo essentialiter petit omnia habere in actu exercito: sed quantumcumque sit hæc illi essentialis, adhuc ex præfato responso potest Deus concipi sine singularitate exercitâ, ex eo quod concipitur ad modum rei corporeæ: Ergo & quantumcumque sit ei essentialis singularitas in actu signato, adhuc ex eodem capite poterit sine tali concipi singularitate. Hâc ergo omissâ solutione.

Respondeo Distinguendo majorem sic: si posset naturæ angelicæ tribui universalitas, posset & tribui divinæ, loquendo ut de facto loquimur de universalitate determinatâ, puta pro aliqua ex quinque universalibus, Nego: loquendo de universalitate supponente pro aliqua communitate, Concedo; similiter distinguo minorem: sed falsum est tribui posse universalita-

salitatem naturæ divinæ, loquendo de universalitate determinatâ & propriâ, Concedo: loquendo de universalitate supponente pro aliqua communitate, Nego minorem, & consequentiam. Dico ergo quod quamvis cum communi Thomistarum sententiâ standum sit, in eo scilicet quod asserit quod naturæ divinæ ut sic, etiam ut à nobis conceptæ non potest tribui nec accommodari intentio determinatæ seu propriæ universalitatis quæ scilicet in quinque dividi solet prædicabilia, propterea quod nec aliqua intentio ex quatuor prædicabilibus potest illi attribui præter speciem, cum ad id intellectus nullum in natura divina, etiam ut sic concepta inveniat fundamentum: sed nec intentionem speciei prædicabilis potest illi tribuere, quia ad hujusmodi intentionem requiritur ut fundamentum in natura ab illâ denominabili compositio ex genere & differentia, quæ quidem nec per intellectum fieri potest in natura divina, ut in præsenti supponimus; quamvis ergo in hoc communi Thomistarum solutioni standum putem, cum hoc tamen stat quod si sermo fiat de universalitate non propriâ & determinatâ, sensu exposito, sed prout supponit pro aliquali communitate, admittenda sit ex nostro modo concipiendi ad modum rei corporeæ, communitas seu universalitas aliqua in natura divina, nec, ut ingenuè fatear, puto ego in eo assignari posse discrimen inter naturam angelicam & divinam. Hoc autem colligo primo ex D. Thoma qui 1. *part. quæst.* 13. *art.* 9. hoc toto suo discursu infra citando videtur concludere; unde & hoc idem concedit Cajetanus fidelissimus sancti Doctoris interpres, *c.* 5. *de ente & essentiâ q.* 9. *ad* 2. ubi postquam dixit quod natura angelica est prædicabilis de pluribus, prout objecta intellectui, subdit, *Quin immò ipsa quidditas divina hoc modo communis & universalis est* secundo hoc idem ex hoc colligo argumento, Hoc ipso quod natura divina sine eâ singularitate concipi potest, quæ est illi essentialis, hoc ipso poni potest ex tali concipiendi modo in statu aliquo communitatis & universalitatis: sed potest natura divina sine tali concipi singularitate quæ est ipsi essentialis; ergo & poni potest in statu aliquo universalitatis seu communitatis. *Major* patet ex dictis supra. *Probatur Minor*: non datur magis vel minus essentiale, cum omnis essentia consistat in indivisibili: Ergo hoc ipso quod potest concipi Angelus, verbi gratia, sine singularitate sibi essentiali, potest & sine illa concipi Deus: Sed potest concipi Angelus sine singularitate sibi essentiali, sive quod in idem redit, Sed singularitas, sine qua potest angelus concipi

est

est ipsi angelo essentialis ut patet ex dictis supra, & evidenter colligitur ex Divo Thoma supra citato, ubi ait quod si forma simplex scilicet angelus conciperetur, ut est in se, non posset tunc sine sua concipi singularitate, quod quidem dici non posset si talis singularitas non competeret angelo secundum se, subindeque & essentialiter: Ergo & potest Deus ex nostro modo concipiendi sine ea concipi singularitate, quæ est ipsi essentialis, subindeque & in aliquo poni statu communitatis & universalitatis, quamvis non propriæ, ut dictum fuit, ac determinatæ, & ut supponit pro intentione speciei prædicabilis, de qua est in præsenti sermo.

Instabis: Pro præfata Thomistarum solutione. Quantumcumque concipiatur natura divina ad modum rei corporeæ, adhuc concipitur à nobis actus purus: Ergo nulla potest affici universalitate sive communitate ex nostro concipiendi modo. *Antecedens* patet, tum quia demonstratur à nobis de tali natura quod sit actus purus, tum quia secluso actu puro à conceptu Dei, non amplius remanet Dei conceptus. *Probatur consequentia:* omne & quodcumque universale sive commune, est hoc ipso potentiale, cum sit hoc ipso determinabile: sed omnis potentialitas repugnat actui puro : Ergo hoc ipso quod à nobis concipitur Deus actus purus, non potest ex nostro concipiendi modo fieri universalis.

Respondeo Negando consequentiam. Ad cujus probationem respondeo primo retorquendo sic, omnis singularitas, imò & quodvis omne quod concipitur in actu signato & ut sic, est hoc ipso potentiale, cum sit hoc ipso determinabile per idem met sumptum in actu exercito : Sed omnis potentialitas repugnat actui puro : Ergo hoc ipso quod à nobis concipitur Deus actus purus, non potest ex nostro concipiendi modo attingi cum singularitate in actu signato, quod tamen negant præfati Thomistæ qui hanc proponunt instantiam, ut vidimus in eorumdem solutione supra relata; secundo aliter retorqueo argumentum, dicendo scilicet quod non minus repugnat angelo talis potentialitas & determinabilitas ad plura individua, quam repugnet Deo ut actui puro omnis potentialitas & determinabilitas, cum & illa repugnet angelo ex intrinsecis sicut & ista actui puro secundum se: sed hac non obstante repugnantiâ potest adhuc ex nostro concipiendi modo attingi natura angelica ut ad modum potentialis & determinabilis ad plura individua, ut nobiscum fatentur præfati Thomistæ: Ergo & poterit Deus ex nostro concipiendi modo attingi ad modum

dum determinabilis, quantumvis repugnet potentialitas actui puro; unde ut respondeam in forma distinguo majorem sic: omne & quodcumque universale sive commune est hoc ipso potentiale, potentialitate se habente cum suo actu seu determinativo ad modum impliciti & expliciti, sive includentis & inclusi, Concedo: potentialitate se habente cum actu suo ad modum excludentis & exclusi, Nego majorem. Similiter distinguo minorem: sed omnis potentialitas repugnat actui puro, si sermo sit de secunda potentialitate habente se ad actum suum ad modum excludentis & exclusi, Concedo: si autem sermo fiat de prima potentialitate per modum expliciti & impliciti: Nego minorem, & consequentiam. Dico igitur quod quamvis omnis potentialitas quæ comparatur ad actum suum tanquam excludens ad exclusum repugnet actui puro, propterea quod cum talis comparetur ad actum tanquam pars ad compartem, facit compositionem, quæ quidem repugnat simplicitati actus puri, & aliunde conceptus talis potentiæ cum non includat sed potius excludat actum, est simpliciter loquendo potentialis & actuabilis, quod similiter repugnat actui puro: nihilominus potentialitas illa quæ est ad actum tanquam implicitum ad explicitum minimè pugnat cum actu puro; cum sit aliquid ita potentiale per hoc præcisè quod non explicet aliquid in conceptu suo, quod quidem non repugnat puro actui, cum adhuc cum hoc stet quod sit actu illud, seu quod illud sibi actu identificet, ut patet tum in definito quod est actu illud quod est in definitione, licet illud non explicet, tum in misericordia divina quæ est actu ipsa perfectio justitiæ, estque actus purus. Ad illam licet illam in conceptu suo non importet explicitè: jam sic est, quod potentialitas quod importat de necessitate universale seu commune, non est potentialitas primi generis seu excludentis & exclusi, sed potentialitas secundi generis quæ est ad modum impliciti ad explicitum; tum quia universalitas illa prout supponit pro aliquali sive quacumque communitate convenit enti ut sic, utpote quod est analogicè saltem commune, & tamen certum est ens non posse se habere ad ea ad quæ comparatur ut commune quid, tanquam excludens ad exclusum, cum sit transcendens; tum quia universale seu commune prædicatur de eo ad quod universale est, quod verificari non posset si illud potius excluderet, aut ab illo excluderetur; tum denique quia universale prædicatur de eo ad quod universale est ut totum potentiale confusum, seu ut in confuso continens to-

tum

tum id quod in inferiori repetitur, ut concedi solet ab omnibus, quod haud dubiè non ita esset, si ab eo magis differret & distingueretur quam distingui solet implicitum ab explicito: Ergo potentialitas illa quam de necessitate importat universalitas seu communitas ut sic, non est potentialitas quæ repugnet actui puro.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa propositam difficultatem.

Respondeo D. Thomam apertè favere nostræ sententiæ, ejusque præcipuum insinuasse fundamentum. Primo quidem id colligo ex his quæ habet, *quæst. de spiritualibus creaturis art.* 8. *ad* 4. ubi hæc habet: *sicut hac albedo non prohibetur habere sub se multa individua, ex hoc quod est albedo, sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad rationem individui; ita natura hujus angeli non prohibetur esse in multis ex hoc quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc quod non est nata recipi in aliquo subjecto, quod pertinet ad rationem individui.* Hæc divus Thomas, ex quibus argumentor sic, individuo naturæ angelicæ, verbi gratia, Gabrieli vel huic angelo non repugnat ex divo Thoma plura habere individua ratione suæ naturæ specificæ ut talis, sed ratione suæ individuationis, & quia hic angelus est: Sed ut à nobis concipitur natura Gabrielis, non concipitur sub conceptu individui, sed præcisè sub conceptu naturæ, cum à nobis concipiatur per abstractionem à singularitate & sub ratione quidditatis: Ergo natura Gabrielis ut sic à nobis concepta non dicit ex divo Thoma repugnantiam ad plura individua, subindeque, & ut taliter à nobis concepta potest intentionem suscipere speciei prædicabilis.

Hoc idem secundò colligo, *ex prima parte quæst.* 13. *art.* 9. ubi hæc habet sanctus Doctor: *Omnis forma in supposito singulari existens communis est multis vel secundum rem, vel secundum rationem; sicut natura humana communis est multis secundum rem & rationem; natura autem solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum: potest enim natura Solis intelligi ut in pluribus suppositis existens; & hoc ideo quia intellectus intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem à singulari; ex quo fit quod esse in uno supposito vel in pluribus est præter intellectum naturæ speciei: unde servato intellectu naturæ speciei, potest intelligi ut in pluribus suppositis

positis existens. Hæc ille, ex quibus arguo sic. Ideo repugnat universalitas naturæ angelicæ, quia repugnat intelligi ut in pluribus individuis existentem: Sed ex divo Thoma hoc non repugnat servato intellectu seu conceptu naturæ speciei: Ergo servato intellectu naturæ specificæ angeli non repugnat ex divo Thoma fieri universalem: jam sic est, quod ut à nobis concipitur angelus, servatur ex eodem divo Thoma intellectus naturæ speciei, cum servetur per hoc quod concipitur natura per abstractionem à singularis, qui quidem concipiendi modus verificatur ex sancto Doctore supra citato de qualibet specie: Ergo ex divo Thoma potest absolutè loquendo fieri natura angelica universalis ex nostro concipiendi modo

Tertio tandem id colligo ex verbis, quæ post pauca ibidem subdit sanctus Doctor: ubi hæc habet: *Formæ vero quæ non individuantur per aliud suppositum, sed per seipsas, quia sunt formæ subsistentes, si intelligerentur secundum quod sunt in seipsis non possent communicari [pluribus scilicet] nec re nec ratione.* Hæc ille, ex quibus sic argui potest. Ex D. Thoma non possunt formæ, quæ per seipsas individuantur, ut sunt angeli, communes fieri per rationem hoc ipso quod intelliguntur secundum se & ut sunt in seipsis: Ergo sentit divus Thomas quod possent communes fieri per rationem hoc ipso quod non intelliguntur ut sunt in se, sed adinstar alterius puta ad modum rei corporeæ: Sed ita de facto à nobis intelliguntur pro hoc mortali statu: Ergo sentit divus Thomas absolutè loquendo quod possint naturæ angelicæ communes & universales fieri per rationem.

Colliges de ratione esse speciei ut prædicabilis, sive secundò intentionaliter acceptæ plura habere individua vel existentia, vel possibilia, vel saltem conditionaliter accepta, sensu supra in decursu quæstionis exposito; & quia omnino æquiparantur genus & species si secundo intentionaliter accipiantur, ideo sicut species plura individua, ita & genus plures exigit species, nec aliter salvari possunt ita secundo intentionaliter accepta; ut ex ipsis generis & speciei definitionibus planè colligitur. Dico autem si secundo intentionaliter accipiantur: nam de iis primo intentionaliter acceptis, sive acceptis pro substracto seu pro natura quæ denominatur genus vel species, non ita æquiparantur genus & species, aliterque philosophandum de genere & specie, atque dicendum quod quamvis naturæ illæ secundum quod sunt totum actuale, seu secundum quod dicunt actualiter in uno sufficienter salvari possint: unus enim Petrus

includit totum quod dicit homo actualiter, puta animal rationale, & unus homo includit totum quod dicit actualiter animal, puta vivens sensibile: si tamen naturæ illæ, generica scilicet & specifica considerentur secundum quod sunt totum quoddam potentiale, potentialiter continens sua inferiora tanquam partes subjectivas, erga quas potest suscipere intentionem prædicabilis, dico quod licet species ita considerata in uno salvari possit individuo, non tamen genus in unica specie. Ratio autem disparitatis, subindeque & utriusque probatio consistit in hoc, quod genus ut totum potentiale utpote intrinsecè determinabile & contrahibile per species respicit tanquam intrinsecè in ipsius potentialitate contentas; Ergo totum suum intrinsecum potentiale habere non potest nisi in omnibus & cum omnibus suis speciebus: sed salvari non potest sub aliqua ratione, nisi habeat totum quod dicit intrinsecum sub tali ratione: Ergo non potest genus salvari ut totum potentiale in unica specie. At species utpote ultimò & intrinsecè completa, individua non respicit ut aliqua in sua, intrinsecâ potentialitate contenta, sed ut extrinseca ipsius naturæ additamenta per quæ ab extrinseco & ratione diversæ materiæ potest natura specifica determinari, limitari & multiplicari: Ergo species præter actuale intrinsecum quod dicit, nihil dicit intrinsecum potentiale: sed salvatur in unico individuo ut totum actuale, quia habet in eo totum quod dicit actu intrinsecum: Ergo cum aliud non dicat intrinsecum ut totum potentiale, habet & in unico individuo salvari posse ut totum potentiale.

Nota. Unde notandum est quod cum natura specifica secundum sua & sibi intrinseca nullam dicat potentialitatem, consequenter fit quod quando dicitur quod species ut totum potentiale potest in unico individuo reperiri, debet [si propriè & in rigorosissima veritate velimus loqui] debet inquam hoc dictum accipi in vi hujus negativæ, quod scilicet species secundum potentialitatem ab intrinseco ipsi convenientem plura non exigat individua, quia talis potentialitas ab intrinseco ei non competit; & ita ea negativa erit vera, quia quoad id quod subjectum dicit potentialitatis intrinsecæ, est de subjecto non supponente. Ex quo diligenter annotato manet plenè evacuata hæc difficultas de genere & specie an scilicet salvari possint in unica specie & in unico individuo, & pro qua resolvendâ multi multa congerunt, sed ad veritatem consequendam defectu præfati annotati parum [meo videri] utiliter.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA

Vtrum species formaliter ut subjicibilis sit etiam formaliter universalis.

RESpondeo dicendum, quod species formaliter ut subjicibilis non est formaliter universalis, sive quod ex vi ejusdem actus intellectus non potest natura specifica sortiri duos illos respectus, subjicibilitatis scilicet in ordine ad suum genus, & prædicabilitatis in ordine ad individua. Hujus autem ratio potest quantum ad præsens spectat, afferri duplex; ex quarum primâ arguo sic. Hoc ipso quod natura est formaliter universalis est etiam determinatæ universalitatis, scilicet vel genericæ, vel specificæ, vel differentialis &c. Sed natura specifica formaliter ut subjicibilis non est determinatæ universalitatis: Ergo est formaliter universalis. Major per se patet, alias esset aliquid sub genere universalis, sive sub certo genere, quod non esset sub certa & determinata specie. *Probatur Minor:* Quod plures respicit species indifferenter, sub nullâ immediatè reponi potest determinatâ: sed natura specifica formaliter ut subjicibilis plures indifferenter respicit species universalis: Ergo formaliter ut subjicibilis non est determinatæ universalitatis. Major patet ex terminis. *Probatur Minor:* natura albedinis verbi gratia reducitur ad speciem quinti prædicabilis seu accidentis, hoc ipso quod comparatur ad Petrum & Paulum; reducitur verò ad speciem secundi prædicabilis hoc ipso quod comparatur ad hoc & illud album: atqui natura illa albedinis, ut est formaliter subjicibilis, seu ut consideratur prout subjicitur colori, potest indifferenter comparari ad Petrum & Paulum, vel ad hoc & illud album, ut per se patet: Ergo natura illa formaliter ut subjicibilis potest reduci indifferenter ad plures universalis species, proindeque ut talis non est determinatæ universalitatis, nec consequenter formaliter universalis. Potest autem hoc confirmari, ex eo quod cum universale formale sit respectivum quid, suum habens correlativum, scilicet inferius sive inferiora prout formaliter subjicibilia; & tale relativum non sit quamdiù non est correlativum, evidenter sequitur non posse naturam specificam dici formaliter universalem, quamdiù ejus inferiora seu singularia non

dicuntur formaliter ei subjicibilia: Jam sic est quod non dicuntur singularia formaliter subjicibilia speciei ut formaliter subjicibili, tum quia ut talia ei ut formaliter subjicibili non opponuntur oppositione disquiparantiæ, qualiter supponuntur opponi prout ei subjiciuntur; tum etiam quia nec species, nec singularia dicuntur formaliter subjicibilia, nisi in quantum ut talia apprehenduntur ab intellectu ut ex dictis in quæstionibus præcedentibus supponimus, & aliundè per eumdem actum intellectus attingi non possunt & subjicibilitas individuorum & subjicibilitas speciei, loquendo ut loquimur de subjicibilitate formali & exercitâ, cum sint ad diversos & dispares terminos, subindeque & disparatè se habeant nec possint se habere ad modum unius, qualiter requiritur ut eodem attingantur actu: Ergo dici non potest esse naturam specificam formaliter universalem, sub ea ratione qua est formaliter subjicibilis.

Dices : Quod convenit speciei prout est formaliter subjectum, convenit speciei formaliter ut subjicibili : Sed esse formaliter universale speciei convenit formaliter & reduplicativè ut subjectum est : Ergo & ei convenit formaliter ut subjicibili. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor :* non potest universale formale prædicari formaliter de specie, & non esse species formaliter universalis : Sed non prædicatur universale formale de specie, nisi prout formaliter subjectum est; cum non exerceatur formaliter prædicatum nisi respectu subjecti formaliter talis : Ergo esse formaliter universale speciei convenit formaliter ut est subjectum, subindeque & ut formaliter subjicibili.

Respondeo Negando minorem, ut enim verificaretur quod esse formaliter universale speciei convenit formaliter & reduplicativè ut subjectum est, deberet hæc propositio verificari, quod scilicet quia species subjectum est, de ea prædicatur universale, quod tamen verificari non potest, cum ratio propter quam de specie seu de naturâ specificâ prædicatur intentio universalis, sit quia hæc est una in multis & de multis tanquam sibi subjicibilibus & subjectis : Non ergo verum est quod esse formaliter universale speciei conveniat formaliter & reduplicativè ut subjectum est. Unde ad probationem nego similiter Minorem, vel claritatis gratia distinguo sic: sed non prædicatur universale formale de specie nisi prout est formaliter subjectum, ly prout denotante conditionem ut prædicetur Concedo: ly prout denotante rationem ex qua & sub qua prædicetur Nego Minorem & consequentiam. Etenim sicut non valet

hæc

hæc consequentia : universale non prædicatur de specie nisi prout hæc est formaliter pars propositionis : Ergo species non est formaliter universalis nisi prout est formaliter pars propositionis : vel sicut non valet ista animal non prædicatur de homine nisi prout est subjectum : Ergo non est homo animal nisi prout formaliter subjectum : sicut inquam non valent hæ consequentiæ, quia ly prout propositionis pars in primâ, & ly prout subjectum in secundâ denotant solum conditionem requisitam ut prædicetur ly universale de specie, vel ly animal de homine, non autem suor ratio ex qua & sub qua talia de illis prædicantur : Ita similiter Philosophandum est in præsenti casu. Vel tandem uno verbo respondeo ad totum argumentum, quod universale convenit quidem speciei formaliter ut subjectum est, sub ratione communi prædicati, non autem sub ratione exercitâ universalis seu talis prædicati ; sub hac enim ratione, de qua solum est in præsenti sermo, ei solum convenit, prout respicit inferiora, seu prout sibi subjicit, non autem prout subjicitur, ut ex dictis supra colligitur.

Dices secundò : Ratio speciei subjicibilis consistit in immediata subjectione ad genus : sed ex immediatâ subjectione ad genus habet species quod sit formaliter universalis : Ergo & hoc habet ut est formaliter subjicibilis. *Probatur Minor:* natura ex immediata subjectione ad genus assequitur unitatem quamdam : sed unitas illa quam assequitur non est alia quam unitas universalis : Ergo natura specifica ex immediatâ subjectione ad genus habet esse formaliter universalis. *Major* est certa siquidem natura ut in singularibus multiplicata & limitata non potest comparari ad genus ut immediatè illi superius aut immediatè de illa prædicabile, ut per se patet ; ac proinde ex immediata subjectione ad genus non potest non acquirere unitatem quamdam. *Probatur Minor:* unitas quæ habet opponi unitati singulari, non alia est quam unitas universalis ; Sed unitas quam assequitur natura ex immediatâ subjectione ad genus, unitati opponitur singulari, cum acquiratur per exclusionem principiorum numericè seu singulariter multiplicantium : Ergo unitas illa, quam natura specifica assequitur ex immediata subjectione ad genus, est unitas universalis.

Respondeo Negando Minorem ; ad cujus probationem nego similiter Minorem : unitas namque universalis quæ afficit naturam specificam debet posse immediatè reduci ad aliquam determinatam speciem universalis, cum unitas illa non supponat pro unitate universali ut sic, sed pro ipsa unitate naturam

specificam afficiente. Quæ quidem natura, sicut est determinata natura, est etiam semper sub determinata specie universalis ut per se patet: Jam sic est: quod unitas illa quam assequitur natura specifica ex immediata subjectione ad genus non potest immediatè & secluso quocumque alio actu ad aliquam reduci determinatam speciem universalis, ut evidenter patet in responsione supra expositâ ad resolutionem quæsiti: Ergo unitas i la quam natura assequitur ex immediata subjectione ad genus esse non potest unitas universalis, cum ad nullam determinatam speciem universalis reduci possit immediatè; vel ad summum dici potest materialiter universalis, sive id in quo per alium actum naturam comparantem ad determinata inferiora fundari & formari potest unitas formaliter universalis, sed pro hâc impugnanda solutione & doctrina

Dices tertiò Sola universalis unitas habet opponi unitati singulari: Sed unitas quam natura specifica assequitur ex immediata subjectione ad genus habet opponi unitati singulari, cum acquiratur per exclusionem principiorum numericè seu singulariter multiplicantium: Ergo unitas illa quam natura specifica assequitur ex immediata subjectione ad genus est unitas universalis.

Respondeo Distinguendo Majorem sola universalis unitas habet opponi unitati singulari, sumptâ singulari illa unitate materialiter: Nego, sumptâ formaliter & in sensu formali, Concedo: similiter distinguo Minorem: sed unitas quam natura assequitur ex immediatâ subjectione ad genus habet opponi unitati singulari materialiter sumptæ, Concedo: sumptæ formaliter & in sensu formali, Nego Minorem & consequentiam. Sensus autem solutionis est, quod singulare subindeque & unitas singularis considerari potest vel materialiter, prout scilicet consideratur ut est à parte rei nullo habito seu considerato respectu ad naturam superiorem; vel potest singulare considerari formaliter, dum scilicet consideratur cum formali quodam respectu subjicibilitatis ad naturam superiorem: hoc autem supposito tanquam certo & ab omnibus concesso & concedendo, dico quod quamvis natura specifica ex immediata subjectione ad genus unitatem habeat oppositam unitati singulari sumptæ materialiter, à qua scilicet præscindit, & quam excludit, non tamen oppositam unitati singulari sumptæ formaliter seu cum formali respectu subjicibilitatis; cum unitas hæc sit relativa petens ex parte speciei unitatem correlativam, quam tamen non habet species ex immediata subjectio-

ne

ne ad genus , cum ex tali subjectione sit solum correlativa ad prædicabile, subindeque & solum correlativa ad genus: Jam sic est quod unitas simpliciter universalis est unitas opposita unitati singulari ita sumptæ formaliter ut subjicibili, cum sit unitas prædicabilis, & prædicabile, & subjicibile opponantur correlativè: Ergò unitas quam attingit natura specifica ex immediata subjectione ad genus quantumvis opposita unitati singulari non propterea est unitas simpliciter universalis seu universalis formaliter, sed materialiter solum sive fundamentaliter, in quantum scilicet est id in quo per actum subsequentem naturam comparantem ad determinata inferiora fundari & formari potest unitas formaliter universalis.

Notaş

Colliges Pro hujus quæsiti complemento, quod licet intentio speciei subjicibilis & prædicabilis materialiter in eadem specie conveniant, ut ex dictis sufficienter colligitur, nihilominus una non oritur ex altera, neque è converso: prius tamen connaturaliter intelligitur intentio subjicibilis in specie quam intentio prædicabilis. Ratio autem primæ partis hujus dicti est, quia isti duo respectus in specie non solum sunt diversi, sed etiam quodammodo oppositi, utpote alter respectus ad sibi superius, & alter habitudo naturæ ad sibi inferiora: Ergo sicut quando in eodem materiali ut in eodem homine reperitur relatio filiationis ad suum patrem tanquam ad sui causam, & relatio paternitatis ad suum filium ut ad sui effectum, quia istæ duæ relationes habent terminos non solum diversos sed quasi oppositos, relationes istæ non solum sunt diversæ, sed nec propriè una habet oriri ex altera, vel è converso: Ita similiter dicendum de respectibus subjicibilitatis & prædicabilitatis, qui in eadem reperiuntur specie. Ratio autem secundæ partis ejusdem dicti est quia species superius respicit ut aliquid sibi intrinsecum & intrinsecam partem suæ essentialis constitutionis; inferiora autem scilicet individua respicit species ut aliquid sibi extrinsecum & à quibus extrinsecè determinatur & limitatur: sed connaturaliter prius est, ut comparetur species ad sibi intrinsecum, quam ad extrinsecum, sicut prius intelligitur eam esse in se essentialiter constitutam, quam ab extrinseco determinari & limitari: Ergo prius connaturaliter reperitur in specie ratio subjicibilitatis quam prædicabilitatis, cum prius ipsa species intelligatur ut comparabilis ad sibi superius, quam ut comparabilis ad sibi inferiora.

Quomodo comparentur ad invicem prædicabilitas & subjicibilitas speciei.

COROL-

COROLLARIUM.

De correlativo speciei, sive de individuo.

CUm unius relativi notitiâ ex sui pendeat ut plurimum correlativo, sitque individuum correlativum speciei ut prædicabilis, merito in capite de specie hoc inseritur corollarium de individuo, in quo quidem corollario hoc unum inquiri solet an scilicet definitiones individui à Porphyrio assignatæ sint bonæ: definiit autem Porphyrius individuum dupliciter: primò quod sit illud, *quod de uno tantum prædicatur*; & secundò definiit, *cujus collectio proprietatum in uno reperta, in alio reperiri non potest*. Circa quas definitiones notandum est quod in prima definitur individuum secundo intentionaliter acceptum: definitur namque per prædicabilitatem quæ non nisi per intellectum, seu ut stat sub secunda intentione illi competit: in secunda verò definitione accipitur individuum primo intentionaliter. Cum enim omnes illæ proprietates, de quarum collectione loquitur Porphyrius, sint proprietates reales, ut patet, per illas infra enumeratas discurredo, consequens est ut per illam definitionem individuum realiter & primo intentionaliter definiatur. Pro habenda autem hujus quod hic inquiritur resolutione an scilicet bonæ sint præfatæ definitiones non aliter melius probabitur & explicabitur quam easdem definitiones aliquibus argumentis examinando: unde

Dices primò, Contra utramque definitionem Individuum non potest definiri: Ergo neutra horum definitionum, immo & quarumcunque aliorum assignabilium potest esse bona. *Probatur antecedens:* individuum est singulare, sed de singularibus teste Philosopho 7. *Metaph. cap. 15*, nec datur scientia nec definitio: Ergo individuum non potest definiri.

Respondeo Distinguendo antecedens: individuum non potest definiri, sumptum in particulari, & ut tale determinatum, Concedo: sumptum sub ratione communi individui omnibus individuis competenti, Nego: licet ergo quodlibet singulare in particulari non sit scibile nec definibile, propterea quod nihil habet certi & necessarii ut tale; & hoc est quod solum intendit Philosophus in adducto testimonio, ratio tamen communis

munis individui omnibus individuis competens & ab omnibus illis abstrahibilis bene potest ob oppositam rationem definiri: & sic definivit Porphyrius rationem communem individui in utraque prædicta definitione: immo & divus Thomas rationem communem individui primo intentionaliter sumptam, seu individuum in communi ut ab hoc & illo particulari abstrahit, definivit 1. *part. quæst*, 29. *art*. 4. per id quod individuum sit ens indivisum in se & divisum à quolibet alio. Sed de hac in Metaphysica, ubi de unitate individuali.

Dices 2. Specialiter contra primam assignatam individui definitionem, definitio illa qua scilicet definitur, *quod de uno tantum prædicatur*, nulli competit individuo: Ergo non est bona. *Probatur antecedens:* individuum vel est vagum ut aliquis homo; vel est individuum ex suppositione; vel est individuum determinatum ut Petrus: Sed individuum vagum non de uno tantum sed de pluribus prædicatur; sicut & individuum ex suppositione; individuum vero determinatum propriè prædicari non potest cum de alio à se distincto prædicari non possit; & de seipso non nisi identicè subindeque & non nisi impropriè prædicari potest: Ergo ly quod de uno tantum prædicatur, de nullo individuo propriè verificatur.

Respondeo Negando antecedens: Ad cujus probationem nego minorem quoad tertiam partem, ly enim quod de uno tantum prædicatur propriè competit individuo determinato, sive illud significetur per nomen proprium singulare, sive per nomen commune cum pronomine demonstrativo, sive sit individuum substantiæ, sive accidentis, ut hæc individua Petrus, hic homo, hoc album. Unde ad id quod adducitur in minoris probationem dico, quod licet prædicari de uno tantum seu de seipso verificetur solum identicè, quando scilicet per nomen proprium prædicatur individuum de seipso, ut si dicas, Petrus est Petrus, verificatur tamen minus identicè & magis artificiosè quando scilicet de singulari substantiæ per nomen proprium significato prædicatur singulare demonstrativum, ut cum dicitur, Petrus est hic homo; immò & verificatur omnino formaliter seu prædicatione minimè identica, sed omnino formali, quando scilicet de individuo substantiæ prædicatur individuum accidentis; ut cum dicitur: Petrus est hoc album, vel hic homo est hoc album: quia ergo definitio illa adducta à Porphyrio omnem prædicationem individui de uno tantum comprehendit, ut scilicet excludat ab individuo omnem prædicationem de pluribus, quod est præcipuum hujus definitio-

nis intentum, conſequenter fit quod præfata definitio ſumpta in omni ſua latitudine, & ſecundum id omne quod comprehendit, habeat de quo propriè verificetur.

Dices tertiò, Specialiter contra ſecundam aſſignatam definitionem. Quando in tali dicitur definitione, quod individuum eſt cujus *Collectio proprietatum in uno reperta, in altero non reperitur*, vel eſt ſermo de proprietatibus ſecundum ſpeciem, ſive ſumptas ſpecificè, vel de illis eſt ſermo ſecundum numerum, ſive ſumptis numericè: Sed neutrum dici poteſt: Ergo malè aſſignatur hæc definitio per proprietatum collectionem. *Probatur Minor*: & primò quidem quoad primam partem. Non inconvenit quòd habeat Petrus omnia accidentia ejuſdem ſpeciei quæ habet Paulus; nec enim eſt aſſignabile tale inconveniens: Ergo ſi ſermo ſit de proprietatibus ſumptis ſpecificè, verificari non poteſt de individuo, quod collectio proprietatum in uno reperta, in altero non reperiatur. Jam vero quod de illis ſumptis numericè non poſſit eſſe ſermo, quod eſt ſecunda pars minoris probandæ oſtenditur ſic. Hoc ipſo quod dicit Porphyrius collectionem proprietatum in uno repertam in alio reperiri non poſſe inſinuat hoc ipſo poſſe ſi non omnes, ſaltem aliquam in uno & altero reperiri: Sed ſi de illis eſſet ſermo ſumptis numericè, non ſolum non omnes ſeu collectio omnium, ſed nec aliqua in uno reperta poſſet in altero reperiri; cum repugnet idem numero accidens in duplici reperiri ſubjecto: Ergo nec de illis proprietatibus ſumptis numericè poteſt in hac definitione haberi ſermo.

Reſpondeo Negando minorem quoad ſecundam partem. Unde ad probationem nego ſimiliter minorem: licet enim accidentium quæ propriè dicuntur talia, ſive quæ habent propriè ſubjectari in ſubjecto, non reperiatur idem numero in duobus numero individuis, nihilominus quia earum proprietatum ſive eorum accidentium, quæ in tali annumerantur collectione, ſunt aliqua quæ propriè loquendo non ſubjectantur in ſubjecto, ſed ſunt accidentia ſolum extrinſeca ſeu denominationes extrinſecæ, ut eſſe talis patriæ, habere talem partem &c. conſequenter fit, quod loquendo de præfatis accidentibus numericè, poſſint eorum aliqua in uno reperta individuo, in alio etiam reperiri; & ſic quia, etſi hoc verificetur de aliquibus, non tamen de omnibus collectivè, propterea fit quod de iis loquendo accidentibus ſeu proprietatibus ſumptis ſecundum numerum, rectè aſſignaverit Porphyrius definitionem individui dicendo, quod ſit id, *cujus collectio proprietatum in uno reperta*

in altero non reperitur. Dixi autem supra & quidem non semel, loquendo de accidentibus illis, seu proprietatibus, dixi inquam, ut scilicet inde intelligatur quod collectio illa proprietatum in prædicta individui definitione non supponat nec sit intelligenda de proprietatibus propriè sumptis & condistinctis contra accidens commune, prout scilicet idem sunt quod propriæ passiones, quia unum individuum non alias habet proprietates, præter illas quas habent omnia individua ejusdem speciei, sed intelligenda sit de quibusdam accidentibus individualibus, quorum scilicet quamvis aliqua in uno individuo reperta possint esse in altero, non solum specie: sed etiam numero, ut dictum est; non tamen omnia.

Tandem notandum est pro hujus corollarii complemento quod quando ita definitur individuum : per talia accidentia seu proprietates individuales quas non habet unus & alter, hinc quidem sequitur, quod hujusmodi proprietates sint erga individuum principia individuantia in cognoscendo, non tamen sequitur nec sequi debet, quod sint principia individuationis in essendo. Sic enim unumquodque individuatur per id, per quod est ens, cum in quantum ens sit unum; unde cum res quælibet per propriam entitatem sit ens, per illam etiam sicut per principium totale intrinsecum individuatur. Porro hujusmodi accidentia quibus designari ac veluti definiri potest quodlibet individuum, sunt præcipuè quæ his carminibus comprehenduntur.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis.
Patria sunt septem quæ non habet unus & alter.

CAPUT

CAPUT
DE DIFFERENTIA.
QUÆSTIO VIII.

Vtrum ratio differentiæ sit univoca ad communem, propriam & propriißimam, an vero solum analoga.

PRæmittendum primò, Differentiam dividi à Porphyrio in tota sua latitudine in differentiam communem, Propriam & Propriissimam: differentia communis est accidens separabile, per quod aliquid à seipso vel ab alio differt; ut verbi gratia sedere est differentia communis Petri, quia est aliquid ab ipso separabile, & per quod Petrus sedens a Paulo non sedente, immo à semetipso quando non sedet, accidentaliter differt: differentia verò propria est accidens inseparabile per quod aliquis ab alio differt, ut nasi curvitas vel ceruleus oculorum color. Denique differentia propriissima est, per quam unum essentialiter ab alio differt, ut est rationalitas per quam homo essentialialiter differt ab equo. Hanc autem differentiæ divisionem esse sufficientem, præter quam quod habetur sufficienter ex autoritate Porphyrij, omniumque ejus interpretum, potest ulterius suaderi ex duorum solutione, quæ possent contra præfatam divisionem objici: potest namque imprimis objici quod genera suprema habent differre ab invicem: Jam sic est quod non habent differre per aliquam ex assignatis differentiis; & imprimis quod non differant per differentiam propriam, vel communem certum est; cum illæ solum faciant differre accidentaliter, suprema autem genera essentialiter differant: sed nec possunt differre per differentiam propriissimam, cum illa teste Porphyrio componat & constituat speciem: differentia autem generis supremi non constituat speciem aliquam, cum ipsum genus nec sit species ato-

atoma, nec subalterna: Ergo datur differentia quæ non est ex enumeratis in præfata divisione, subindeque insufficiens est talis divisio. Quod quidem confirmari potest, dicendo scilicet, quod propria passio est verè differentia, siquidem per illam unum differt ab alio; homo namque verbi gratia, per visibilitatem differt ab equo: Jam sic est quod propria passio nec est differentia communis, quia non est separabilis; nec differentia propriissima, quia nullam constituit speciem, nec etiam est differentia propria; quia licet differentia propria sit accidens inseparabile, est tamen proveniens à principiis individualibus ut patet in exemplis supra adductis, cum tamen propria passio proveniat à principiis essentialibus ac specificis; & non suscipiat magis ac minus, quod tamen magis & minus suscipit teste Porphyrio differentia propria: Ergo insufficiens videtur assignata differentiæ divisio. Sed ad primum respondetur quod suprema genera propriè non differunt, sed sunt primo diversa, quia se totis distinguuntur, & in nullo nisi in gradu analogo entis & in omnibus eorum formalitatibus differentialibus imbibito conveniunt; sicque non mirum quod per nullam ex assignatis differentiis differant: ad secundum autem respondetur, quod licet propria passio non pertineat directè ad aliquam ex illis differentiis; reducitur tamen vel ad differentiam propriam, ut aliqui volunt, vel, quod verius est, ad propriissimam; quia quamvis non faciat differre essentialiter, nec constituat speciem, dimanat tamen ab essentia & à differentiâ propriissimâ; ac proinde sicut illa non nisi inter individua diversæ speciei distinctionem facit, sic etiam & propria passio non nisi inter individua diversæ speciei facit diversitatem; quod quidem non habet differentia propria, utpote quæ unum individuum ab altero ejusdem speciei facit differre. Restat ergo quod bona & sufficiens sit assignata divisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam.

Præmittendum 2. Quod differentia, de cujus analogia vel univocatione in præsenti inquiritur, potest usurpari dupliciter & in duplici sensu, scilicet & primò intentionaliter, & secundò intentionaliter. Dicitur autem usurpari primo intentionaliter, quando scilicet usurpatur pro ipso substracto secundæ intentionis differentiæ, seu pro natura quæ à tali secunda intentione denominatur: sumitur verò secundo intentionaliter, quando sumitur pro ipsa secunda intentione differentiæ, qua scilicet aliquid prædicatur de pluribus, faciens illa

ab

ab aliis differre. Hoc autem præmisso & prænotato, suppono jam tanquam certum & indubitatum, quod sumpta differentia primo intentionaliter & ut à parte rei, sive in esse entis materialiter sumpti, sive in esse entis ut formaliter facientis differre, suppono inquam hanc esse analogam & non univocam ad tres in quas divisa est differentias. Etenim tales præfatæ differentiæ possunt in esse entis aliæ esse substantiæ, & aliæ accidentia; aliæ entia realia & aliæ entia rationis; jam sic est quod substantiæ & accidenti, enti reali & enti rationis nihil datur in esse entis univocum, ut in præsenti supponimus tanquam certum, & demonstrabimus, Deo dante, in tomo secundo: Ergo accepta differentia primò intentionaliter in esse entis materialiter sumpti, esse non potest univocè communis ad tres in quas dividitur differentias: Sed nec esse potest univocè communis sumpta in esse entis, non materialiter sumpti, sed formaliter ut facientis differre: facere namque differre, in quo ratio differentiæ primo intentionaliter formaliter consistit, simpliciter convenit differentiæ propriissimæ & solum secundum quid differentiæ propriæ & communi, cum quę differunt per differentiam propriissimam, simpliciter differant, & solum secundum quid quæ differunt per differentiam propriam vel communem, ut magis declarabimus in probationibus conclusionis: Ergo cum talis inæqualis participatio sit una ex causis analogiæ, quamvis non sola, in quo hallucinantur plures, consequens est quod sumpta differentia primo intentionaliter non sit univoca sed analoga ad tres assignatas differentias. Non ergo procedit quæsitum tituli de differentiâ primo intentionaliter acceptâ, bene quidem de eadem acceptâ secundo intentionaliter; de hac enim ita accepta videtur esse gravis difficultas; cum secunda intentio differentiæ, qua scilicet aliquid prædicatur de pluribus, faciens talia ab aliis differre videatur simpliciter convenire differentiæ communi & propriæ, æquè ac propriissimæ.

Præmittendum ultimò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principij respectu conclusionis inferendæ & ad eadem reducendæ, puta quod *secunda intentio differentiæ, seu differentia secundò intentionaliter accepta est relatio quædam rationis*, quod, *differentia communis univocè participat intentionem quinti prædicabilis*; quod *idem est quod constituit, & quod facit differre.* Quantum autem ad primum, puta quod secunda intentio

tentio differentiæ, seu differentia secundò intentionaliter accepta sit relatio quædam rationis, ex eo patet quod cum sit forma quædam rationis efficiens naturam quam denominat ut comparatam & comparativè ad certa quædam inferiora, nec possit hoc competere nisi relationi sive formæ relativæ, ut per se patet. consequenter fit quod hujusmodi secunda intentio sit relatio quædam, non quidem realis, cum extrema, quæ refert non supponantur realiter distincta, sed rationis tantum.

Jam vero quantum ad secundum, quod scilicet differentia communis univocè participet intentionem quinti prædicabilis, ex eo colligitur, quod talis differentia est simpliciter & absolutè loquendo accidens, respectu eorumdem, respectu quorum est differentia communis; unde cum intentio quinti prædicabilis simpliciter conveniat accidenti, subindeque & univocè, evidenter sequitur quod differentia communis etiam simpliciter, subindeque & univocè participet intentionem quinti prædicabilis.

Tandem quantum ad tertium, quod scilicet idem sit quod constituit & quod facit differre, sive quod idem est constitutivum & distinctivum, ratio est quia cum unumquodque positivè differat per id quod est, cum differre nequeat positivè per id quod non est; sit id quod est per sui constitutivum in tali esse, sequitur per consequens quod idem sit per quod unumquodque constituitur & per quod differt. His ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concessis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Secunda intentio differentiæ seu tertii prædicabilis non est univocè communis differentiæ propriissimæ, propriæ & communi, sed analogica tantum.*

Probatur I. Ex primo præmisso principio, puta quod *secunda intentio differentiæ est relatio quædam rationis*, arguo ergo sic. Secunda intentio differentiæ est relatio quædam rationis: Ergo secunda intentio differentiæ est analoga ad communem propriam & propriissimam. *Probatur consequentia*: pari modo Philosophandum est in præsenti casu de relationibus ac de earumdem fundamentis formaliter ut fundamenta sunt; Sed fundamentum intentionis differentiæ analogum est ad communem propriam, & propriissimam: Ergo hoc ipso quod secunda intentio differentiæ relatio est, est hoc ipso analoga ad communem propriam & propriissimam. *Major* constat; cum enim fundamentum relationis formaliter ut tale, sit re-

lativum,

larivum, sive ad genus relativi spectet saltem reductivè tanquam ejus initiativum, ad differentiam ejusdem sumpti solum materialiter, consequenter fit quod si hoc non participetur univocè & æqualiter, pari modo sit dicendum de relatione. *Probatur Minor:* natura seu forma sub munere facientis differre est formaliter fundamentum secundæ intentionis differentiæ: Sed natura seu forma sub ratione facientis differre analogicè tantum convenit communi, propriæ, & propriissimæ: Ergo & fundamentum intentionis differentiæ. *Major* conceditur & supponitur certa ex dictis in præmissis. *Probatur minor*: Hoc ipso quod ratio aliqua participatur simpliciter ab uno, non autem ab alio vel ab aliis, hoc ipso analogicè tantum convenit; Sed forma sub ratione facientis differre participatur simpliciter à differentia propriissima, non autem à communi aut propriâ: Ergo forma sub ratione facientis differre analogicè solum convenit communi, propriæ, & propriissimæ. *Major* supponitur. *Probatur minor:* Petrus sanus differt differentiâ communi à seipso ægroto, verbi gratia; Sed nihil sub ulla ratione differt simpliciter à seipso; cum ex terminis supponatur idem simpliciter, hoc ipso quod est ejusdem à seipso: Ergo forma sub ratione facientis differre non participatur simpliciter à differentiâ communi, sicut participatur à propriissima: Ergo forma seu natura sub ratione facientis differre analogicè solum convenit communi, propriæ & propriissimæ: Ergo fundamentum intentionis differentiæ formaliter ut tale analogum est ad differentiam communem, propriam & propriissimam: Ergo cum pari modo Philosophandum sit quantum ad univocationem vel analogiam de relatione ut de fundamento formaliter ut tali, hoc ipso quod secunda intentio differentiæ est ralatio, quod est primum præmissum principium, hoc ipso & est analoga ad differentiam communem, propriam & propriissimam.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio, puta quod *differentia communis univocè participat intentionem quinti prædicabilis.* Unde sic arguo. Differentia communis univocè participat intentionem quinti prædicabilis: Ergo non potest univocè participare intentionem differentiæ, seu tertij prædicabilis. *Probatur consequentia*: non potest idemmet etiam sub alia & alia ratione duas univocè subinduere intentiones prædicabilium respectu eorumdem: Ergo hoc ipso quod differentia communis univocè participat intentionem quinti prædicabilis, non potest univocè participare intentionem tertij.

Con-

Consequentia est evidens cum hoc ipso eas participaret respectu eorumdem inferiorum. *Probatur antecedens*: subinducere univocè duas intentiones prædicabilium arguit & illas ex æquo & æqualiter fundare; Sed non potest idemmet etiam sub alia & alia ratione fundare ex æquo & æqualiter duas intentiones prædicabilium respectu eorumdem: Ergo nec illas univocè subinduere seu participare. *Major* est certa: cum enim univoca participatio arguat & inferat æqualitatem in participando; & ex alio capite intentiones prædicabilium petant ex propria ratione habere fundamentum in re, evidenter sequitur quod in tantum univocè participentur inquantum ex æquo & æqualiter fundantur. *Probatur Minor*: quod importat & exprimit in sui definitione fundamentum unius, non autem fundamentum alterius, non fundat haud dubiè ex æquo & æqualiter: cum tunc primo & simpliciter unum fundet, & non alterum; Sed id omne quod fundat respectu eorumdem duas intentiones prædicabilium importat & exprimit in sui definitione fundamentum unius, & non alterius, ut patet in eo quod dicitur differentia communis, de qua est sermo in præsenti quod quidem exprimit in sui definitione ly contingenter adveniens quod est fundamentum intentionis quinti prædicabilis, non autem ly faciens differre, quod est fundamentum intentionis tertij prædicabilis: Ergo non potest idemmet etiam sub alia & alia ratione fundare ex æquo & æqualiter duas intentiones prædicabilium: Ergo non potest idemmet duas subinduere univocè intentiones prædicabilium respectu eorumdem: Ergo hoc ipso quod differentia communis univocè participat intentionem quinti prædicabilis [quod est secundum præmissum principium] non potest hoc ipso univocè participare intentionem differentiæ seu tertij prædicabilis.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, puta quod *idem est quod constituit & quod facit differre*: argumentor igitur sic. Idem est quod constituit & quod facit differre: Ergo intentio differentiæ non convenit univocè differentiæ communi, propriæ, & propriissimæ. *Probatur consequentia*: intantum intentio differentiæ univocè convenit differentiæ communi propriæ & propriissimæ, inquantum ex æquo & æqualiter participatur: Sed hoc ipso quod idem est quod constituit & quod facit differre, non participatur intentio illa differentiæ ex æquo & æqualiter: Ergo hoc ipso quod idem est quod constituit & quod facit differre non convenit intentio differentiæ univocè communi, propriæ, & propriissimæ. *Major* supponitur.

Probatur Minor: intentio constituentis non participatur ex æquo & æqualiter à differentiâ communi, propria, & propriissimâ; Sed hoc ipso quod idem est quod constituit & quod facit differre, Philosophandum est de intentione differentiæ ac de intentione constituentis: ergo hoc ipso quod idem est quod constituit & quod facit differre, non participatur intentio differentiæ æqualiter à communi, propria & propriissimâ. *Minor* constat ex terminis, cum hoc ipso quod idem est quod constituit & quod facit differre, sit tunc eadem intentio constituentis & facientis differre. *Probatur Major*: quod ab uno reductivè solum & in obliquo, & ab alio directè in recto & per se participatur, impossibile est sub ullâ ratione ex æquo & æqualiter participari, cum id quod est tale solum reductivè sub nulla ratione possit esse simpliciter tale ut consideranti patebit: Sed intentio constituentis reductivè solum & in obliquo participatur à differentiâ communi; cum hæc utpote accidens subindeque & entis ens sit propriè loquendo additamentum entis constituti, quod est esse constituens reductivè solum & in obliquo: Ergo intentio constituentis non participatur ex æquo & æqualiter à differentia communi propria & propriissima: Ergo hoc ipso quod idem quod constituit & quod facit differre non participatur æqualiter intentio differentiæ à communi, propriâ & propriissima: Ergo hoc ipso quod idem est quod constituit, & quod facit differre, (quod est tertium præmissum principium) non convenit intentio differentiæ univocè communi, propriæ, & propriissimæ.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectorum.

Objicies primò: Si non esset intentio differentiæ univocè conveniens communi, propriæ, & propriissimæ, nec esset intentio generis univocè communis generi, quod supponit pro ente reali & generi supponenti pro ente rationis: Sed hoc communiter rejicitur & negatur: Ergo & illud negari debet. *Minor* est certissima: intentiones namque rationis æquè fundari possunt supra ens rationis, ac supra ens reale; & propositio hæc subjectum non est prædicatum æquè est propositio, ac quævis alia facta in materia reali. *Probatur major:* ideo non est intentio differentiæ univocè conveniens communi, propriæ, & propriissimæ, quia non conveniunt univocè hæc tria in fundamento talis intentionis; Sed minus adhuc univocè conveniunt ens reale & ens rationis in fundamento intentionis

ge-

generis: Ergo si non esset intentio differentiæ univocè conveniens communis propriæ & propriissimæ, nec esset univoca intentio generis ad ens reale & ens rationis. *Major* constat ex probationibus conclusionis. *Probatur Minor*: reale ens sub ea ratione qua reale est, in nullo univocè convenit cum ente rationis; Sed fundat intentionem generis sub ea ratione qua reale est, cum sub ea ratione qua fundat denominetur, & id quod denominatur in ente reali ab intentione generis sit reale quid: Ergo in nullo univocè conveniunt ens reale & rationis in fundamento intentionis generis.

Respondeo Negando sequelam majoris: ens namque reale & ens rationis, quamtumvis distincta & diversa in esse entis, & in nullo in tali esse univocè convenientia, in hoc tamen univocè & æqualiter conveniunt quod dicant rationem essentialiter contrahibilem, sive illa sit accidens sive substantia, sive reale quid, sive aliquid rationis; tam enim essentialiter contrahibilis est relatio rationis per relationem subjecti, prædicati, aut quorumlibet prædicabilium, quam relatio categorica & realis per relationem fundatam in unitate aut diversitate; unde cum intentio generis cadat supra naturam sub ea ratione qua est essentialiter contrahibilis, eamque solum denominet sub tali ratione, propterea fit quod sub ea ratione qua afficit & denominat intentio generis, univocè conveniant ens reale & rationis, vel substantia & accidens, subindeque & quod eis univocè conveniat intentio generis: Econtra vero cum intentio differentiæ non denominet nec afficiat naturam nisi sub ratione facientis differre, sive cum secunda intentio differentiæ sit qua aliquid prædicatur de pluribus, faciens illa ab aliis differre, consequenter fit quod cum ratio illa facientis differre sub qua solum denominat intentio differentiæ, & quam propterea aliqualiter imbibit in suo conceptu, hæc inquam ratio facientis differre non conveniat univocè communi, propriæ & propriissimæ, ut abundè colligitur ex probationibus conclusionis, non mirum quod eis nec conveniat univocè intentio differentiæ, & si communis sit univocè intentio generis enti reali & rationis. Unde negatur pariter & sequela majoris. Ad probationem vero nego minorem. Ad tertium autem in quo sita videtur difficultas, distinguo minorem sic: Sed fundat ēs reale intentione generis sub ea ratione qua reale est, ita quod ly reale sit ratio quæ fundat in ente reali intentionem generis, Concedo: ita quod ly reale sit ratio sub qua fundat reale ens intentio-

nem generis, Nego minorem & consequentiam: licet igitur ratio quæ fundat in ente reali intentionem generis sit realis ratio, propterea quod ratio quæ fundat, eadem est cum ratione quæ denominatur ab intentione generis, quæ quidem ratio denominata est realis ratio in ente reali, ut dicit & notat arguens; ratio tamen sub qua fundat ens reale intentionem generis, cum sit sub ratione essentialiter contrahibilis, & hæc abstrahat ab ente reali & rationis, cum utrique [ut dictum fuit supra] simpliciter conveniat, adeò ut indifferenter & æqualiter dicatur sive de ente reali sive de ente rationis, consequenter fit quod in ratione sub qua fundat ens reale intentionem generis univocè conveniat cum ente rationis, subindeque & in intentione generis univocè conveniat, utpote quæ suum habet formale specificativum ex ratione *sub qua*, in qua conveniunt, non autem ex ratione *qua* in qua differunt, quæ quidem comparativè ad rationem sub qua se habet solum materialiter & receptivè.

Instabis: Non minus univocè conveniunt tres assignatæ differentiæ in ratione sub qua fundant intentionem differentiæ, quam ens reale & rationis in ratione sub quà fundant intentionem generis: Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*: ratio sub qua fundatur intentio differentiæ est ratio facientis differre ut sic, non autem ratio facientis differre essentialiter: Sed in ratione facientis differre ut sic, conveniunt omnimodè tres assignatæ differentiæ: Ergo non minus univocè conveniunt tres assignatæ differentiæ in ratione sub qua fundant intentionem differentiæ, quam ens reale & rationis in ratione sub qua fundant intentionem generis. *Minor* videtur certa, cum enim non disconveniant tres assignatæ differentiæ nisi quia differre faciunt essentialiter atque accidentaliter, consequenter fit quod in ratione facientis differre ut sic, & in communi sumptâ omninò conveniant. *Probatur Minor*: ratiò sub quâ fundant tres assignatæ differentiæ præfatam intentionem est ratio quædam in utraque differentia suo modo reperta; cum utraque fundet; Sed ratio facientis differre essentialiter nullo prorsus modo reperitur in differentia communi vel propria: Ergo ratio sub qua fundatur intentio differentiæ non est ratio facientis differre essentialiter, sed ratio facientis differre ut sic & in communi sumpta.

Respondeo Negando antecedens; enimvero talis est convenientia entis realis & entis rationis in ratione sub qua fundant intentionem generis, ut eorumdem differentia & diversitas

sit

sit omnino alienæ rationis & extraneæ lineæ à linea talis rationis sub qua, cum non differant nisi per esse reale & esse rationis, quæ se habent merè materialiter ad esse essentialiter contrahibile quod est ratio, sub qua intentionis generis, cum esse essentialiter contrahibile æquè simpliciter reperiatur in uno ac in altero; & ideò omninò & univocè conveniunt ens reale & rationis in ratione sub qua fundant intentionem generis: at vero tres assignatæ differentiæ ità conveniunt in ratione sub qua intentionis differentiæ, sive in ratione facientis differre, ut tamen differant & diversificentur in eadem ratione, sive in aliquo spectante & pertinente ad talem rationem cum differant & diversificentur per hoc quod differre faciant simpliciter & secundum quid, & ly simpliciter & secundum quid imbibantur in ratione quam afficiunt, adeò ut ad ejus spectent lineam; cum constituere nequeant propriam aliquam lineam, ut per se patet; eo quod scilicet ex propria ratione sint modi: non ergo omnino & univocè conveniunt tres assignatæ differentiæ in ratione sub qua fundant intentionem differentiæ, ac conveniunt ens reale & rationis in ratione sub qua fundant intentionem generis. Unde ad probationem; nego majorem: ratio namque sub qua fundatur intentio differentiæ, est ratio facientis differre, non qualitercumque, sed simpliciter; tum quia illa sola habet fundare rationem prædicandi in quale quid, in quo tertium prædicabile ab omnibus alijs differt; tum quia intentio hæc tertij prædicabilis dicitur simpliciter & absolutè loquendo intentio differentiæ, quod quidem dici non posset ita simpliciter & absolutè, si ratio facientis differre sub qua fundatur non esset ratio facientis differre simpliciter. Ad tertium autem quando dicitur quod ratio sub qua fundatur talis intentio differentiæ debet suo modo in utraque reperiri differentia, ad hoc respondetur concedendo majorem & negando minorem: sicut enim ly simpliciter reperitur aliqualiter & diminutè in ly secundum quid, cum ly tale secundum quid magis participet tale simpliciter, quam aliud quod nec secundum quid tale est, ita & ratio facientis differre simpliciter habet aliqualiter & modo diminuto reperiri in differentia communi, & sufficienter in ea reperiri, ut fundet intentionem differentiæ, non quidem univocè & ex æquo sibi ut differentiæ propriissimæ convenientem, sed analogicè & diminutè.

Nota.

Nota.

Objicies 2. Hoc ipso quod intentio differentiæ est omninò eadem in communi, propria, & propriissima, est etiam hoc ipso univoca sive univocè conveniens: Sed intētio differentiæ est de

facto omnino eadem in tribus illis differentiis: Ergo & illis convenit univocè. *Major* supponitur certa; dicitur namque univocum, cujus nomen commune est, ratio vero per nomen significata omninò eadem. *Probatur Minor:* omnis communis ratio quæ non importat in conceptu suo id per quod disconveniunt inferiora, est & supponitur omninò eadem; Sed intentio differentiæ non importat in suo conceptu id in quo disconveniunt tres assignatæ differentiæ: Ergo intentio differentiæ est omnino eadem in tribus illis differentiis. Major est certa, sicut & nòtatu dignissima; Cum hoc ipso quod communis aliqua ratio non importat in suo conceptu id in quo disconveniunt inferiora, tunc verum sit dicere, quod non disconveniunt inferiora in tali ratione, sed in aliquo quod est aliud ab ipsa, ac proinde quod talis communis ratio est omninò eadem in his à quibus participatur. *Probatur Minor:* tres assignatæ differentiæ non habent differre nisi per esse tales, sive nisi per suum esse tale; sed intentio differentiæ non importat nec includit esse tale hujusmodi differentiarum, cum sit commune & universale quid; Ergo non importat intentio differentiæ in suo conceptu id in quo disconveniunt tres assignatæ differentiæ.

Nota.

Respondeo Negando Minorem, cujus negati ratio abundè colligitur ex dictis supra: ad probationem verò concessâ Majori ob rationem in ejus declarationem & confirmationem adductam nego Minorem, puta quod intentio differentiæ non importet nec imbibat in suo conceptu id in quo disconveniunt tres assignatæ differentiæ; cum enim præfata secunda intentio habeat primam intentionem adjunctam, sive adjunctum habeat suum fundamentum, cum explicetur secunda hæc intentio per id quo aliquid prædicatur de pluribus per modum facientis ea differre, consequenter fit, quod de tali secunda intentione philosophandum sit eodem & simili modo, quo de ipsius fundamento; Jam sic est quod ejus fundamentum sive ly faciens differre habet imbibere & importare in suo conceptu id in quo disconveniunt tres assignatæ differentiæ, sive [quod in idem redit] ly faciens differre non potest perfectè abstrahere à differentiis inferioribus; cum uni conveniat simpliciter, & aliis secundum quid; & ab his quæ participant ita simpliciter & secundum quid rationem aliquam, non possit una communis abstrahi ratio, cum talia in eo ipso in quo communicant, differant, differendo scilicet in ly simpliciter & secundum quid, subindeque & in eo quod afficitur per ly simplici-

Nota.

plici-

pliciter & secundum quid; cum dici non possit differre aliqua in ly simpliciter & ly secundum quid seorsim sumptis à ratione quam afficiunt, aut in qua potius imbibuntur: falsa Ergo est illa minor, quod scilicet intentio illa differentiæ non importet in suo conceptu id in quo præfatæ differentiæ disconveniunt, ut amplius patebit in responsione ad sequentem instantiam: ad ultimum autem distinguo Minorem; sed intentio differentiæ non importat esse tale hujusmodi differentiarum, non importat explicitè, Concedo: non importat implicitè Nego. Cum enim esse tale hujusmodi differentiarum sit differre simpliciter & differre secundum quid; & ly simpliciter & secundum quid præscindi non possint à ratione quam afficiunt, ut ostensum fuit supra, & ut ulterius patet ex *Nota*, eo scilicet quod seorsim sumpta nullam constituunt lineam, ut constituunt veræ differentiæ quæ præscindunt à suo communi, consequenter fit quod hujusmodi intentio differentiæ importet, si non explicitè; implicitè saltem esse tale hujusmodi differentiarum.

Instabis: Hoc ipso quod aliquid verè contrahitur, verè etiam fuit abstractum: sed intentio differentiæ verè contrahitur, cum verè sit universalis & prædicabilis: Ergo intentio differentiæ verè etiam abstrahitur contra præfatam solutionem.

Respondeo Distinguendo Majorem: hoc ipso quod aliquid verè contrahitur, verè etiam fuit abstractum, ab his ad quæ verè contrahitur Concedo Ma orem; verè etiam fuit abstractum ab his, ad quæ solum imperfectè & aliqualiter contrahitur Nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: sed intentio differentiæ verè contrahitur, ad inferiora differentiæ essentialis, propriæ aut communis concedo: verè contrahitur ad ipsam differentiam essentialem, propriam aut communem Nego Minorem, & consequentiam, vel distinguo similiter consequens. Est Ergo notandum, & quidem seriò & diligenter quod quando dicitur quod intentio differentiæ unum constituit prædicabile & quod est verè prædicabilis & contrahibilis, & quod ibi intẽtio differentiæ non usurpatur, nec usurpari debet, nec potest pro intentione differentiæ comparativè ad tres assignatas differentias, adeò ut exerceatur ejus contrahibilitas atque prædicabilitas respectu trium differentiarum tanquam respectu inferiorum ad quæ verè contrahitur, & contrahi debet: cum enim talis secunda intentio habeat sibi adjunctam intentionem primam, suum scilicet fundamentum quod est ly

faciens differre; & hoc respectu trium differentiarum uni conveniat simpliciter, & aliis secundum quid, & ex ly simpliciter & ly secundum quid non possit una communis abstrahi ratio quæ ab iis omninò præscindat modis, cum hac supposita abstractione remaneant ly simpliciter & ly secundum quid tanquam modi, cum essentialiter tales sint, subindeque remaneant ut modificantes, adeoque & ut adhuc importantes rationem illam quæ supponebatur abstracta, non autem ab illa præscindentes; sequitur de primo ad ultimum quod hujusmodi secunda intentio non possit perfectè abstrahi à tribus assignatis differentiis, nec consequenter ad illa verè contrahi, nec exercere propriè suam prædicabilitatem tertii prædicabilis respectu earum. Unde dico, quod quando dicitur quod intentio differentiæ unum constituit prædicabile, quod ibi intentio differentiæ supponit ex primariâ sui suppositione pro intentione differentiæ essentialis seu propriissimæ ut sic tanquam pro famosiori significato & analogato; & ex secundariâ suppositione habet supponere pro intentione differentiæ propriæ & communis ut sic, tanquam pro secundariis significatis & analogatis, sicut dici solet de sano respectu animalis, sani urinæ & medicinæ; in hoc autem sensu verè quidem prædicabilis est intentio illa differentiæ, & verè contrahitur, subindeque & verè abstrahitur, ea tamen ad quæ contrahitur non sunt nisi ipsa inferiora differentiarum, non autem ipsæ differentiæ ut prætendit arguens; sicque ex illa abstractione intentionis differentiæ male concluditur fore univocam sive omninò eamdem comparativè ad tres assignatas differentias.

Nota.

Instabis secundò, Quodcumque comparatur ad aliqua tanquam ad differentias verè ab illis abstrahit, & non tantum imperfectè sive secundum conceptum explicitum; sed intentio differentiæ, sive quod in idem redit, ratio facientis differre comparatur ad ly simpliciter, & ly secundum quid trium differentiarum tanquam ad differentias: Ergo intentio differentiæ seu ratio facientis differre verè abstrahit à ly simpliciter & ly secundum quid, quæ in præfatis differentiis imbibuntur. *Minor* videtur certa; ly namque faciens differre dividitur & distinguitur in præfatis differentiis per ly simpliciter, & ly secundum quid. *Probatur Major*: verè & perfectè abstrahere ab aliquo est habere rationem suam extra illius rationem; sed quodcumque comparatur ad aliqua tanquam ad differentias habet verè rationem suam extra eorum rationem, cum omne tale verè componat cum differentiis, quod fieri non posset si

non

non esset extra earum rationem: Ergo quodcumque comparatur ad aliqua tanquam ad differentias, verè ab illis abstrahit.

Respondeo Negando Minorem, quod scilicet intentio differentiæ vel ejus fundamentum puta ratio facientis differre comparetur vel comparari possit ad ly simpliciter & ly secundum quid tanquam ad differentias; omnis namque differentia propriam dicit quidditatem seu rationem, propriamque constituit lineam, eamque superaddit rationi communi ad quam comparatur ut differentia: Jam sic est quod ly simpliciter & ly secundum quid nullam ex propriis rationem afferunt, nullamque constituunt lineam propriam & aliam à linea & ratione quam afficiunt & modificant, ut per se patet: Non Ergo ly faciens differre quantumcumque distinguatur in tribus præfatis differentiis per ly simpliciter & ly secundum quid, potest propterea ad talia comparari tanquam ad differentias; sed dici debet quod comparatur ad ly simpliciter differre & ad ly differre secundum quid tanquam ad modos exprimentes & explicitè importantes, quod solum implicitè importatur in ipsa intentione differentiæ, sive in ipsa ratione facientis differre, quæ quidem est præfatæ intentionis fundamentum.

Objicies tertiò: Si non esset intentio differentiæ univoca ad tres præfatas differentias, esset maximè quia inæqualiter participatur, puta simpliciter ab unâ, & solum secundum quid ab aliis; sed inæqualis hæc participatio non obstat univocationi; Ergo intentio differentiæ dici debet univoca ad tres præfatas differentias. *Major* patet ex probationibus conclusionis. *Probatur Minor:* in tantum inæqualis participatio obstat univocationi, inquantum ejus infert oppositum, scilicet analogiam; sed præfata inæqualis participatio non infert oppositum univocationis scilicet analogiam; Ergo nec obstat univocationi: *Major* patet. *Probatur Minor:* Non infert inæqualis illa participatio analogiam, si reperiatur analogia in participantibus æqualiter; sed reperitur analogia in participantibus æqualiter; cum accidens in communi sit tantum analogum & non univocum ad novem genera accidentium, aliàs non essent hæc suprema genera; & tamen æqualiter sive simpliciter à quolibet participetur: Ergo inæqualis illa participatio non infert analogiam.

Respondeo Negando Minorem primi & secundi argumenti, cujus negati ratio sufficienter colligitur ex jam solutis & resolutis objectionibus, ad tertium autem nego Majorem, quod

enim reperiatur analogia in participantibus æqualiter, hoc quidem probat quod inæqualis participatio non sit sola & adæquata causa analogiæ sive sola analogiæ illativa, non tamen probat quod non sit sufficiens causa; & quod non sit causa sed non sola; & sicut male ratiocinaretur qui diceret: generatio non producit hominem, si reperiatur homo productus qui non sit genitus, quia quod reperiatur homo productus non genitus solum denotat non esse generationem unicam hominis productionem, non tamen quod non sit productio & sufficiens productio, ita similiter dicendum est in præsenti casu. Unde dico verificari quidem, quod ubicumque reperitur præfata inæqualis participatio, qua scilicet participatur aliquid & simpliciter & secundum quid, ibi etiam reperitur analogia atque excluditur univocatio, non tamen verificatur, quod ubi solum hæc reperitur inæqualis participatio ibi solum reperiatur analogia, vel quod ubicumque reperitur analogia, ibi etiam reperiatur hæc inæqualis participatio; Quia ut patet in exemplo ab arguente adducto accidens in communi supponitur analogum ad novem genera accidentium, & tamen adhuc participatur æqualiter sive simpliciter à singulis; & in nostra sententia acutè satis & abundè probata universale est analogum, non verò univocum ad quinque prædicabilia, & tamen singula habent simpliciter esse unum in multis, propterea quod præfatà inæqualis participatio non est, ut jam non semel dictum fuit, sola, unica & adæquata causa analogiæ, quia ad hanc sufficit sola transcendentia rationis communis in iis ad quæ comparatur, ut satis acutè explicuimus in præfata sententia de analogia universalis & ulterius infra Deo dante explicabimus.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè nostræ sententiæ, adeò ut non possit in via & doctrina sancti Doctoris intentio differentiæ dici univoca ad tres assignatas differentias. Hoc autem colligo ex quadam doctrina & quidem multum suo more profundâ, quam affert sanctus Doctor *de veritate quæst. unica art. 2. in corpore* ubi hæc habet: *Enti non potest addi aliquid quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi vel accidens subjecto; unde etiam probat Philosophus*

phus in 3. Metaph. Quod ens non potest esse genus; sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Hæc D Thomas, ex quibus duo conficio argumenta ad intentum.

Primò quidem argumentor sic. Ideo ex D. Thoma ens non est genus ad inferiora: quia horum differentiæ enti superaddi non possunt quasi extranea natura: sed par est ratio quantum ad hoc de genere, ac de communi univoco; cum omne commune univocum non minus simpliciter contrahatur per differentias inferiorum quam genus, subindeque nec minus exigat per differentias contrahi quæ sint alterius & extraneæ naturæ quam genus: Ergo ex D. Thoma non potest aliquid esse commune univocum ad aliqua si horum differentiæ ei non superaddantur quasi extranea natura: Jam sic est, quod ea per quæ differunt tres assignatæ differentiæ non habent superaddi ipsi rationi communi facientis differre tanquam extranea natura; cum ea per quæ differunt sint ly simpliciter & ly secundum quid, ut dictum fuit, & hæc ut per se patet, nullam ex propriis naturam dicant, nec aliam afferant quam eam, quam afficiunt & modificant: Ergo ex citata doctrina sancti Doctoris non potest communis illa ratio facientis differre, nec per consequens ipsa secunda intentio differentiæ, cujus illa ratio est fundamentum proximum, & in ejus conceptu imbibitum manens, non potest inquam esse univocè communis ad præfatas tres differentias.

Secundò, Ex eodem sancto Doctore ibidem: ens non est genus nec consequenter univocè commune, [ut in superiori argumento notatum est] ad aliqua, quia hæc non addunt supra ens, nisi quia ipsius exprimunt modum, qui nomine entis non exprimitur; Jam sic est quod nec addunt tres assignatæ differentiæ super rationem communem facientis differre, subindeque & super intentionem differentiæ, non addunt, inquam, nisi quia ipsius exprimunt modum facientis differre, qui nomine ipsius facientis differre non exprimitur, cum non addant nisi ly simpliciter & ly secundum quid, & hæc duo addi non possint nisi quia jam exprimuntur, cum antea non exprimerentur, sive nisi penes explicitum & implicitum, non autem addi possint simpliciter & absolutè loquendo; cum omne tale additum etiam secluso illo cui additur habeat terminare posse certum, distinctum & determinatum conceptũ, & hoc verificari nequeat de ly simpliciter & ly secundum quid seclusâ ratione quam

affi-

sufficiunt, ut per se patet: Ergo ex præfata doctrina sancti Doctoris non est intentio differentiæ, sive quod in idem redit, communis ratio facientis differre univocè communis tribus præfatis differentiis, adeoque & nostræ favet sententiæ D. Thomas.

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum differentiæ superiores & genericæ includantur formaliter in differentiis inferioribus & atomis.

Respondeo Dicendum, quod quamvis loquendo realiter, materialiter: & entitativè differentia superior & generica, v. g. sensibile includatur in differentia inferiori, puta in rationali, propterea quod gradus illi Metaphysici, cum non nisi ratione distinguantur, ut abundè probatum fuit supra in quæstione de distinctione formali, & de compositione ex genere & differentia sunt per consequens una, eadem & indivisibilis res, sicque & sensibile est realiter in rationali, & rationale in sensibili, cum sit unum & idem quod est rationale & sensibile; Quamvis inquam loquendo realiter, materialiter, & entitativè hoc ita sit, nihilominus formaliter loquendo falsum existimo, Unde dico differentias superiores & genericas non includi formaliter in differentiis inferioribus & atomis, sive rationem aut conceptum objectivum differentiæ superioris non reperiri imbibitum in ratione sive conceptu objectivo differentiæ inferioris, quamvis secundum realitatem maneat imbibita; ex quo ulterius infero quod quamvis in sensu identico, reali, & materiali verè prædicetur differentia superior de inferiori, puta sensibile de rationali, loquendo tamen in sensu formali, sive quantum ad earumdem rationes & conceptus objectivos falsum est differentias superiores verè prædicari de inferioribus & atomis.

Ratio autem præfatæ responsionis est, quia differentia inferior supponitur simplex ex propria ratione, per exclusionem compositionis ex communi aliquo & aliquo differentiali, vel certè admittendus esset processus in infinitum, cum illud differentiale ex quo constaret, esset similiter compositum, subindeque & alio constans differentiali, & sic in infinitum: Ergo si differentia superior maneret formaliter imbibita in differentia infe-

inferiori esset in ea imbibita ut ipsa tota differentia,non autem tanquam pars ejus contrahibilis & communis : Jam sic est quod non potest differentia superior manere formaliter inclusa in inferiori tanquam ipsa tota differentia inferior; alias una species infima ab alia specie differret per differentiam genericam in qua conveniret,& quidem sine alio superaddito : cum differat per differentiam inferiorem,& hæc non sit in hoc casu additum quid differentiæ genericæ,sed potius sit ut dictum fuit differentiæ genericæ ipsa differentia inferior tota & integra: Ergo dici non potest quod differentia superior inclusa maneat in differentia inferiori loquendo in sensu formali sensu exposito.

Addo quod parest ratio de differentia generica atque de genere in hoc casu,cum sit hæc constitutiva generis, adeoque reperiri nequeat alicubi inclusa,quin inclusum reperiatur & constitutum genus: Jam sic est , quod genus dici non potest formaliter inclusum & imbibitum in differentia inferiori,adeo ut secundum propriam rationem & objectivum conceptum de illa prædicetur , cum hæc duo secundum proprias rationes & conceptus objectivos se habeant ut simpliciter contrahens & contrahibile,subindeque per modum partis & compartis, nec non & relativi & correlativi,adeoque & excludant se ex propriis rationibus,potius quam includant,& identificentur cum ut talia se habeant ut aliud & aliud: Ergo loquendo de differentia superiori & inferiori in sensu formali , verum non est quod superior inclusa maneat & imbibita in inferiori.

Dices primò, Quæ sunt idem formaliter uni tertio,sunt idem formaliter inter se; sed differentia superior & inferior sunt idem formaliter uni tertio , scilicet speciei : Ergo & sunt formaliter idem inter se,subindeque & una formaliter in alia imbibitur. Minor constat,sensibile namque & rationale formaliter prædicantur de homine,estque vera hæc prædicatio : homo est formaliter rationalis , homo est formaliter sensitivus , alias nihil esset formaliter. *Probatur sequela Majoris:* Non est major ratio,quod ex identitate absoluta cum uno tertio sequatur absoluta identitas inter se,quam ex identitate formali cum eodem tertio sequatur formalis eorumdem identitas: Sed quæ sunt idem absolutè cum uno tertio, sunt inter se absolutè idem : Ergo & quæ sunt formaliter idem cum uno tertio,debent esse idem formaliter inter se.

Respondeo Negando Majorem; si nimirum sumatur, ut sumitur de facto,universaliter vel claritatis gratia distinguo sic: Quæ

Quæ sunt idem formaliter uni tertio sunt idem formaliter inter se, si servent inter se eumdem respectum quem servant comparativè ad tertium Concedo: sin minus Nego; & sub eadem distinctione Minoris Nego Consequentiam. Sensus autem hujus distinctionis nec non & ratio Majoris negatæ est, quia cum particula illa formaliter involvat semper reduplicationem, nec nisi in sensu reduplicativo verificetur ut consideranti patebit; & omnis reduplicatio sit semper sub certo quodam respectu, ut similiter consideranti patebit, consequenter fit quod ut duo aliqua sint formaliter talia inter se ex eo quod sint formaliter talia in ordine ad tertium, debeant ad hoc eumdem inter se servare respectum, sive sub eodem respectu usurpari posse, prout considerantur inter se, sub quo usurpantur quando considerantur cum tertio: Jam sic est quod non est hoc absolutè & universaliter verum, & in præsenti casu est omninò falsum: ly namque sensibile & rationale respiciunt hominem per modum formalis prædicati; ex quo fit, quod identificentur formaliter cum homine; ècontra verò tantum abest quod inter se considerata respectum servent formalis prædicati, quin immo se potius respiciunt ad modum determinabilis & determinativi, subindeque partis & compartis, de quarum ratione & quidditate est, quod una sub tali formalitate non sit alia: non ergo verum est universaliter, & multò minùs in hoc casu quod ea quæ sunt formaliter idem uni tertiò, sint idem formaliter inter se; & si in sensu absoluto hoc absolutè sit concedendum ob rationem oppositam, ex eo scilicet quod in hoc sensu non attenditur respectus nec consequenter attendi debet respectus variatio.

Dices secundò, Conceptus differentiæ inferioris non est ita simplex ut sit actus purus: Ergo non est ita simplex differentia inferior quin adhuc imbibat quid potentiale, Sed tale potentiale aliud esse non potest quam differentia superior: Ergo conceptus differentiæ inferioris, sive differentia inferior formaliter sumpta habet imbibere superiorem. *Probatur subsumptum:* illud quod in potentia & potentialiter continet differentiam inferiorem non aliud esse potest quam differentia generica sive differentiæ superiores; Sed tale potentiale in differentia inferiori imbibitum est illud idem quod illam in potentia & potentialiter continet: Ergo tale potentiale aliud esse non potest, quam differentia superior.

Respondeo, Concedendo antecedens & distinguendo Consequens: Ergo non est conceptus differentiæ inferioris ita simplex

plex quin adhuc imbibat quid potentiale, tanquam aliquid quod formaliter respiciat; Concedo; tanquam aliquid quod sibi formaliter identificet Nego, vel, quod in idem redit, quia adhuc imbibat quid potentiale tanquam aliquid cum quo componat, Concedo: tanquam aliquid ex quo constetur & componatur, Nego: pro cujus intelligentia dico, quod ad hoc ut aliquid condistinguatur in simplicitate sua à simplicitate actus puri, non propterea requiritur quod aliquam in se admittat compositionem, nec per consequens quod adunet in se rationem aliquam communem & potentialem, sed sufficit quod talis sit naturæ in sui simplicitate, quod quamvis in se non admittat potentiale quid, illud tamen respiciat actu & compleat & cum eo componat; per hoc enim sufficienter distinguitur ab actu puro, tum quia hoc ipso quod componens cum aliquo potentiali tertiam naturam est hoc ipso imperfectum & incompletum quid ex propria & quidditativa ratione; tum etiam quia tale quid est & dicitur potentiale in obliquo, cum sit alicujus potentialis, & sit ad aliquid & propter aliquid potentiale, quæ etiam verificari non possunt de actu puro qui in conceptu suo est omninò absolutus ab omni potentialitate: Non ergo sequitur quod debeat conceptus differentiæ in se imbibere, admittere & identificare gradum genericè communem & potentialem, quantumvis in sui simplicitate recedat & concedatur recedere à simplicitate divina, sive actus puri.

Dices 3. Hoc ipso quod præmissæ veræ sunt in sensu formali, debet in eodem sensu verum esse & consequens. Sed in hoc discursu: omnis homo est sensibilis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est sensibile, veræ sunt præmissæ in sensu formali, & formaliter loquendo: Ergo & consequens in quo differentia superior prædicatur de inferiori verum similiter est in sensu formali, & loquendo formaliter. *Minor* per se patet; homo enim vel nihil est formaliter, vel est formaliter sensibilis & rationalis, utpote quæ ejus sunt prædicata magis intima & essentialia. *Probatur Major:* veritas præmissarum causa est veritatis consequentis; Sed esse non potest talis causa in alio sensu, quam in eo in quo ipsa veritas est: Ergo ubi præmissæ veræ sunt in sensu formali, debet & consequens in eodem sensu verificari. *Major* est certa, juxta regulam illam dialecticorum. Quod ex antecedenti verò sequitur consequens verum. *Probatur Minor:* causa quælibet hoc ipso quod talis præcontinet & præhabet id cujus est causa: Ergo hoc ipso quod veritas præmissarum causa est veritatis conse-

quentis

quentis debet illam præcontinere: Sed illam præcontinere nequit in alio sensu quam in suo seu proprio, cum illam præcontineat ut veritas, & in alio sensu veritas non sit: Ergo veritas præmissarum esse non potest causa veritatis consequentis, nisi in eo sensu, in quo ipsa veritas est.

Respondeo Negando Majorem, cujus quidem falsitatis ratio est, quia extrema consequentis sub alio ut plurimum usurpantur respectu in consequente, ubi considerantur ad invicem, quam in præmissis ubi considerantur comparativè ad unum tertium, ut patet ex responsione ad primum argumentum, atque ita, cum ibi non maneat idem respectus, non mirum quod locum non habeat illa particula formaliter sive verificatio in sensu formali, utpote qui non est sensus absolutus nec absolutè verificatur, sed semper cum aliqua restrictione, seu sub certo quodam respectu, quatenus scilicet subest illi respectui extremorum. Unde ad probationem concessâ Majori, Nego Minorem, cujus patet falsitas in hoc exemplo seu ratiocinio: *Omne lac est album; sed omne lac est dulce; Ergo aliquod dulce est album:* In quo quidem discursu rectè concluditur atque verum est consequens, sicut & antecedens, & tamen non nisi materialiter & ratione identitatis subjecti est verum, licet præmissæ supponantur veræ formaliter & in sensu formali, propterea quod ly album, quod respiciebat lac ad modum prædicati formalis, & ideo de illo prædicabatur formaliter, non habet sic respicere dulce sumptum formaliter, cum non sit albedo prædicatum dulcedinis, & ideo præfatum consequens ubi dicitur quod aliquod dulce est album, verificari non potest formaliter, etsi præmissæ sint formaliter veræ; sed materialiter solum & ratione subjecti, adeo ut sensus sit: Ergo subjectum aliquod habens dulcedinem est album: ad tertium autem, concesso primo enthimemate distinguo subsumptum: sed veritas præmissarum præcontinere nequit veritatem consequentis in alio sensu quam in suo seu proprio, si ly quam in suo, hunc faciat sensum, id est quam in vi & virtute proprii sensus, Concedo; si autem ly quam in suo, hunc faciat sensum, quam in eodem sensu in quo ipsa veritas est Nego. Non igitur veritas præmissarum eo eo quod causa est veritatis consequentis inferre debet consequens verum in eodem sensu in quo ipsæ præmissæ dicuntur veræ; cum propriè dicatur causa veritatis consequentis, eamque præcontinere ut causa per hoc præcisè quod antecedens ex vi & virtute proprii sensus, in quo ipsum est verum infert consequens verum, & ad hoc necesse non sit quod illud

inferat

inferat verum in eodem sensu in quo ipsum verum est, tum quia,ut ex ipsis paret terminis aliud haud dubiè est inferre consequens verum ex vi & virtute proprii sensus, & aliud inferre consequens verum in eodem sensu; tum quia ex vi formalis sensus qui supponitur in antecedenti potest de facto sequi materialis sensus in consequente; cum revera ex comparatione duorum ad tertium aliquod,ad modum prædicati formalis [in quo casu fit & verificatur sensus formalis] sequatur duo illa comparari posse inter se ut in subjecto convenientia, subindeque & prædicari posse de se invicem in sensu materiali, ut patet in exemplo supra adducto de lacte dulci & albo.

Colliges Pro capitis hujus de differentia complemento, quod quamvis definitio tradita à Porphyrio de differentia ut prædicabili,qua scilicet definitur,*quod prædicatur in quale quid de pluribus differentibus specie*,videatur ex hoc insufficiens, quod differentias omnes non comprehendit, cum differentiæ atomæ,ut rationale, non habeant aliqua sibi inferiora quæ differant specie; ac proinde non possint de pluribus differentibus specie prædicari; nihilominus adhuc defendi & sustineri potest ejus sufficientia, adeo ut hujusmodi definitio omnibus competat differentiis sive subalternis sive atomis, dicendo scilicet,quod illa particula *de pluribus differentibus specie*, non de differentibus specie inter se,in quo sensu non conveniret differentiis atomis,sed de differentibus specie ab aliis intelligenda venit: pro quo suppono tanquam certum, quod licet differentia tres habeat actus,scilicet dividere genus, constituere speciem,& facere differre unam speciem ab alia, & isti actus inter se habeant connexionem; tamen intentio differentiæ ut prædicabilis fundatur in illa secundum quod facit differre; & quidem non secundum quod facit differre propriè vel communiter,sed secundum quod differre facit propriissimè & essentialiter. Item suppono, quod quamvis fundamentum relationis alicujus secundæ intentionis non debeat poni expressè in ipsius secundæ intentionis definitione, optimus tamen definiendi modus est illam definire per ordinem ad suum fundamentum, cum secundæ intentiones non aliter nobis innotescant quam per sua fundamenta: Ex hac autem doctrina argumentor sic ad intentum. Si præfata particula *de pluribus differentibus specie*, in præfata differentiæ definitione apposita,intelligatur, non de differentibus inter se,sed ab alio; tunc talis definitio omni competit differentiæ: Sed potest hæc particula in præfata definitione ita venire intelligenda, immo &

debet: Ergo intellecta præfata definitio in suis particulis, sicut debet, adhuc omnibus competit differentiis, subindeque & est sufficientissima. *Major* est certa, sive enim differentia subalterna sit, sive atoma, verificatur semper, quod prædicatur de illis, quæ ab aliis specificè per talem differentiam differunt. *Probatur Minor:* in eo sensu intelligenda venit illa particula in quo non ineptè, sed potius magis juxta suam naturam differentia definitur: Sed sic intellecta illa particula, de pluribus scilicet non inter se sed ab alio per talem differentiam specie differentibus, non ineptè, sed magis juxta suam naturam definitur tunc differentia: Ergo talis particula ita intelligenda venit in præfata definitione. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* tunc magis juxta suam naturam definitur differentia seu differentiæ intentio, quando explicatur in ordine ad suum fundamentum, ut supposuimus supra; cum non aliter nobis hujusmodi intentiones innotescant, quam per sua fundamenta: Sed intellectâ particulâ illâ in præfato sensu, explicatur ibi intentio differentiæ in ordine ad suum fundamentum, cum explicetur in ordine ad ipsam differentiam ut facientem differre ab alio essentialiter: Ergo sic intellecta illa particula, de pluribus scilicet, non inter se sed ab alio per talem differentiam specie differentibus non ineptè, sed magis juxta suam naturam definitur tunc intentio differentiæ, seu differentia ut prædicabilis.

CAPUT
DE PROPRIO.
QUÆSTIO IX.

Utrum proprium constituatur universale seu quartum prædicabile per ordinem ad speciem, cujus est proprium, an verò per ordinem ad individua.

PRæmittendum primò, Pro intelligentia naturæ & quidditatis proprii, quatuor enumerasse Porphyrium acceptiones pro-

proprii. Vocat autem Porphytius proprium primo modo illud, quod competit soli speciei, sed non omni individuo illius speciei. quo quidem modo esse medicum aut geometram dicimus proprium hominis; & ratio hujus est quia cum de ratione proprii sit omni & profluere ex specie jam constituta, & tale proprium oriatur ex propriis principiis speciei, ideo dicitur proprium soli competens speciei; sed quia oritur contingenter, quia scilicet homo contingenter se applicat ad studium geometriæ verbi gratia, ideo dicitur proprium soli competens speciei, non omni ejus individuo, sed illis solum, qui talibus student artibus. Proprium verò secundo modo dicitur illud quod omni convenit, sed non soli, seu quod convenit individuo contento sub specie, non tamen soli huic speciei, sicut esse bipedem omni convenit homini, sed non soli: & hujus ratio est, quia tale proprium consequitur ad principia communia speciei ex necessitate; unde fit quod quia consequitur principia communia, ideo non soli conveniat speciei, sed etiam aliis quibus principium illud commune ad quod consequitur commune est; sed quia consequitur ex necessitate, ideo omni convenit contento sub hujusmodi specie ad quam consequitur. Proprium autem tertio modo dicitur, quod convenit omni & soli, sed non semper, sicut canescere propriè sumptum convenit omni & soli homini, non tamen semper convenit; & ratio hujus est quia tale proprium consequitur ad principia propria speciei, & ideo convenit soli; consequitur & necessariò & ideo convenit omni; sed consequitur transmutabiliter sive secundum quod ipsa species se habet in certa transmutatione & dispositione, & ideo non convenit ipsi secundum omne & quodcumque tempus & semper. Tandem proprium quarto modo quod quidem est proprium perfectiori modo, & quod ut plurimum intelligendum venit nomine proprii à Porphytio definitur quod convenit omni, soli, & semper. Quo modo risibile dicitur proprium respectu hominis; cujus quidem ratio est, quia tale proprium consequitur principia propria speciei, consequitur necessariò, consequitur & intransmutabiliter; & quia consequitur principia speciei propria, ideo convenit soli; Quia verò necessariò consequitur ideo convenit omni; Quia demum consequitur & intransmutabiliter, ita quod non oportet quod subjectum sic vel sic disponatur, ad hoc suscipiendum, propterea fit quod non tantum soli, nec tantum omni, sed etiam quod semper conveniat.

Notæ

Notæ

Notæ

Notæ

Præmittendum secundò, Pro intelligentia propositæ difficultatis,

tatis, quod ubi inquiritur an constituatur proprium in ratione universalis seu quarti prædicabilis per ordinem ad speciem, cujus est proprium, an verò per ordinem ad individua quod per ly individua non veniunt intelligenda propria ejus individua, prout scilicet per nomen ipsius proprii significata, ut hoc & illud risibile, hoc & illud admirativum: jam enim supra diximus quod omne prædicabile respectu suorum hoc modo individuorum habet formaliter rationem & intentionem speciei, quia risibile verbi gratia non prædicatur *in quale* de hoc & illo risibili, sed *in quid*, & ut dicens in actu totam essentiam, quam explicat hoc & illud risibile: Non ergo risibile constituitur in ratione quarti prædicabilis in ordine ad hoc & illud risibile; unde nec in ordine ad talia individua procedit præsens difficultas, sed in ordine ad individua propria speciei, à qua proprium dimanat; an videlicet in ordine ad illa, an verò in ordine ad ipsam speciem constituatur proprium in ratione quarti prædicabilis. Quia verò proprium potest esse vel proprium atomum ab specie infima & atoma dimanans: ut risibile; vel proprium subalternum ab specie dimanans subalterna ut auditivum, ideo ubi de proprio agitur subalterno tunc quod in præsenti inquiritur est an constituatur tale proprium in ordine ad speciem subalternam à qua dimanat; an verò in ordine ad species inferiores talis subalternæ speciei: ubi verò de proprio agitur atomo & infimo, tunc quæstio est, an constituatur universale, seu quartum prædicabile in ordine ad speciem atomam à qua profluit, an verò in ordine ad individua talis speciei. Porrò quod hic diximus de proprio proportionabiliter dicturi sumus de differentia, de qua similiter idem inquiri solet, an scilicet constituatur tertium prædicabile in ordine ad speciem quam constituit, an verò in ordine ad ejus individua de quibus prædicatur; eadem namque est difficultas sive de differentia sive de proprio, eædemque pro uno & altero militant rationes ut consideranti patebit.

Præmittendum tertiò, Pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *Ordo ad multa non se habet materialiter solum ad universale, sed formalissimè & constitutivè*; quod *status universalitatis est status quidam abstractionis*; quod *nihil est sub certo genere, quod non sit etiam sub certa specie.* Primò quidem receptissimum est apud omnes, quod ordo ad multa non se habet materialiter solum ad universa-

versale, sed formalissimè & constitutivè; ordo namque ad multa ingreditur definitionem ipsius universalis, cum ab omnibus definiri soleat unum in multis, vel unum aptum inesse multis; Ergo cum nihil magis formalissimè & constitutivè competat alicui, quam quod ejus constat & ingreditur definitionem, utpote quæ non nisi essentiam & rei essentialia explicat, evidenter sequitur, quod ordo ad multa non se habet materialiter solum ad universale, sed formalissimè & constitutivè.

Quantum verò ad secundum, quod scilicet status universalitatis sit status quidam abstractionis patet etiam evidenter, tum quia ut probatum supponimus ex dictis supra in quæstionibus de universali in communi non resultat universalitas nisi mediante actu præcisivo intellectus, eoque præsupposito; tum quia status universalitatis naturæ, est status quidam, in quo natura indifferenter respicit plura; Ergo est status oppositus statui contractionis, in quo scilicet natura est ad unum determinata; jam sic est quod status oppositus statui contractionis non est alius quam status abstractionis: Ergo status universalitatis est status quidam abstractionis.

Tandem quantum ad tertium, quod scilicet nihil est sub certo genere, quod non sit etiam sub certa specie, præterquam quod evidenter colligitur ab inductione; nihil namque est sub genere animalis, quod non sit vel rationale, vel irrationale, nec est aliquid sub genere quantitatis permanentis, quod non sit vel linea, vel superficies aut corpus; præterquam quod inquam hoc sufficienter colligitur ab inductione, potest præterea ulterius suaderi ex eo scilicet, quod sola species habet per se participare genus, & quidem in primo modo dicendi per se; cum ea sola sit definibilis, subindeque & ea sola includat genus in sui definitione; unde cum illud omne quod est tale, sit tale per illud quod habet esse tale per se, consequenter fit quod illud omne quod participat rationem generis, illam solum participet ratione speciei, sive quia ipsam participat speciem, in qua per se includitur genus, ac proinde verissimum est & receptissimum, quod nihil est sub certo genere, quod non sit etiam sub certa specie. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

CONCLUSIO: *Non habet proprium constitui in ratione universalis, seu quarti prædicabilis ex respectu quem dicit ad speciem, sed ex respectu solum ad individua.*

Probatur primò Ex primo præmisso principio, puta quod *ordo ad multa non se habet materialiter solum ad universale, sed formalissimè & constitutivè*, Arguo ergo sic. Ordo ad multa non se habet materialiter solum ad universale, sed formalissimè & constitutivè: Ergo non habet proprium constitui universale per ordinem, quem dicit ad speciem. *Probatur consequentia* proprium prout respicit speciem non nisi materialiter dicit ordinem præfatum ad multa; Ergo hoc ipso quod ordo ad multa non se habet materialiter solum ad universale, non habet proprium ex respectu ad speciem constitui universale. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, proprium prout respicit speciem non aliter dicit hunc ordinem ad multa, quam ipsa species quam respicit; Sed species secundum quod à proprio respicitur non dicit ordinem ad multa nisi materialiter: Ergo nec nisi materialiter dicit proprium ordinem hunc ad multa, prout respicit speciem. *Major* conceditur ab adversariis, qui propterea volunt quod dicat proprium ordinem ad multa ex respectu ad speciem, quia immediatè respiciens speciem, respicit mediatè, seu mediante specie ipsa speciei inferiora. *Probatur Minor*: species sub ratione totius actualis non nisi materialiter dicit ordinem ad multa, non autem formaliter & per se; Sed species respicitur à proprio sub ratione totius actualis: Ergo species secundum quod à proprio respicitur, non dicit ordinem ad multa nisi materialiter. *Major* conceditur communiter à Philosophis, qui propterea distinguunt in specie rationem totius actualis & rationem totius potentialis seu potentialiter continentis omnia sua inferiora, & docent sub hac tantum secunda ratione esse speciem formaliter universalem, subindeque & sub ratione tantum totius potentialis dicere formaliter ordinem ad multa, nec nisi materialiter sub ratione totius actualis. *Probatur Minor*: sub eâ ratione respicitur species à proprio, sub quâ proprium ab ea profluit & dimanat, ut per se patet cum sub ratione profluentis sit proprium speciei; Sed non profluit proprium à specie, nisi sub ratione totius actualis; cum ab ea profluat prout constituta per differentiam essentialem, & hæc componat & constituat speciem in ratione totius actualis ut per se patet, & communiter conceditur: Ergo species respicitur à proprio sub ratione totius actualis; Ergo species secundum quod à proprio respicitur non nisi materialiter dicit ordinem ad multa: Ergo non dicit proprium ordinem ad multa prout respicit speciem, nisi materialiter; Ergo hoc ipso quod ordo ad multa non se habet materialiter solum ad universale

universale, sed formalissime & constitutivè [quod est primum præmissum principium,] non habet proprium constitui universale seu quartum prædicabile ex respectu quem dicit ad speciē.

Probatur secundò Ex secundo præmisso principio, puta quod *status universalitatis est status quidam abstractionis*, Ex quo argumentor sic. Status universalitatis est status quidam abstractionis: Ergo non habet proprium constitui universale ex respectu quem dicit ad speciem. *Probatur consequentia*: non habet poni proprium in statu abstractionis ex respectu ad speciem: Ergo hoc ipso quod status universalitatis est status abstractionis, non habet poni proprium in statu universalitatis ex respectu quem dicit ad speciem. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: abstractio & contractio versantur circa idem; sed non habet proprium poni in statu contractionis comparativè ad speciem, sive quando prædicatur de specie: Ergo nec habet ex respectu ad speciem poni in statu abstractionis. *Major* est evidens cum opponantur abstractio & contractio eorumque oppositio consistat in hoc, quod terminus *ad quem* contractionis sit terminus *à quo* abstractionis. *Probatur Minor*: res per hoc quod contrahitur deperdit communitatem & generalitatem suam, seu quasi illimitationem quam habet ut abstracta; Sed per hoc quod proprium de specie prædicatur nihil, prorsus deperdit communitatis suæ aut quasi illimitationis, ut per se patet; cum adhuc his omnibus indifferenter convenire possit, quibus poterat priusquam prædicaretur: Ergo non habet proprium poni in statu contractionis comparativè ad speciem; sive quando prædicatur de specie: Ergo non habet proprium poni in statu abstractionis ex respectu ad speciem: Ergo hoc ipso quod status universalitatis est status quidam abstractionis, [quod est secundum præmissum principium,] non habet proprium ex respectu ad speciem constitui universale, seu quartum prædicabile.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, puta quod, *nihil est sub certo genere, quod hoc ipso non sit sub certa & determinatâ specie.* Unde sic arguo. Nihil est sub certo genere, quod non sit etiam sub certa specie: Ergo non habet proprium poni sub genere universalis ex respectu quem dicit ad speciem. *Probatur consequentia*: proprium ex respectu ad speciem sub nulla determinata universalis specie reponi potest immediatè; Ergo nec ponitur ex vi talis respectus sub genere universalis, hoc ipso quod nihil est sub certo genere, quod etiam non sit sub certa & determinata specie. *Consequentia* est

evidens. *Probatur antecedens*: hoc ipso quod proprium plures respicit species indifferenter, sub nulla reponi potest immediatè; sed sub respectu quem dicit ad speciem plures universalis species indifferenter respicit: Ergo ex respectu quem dicit proprium ad speciem sub nulla determinatâ specie universalis reponi potest immediatè. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: natura proprij reducitur ad speciem secundi prædicabilis, hoc ipso quod comparatur ad hoc & illud proprium; reducitur vero ad speciem quarti prædicabilis, hoc ipso quod comparatur ad inferiora speciei seu individua; atqui etiam sub respectu ad speciem potest adhuc ab intellectu nostro comparari, vel ad hoc & illud proprium, vel ad ipsa individua seu inferiora speciei: Ergo natura proprij etiam sub respectu ad speciem potest reduci indifferenter ad plures species: Ergo proprium ex respectu ad speciem, sub nulla potest determinata specie reponi immediatè; Ergo hoc ipso quod nihil est sub certo genere, quod non sit sub certa & determinatâ specie [quod est tertium præmissum principium] non habet proprium ex respectu ad speciem constitui universale, seu poni hoc ipso sub genere universalis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Objicies primò: Per illud unumquodque constituitur, per quod distinguitur; Sed proprium non distinguitur in esse prædicabilis, nisi ex respectu ad speciem: Ergo ex respectu ad speciem constituitur proprium universale & prædicabile. *Probatur minor*: non distinguitur proprium in esse prædicabilis, nisi per esse inter prædicabilia quartum; sed esse inter prædicabilia quartum illud non habet proprium nisi ex respectu ad speciem: Ergo nec habet proprium distingui in esse prædicabilis, nisi ex respectu ad speciem. *Probatur minor*: esse inter prædicabilia quartum, illud non habet proprium, nisi quia est proprium quarto modo, Sed quod proprium sit proprium quarto modo hoc non habet nisi ex respectu ad speciem; cum hoc habeat ut dictum fuit in præmissis, quia consequitur ad principia speciei, & propriè, & necessariò, & intransmutabiliter: Ergo esse inter prædicabilia quartum, illud non habet proprium nisi ex respectu ad speciem.

Respondeo Negando minorem: non enim potest distingui proprium [loquendo ut loquendum est de distinctione formali] in esse prædicabilis ex respectu illius in ordine ad quod non ha-

habet esse prædicabile, sed solum prædicatum; jam sic est, quod proprium comparativè ad speciem non habet esse prædicabile, sed solum prædicatum, cum prædicabile ad differentiam prædicati debeat posse contrahi ab eo respectu, cujus dicitur prædicabile; & proprium contrahi non possit per hoc quod de specie prædicatur, cum per hoc nihil prorsus deperdat communitatis suæ & quasi illimitationis, ut dictum fuit supra in prima probatione conclusionis: falsa ergo est illa minor, quod scilicet non distinguatur proprium in esse prædicabilis nisi ex respectu ad speciem. Ad probationem Nego similiter Minorem, cujus quidem falsitas evidenter colligitur ex tertiâ probatione, ubi ostensum fuit naturam proprii etiam sub respectu ad speciem posse indifferenter reduci ad plures universalis species, nec ad ullam sub tali respectu reduci posse determinatam cum ad nulla determinata inferiora compararetur, sed ad varia comparari possit indifferenter: falsa igitur est hæc secunda minor, quod scilicet esse inter prædicabilia quartum illud non habeat proprium nisi ex respectu ad speciem.

Unde ad ultimum ubi dicitur, quod esse inter prædicabilia quartum, illud non habet proprium nisi quia est proprium quarto modo, respondeo distinguendo sic: loquendo fundamentaliter, Concedo: formaliter loquendo, ut de facto loquimur, Nego Majorem, quod scilicet habeat proprium esse formaliter prædicabile quartum, quia est proprium quarto modo. Dico igitur, (& hoc præ cæteris notatum velim, & quidem seriò & diligenter) quod quamvis proprium quarto modo in ratione prædicabilis quarti constituatur formaliter, per solum ordinem ad individua, propterea quod solum in ordine ad illa rationem habet superioris, & per illam solum habet posse contrahi & descendere è statu suo abstractionis ad statum particularem, ut dictum fuit supra, fundamentum tamen prædicabilitatis ejus in ordine ad individua sumitur ex respectu quem habet ad speciem, in quantum scilicet proprium quatenus ab specie dimanans necessariò dat fundamentũ & occasionem intellectui illud referendi ad talis speciei individua;& ita ratio proprij quarto modo quę conceditur sumi ex respectu ad speciem, est fundamentum illius universalitatis in ordine ad individua. Unde quando ab adversariis dicitur, & repetitur toties, quod differentia inquantum differentia propriissima constituitur in ratione tertij prædicabilis, & quod proprium inquantum proprium quarto modo con-

stituitur in ratione quarti prædicabilis, id quidem verum est, si ly *inquantum* dicat rationem fundandi eas relationes prædicabilium, non autem si dicat rationem formalem relationis; hæc enim sumitur in ordine ad interiora, quamvis cum præsuppositione fundamenti, quod in ipsa relatione refunditur, ut diversimodè prædicabilia hæc respiciant individua.

Instabis: Proprium non habet formaliter constitui in ratione quarti prædicabilis, nisi in ordine ad terminum, cum quo habet dici ad convertentiam; Sed cum individuis divisivè sumptis non dicitur proprium ad convertentiam: Ergo nec habet formaliter constitui in ratione quarti prædicabilis per ordinem ad individua sed per ordinem tantum ad speciem. *Minor* per se patet: non enim valet: *Est aliquid risibile; Ergo est Petrus*; benè tamen, *Ergo est homo. Probatur Major.*: per ordinem ad illum terminum habet proprium formaliter constitui ut quartum prædicabile, per ordinem ad quem definitur prædicabiliter: Sed definitur proprium prædicabiliter sumptum ab Aristotele, per ordinem ad terminum, cum quo convertitur; definitur namque 1. *Topicorum cap.* 4. *id quod conversim prædicatur*: Ergo non habet proprium formaliter constitui in ratione quarti prædicabilis nisi in ordine ad terminum, cum quo habet dici ad convertentiam.

Respondeo Negando Majorem, si nimirum sumatur [ut ab arguente sumitur & sumi debet] ly quartum prædicabile formaliter, & non tantum fundamentaliter, eo scilicet sensu, in quo fuit declaratum in responsione ad objectionem. Unde ad probationem, distinguo Majorem: per ordinem ad illum terminum habet proprium formaliter constitui ut quartum prædicabile per ordinem ad quem definitur prædicabiliter, ly prædicabiliter hunc faciente sensum, in ratione prædicabilis, Concedo Majorem; ly prædicabiliter hunc faciente sensum, in ratione prædicati, Nego Majorem. Similiter distinguo minorem: Sed definitur proprium prædicabiliter sumptum ab Aristotele per ordinem ad terminum ad quem convertitur: ly proprio prædicabiliter sumpto supponente pro proprio ut prædicato, Concedo; supponente pro proprio ut prædicabili, Nego minorem & consequentiam. Non ergo definiit Aristoteles nec definire intendit proprium in præfata definitione sub ratione prædicabilis, sed solum sub ratione prædicati, quod quidem patet tum ex eo quod in eadem definitione priusquam dicat: *& conversim prædicatur*, præmittit, *quod soli inest*, quæ particula haud dubiè verificari nequit de proprio ut prædicabili, utpote

utpote quod sub tali ratione est unum in multis, seu unum aptum inesse multis; tum etiam quia per hoc quod definit per ly *conversim prædicari*, seu per ly dici ad convertentiam excludit hoc ipso inferius sive inferiora a tali prædicatione proprii; Ergo & excludit hoc ipso correlativum inferioris, sive inferiorum: Sed correlativum inferioris est ipsum superius; Ergo per hoc quod definit Philosophus ipsum proprium per ly conversim prædicari excludit superioritatem à proprio definito, sive sub ratione qua definitur; ac proinde & excludit ab eo ita sumpto statum abstractionis & universalitatis, subindeque & rationem prædicabilitatis.

Objicies 2. Non potest proprium rationem habere quarti prædicabilis per ordinem ad terminum, de quo mediatè solum prædicatur; Sed prædicatur proprium de individuis mediatè solum, seu mediante specie: Ergo non per ordinem ad individua constituitur proprium quartum prædicabile, sed per ordinem solum ad speciem. *Minor* constat; ideo namque Petrus est risibilis, quia homo est risibilis. *Probatur Major*: par est ratio quantum ad hoc de proprio ac de genere; Sed genus rationem non habet primi prædicabilis per ordinem ad ea de quibus mediatè tantum prædicatur: Ergo nec habet proprium per ordinem ad illa rationem quarti prædicabilis. *Probatur Minor*: genus mediatè prædicatur de individuis specificis; est enim vera hæc prædicatio: Petrus est animal; Sed genus non constituitur primum prædicabile per ordinem ad individua specifica, ut ex ejus colligitur definitione; Ergo genus rationem non habet primi prædicabilis per ordinem ad ea, de quibus solum mediatè prædicatur.

Respondeo Distinguendo majorem: non potest proprium rationem habere quarti prædicabilis per ordinem ad terminum, de quo mediatè solum prædicatur, si de illo mediatè solum prædicetur sub ratione superioris, Concedo: si vero de illo mediatè prædicetur sub alia ratione, & immediatè sub ratione superioris, Nego Majorem; & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam. Unde dico, verum quidem esse, quod ubi aliquid mediatè solum prædicatur de aliquibus ad modum superioris, adeo ut ejus superioritas immediatè exerceatur comparativè ad aliquid aliud, non habet in hoc casu tale quid constitui universale & prædicabile per ordinem ad ea de quibus solum mediatè prædicatur, propterea quod primarium ejus tanquam superioris correlativum, in ordine ad quod desumitur universalitas, est tunc aliud ab iis de quibus so-

lum

lum mediatè prædicatur; & hâc de causa dicitur genus non constitui in ratione primi prædicabilis per ordinem ad individua, quia de aliquo alio ab individuis prædicatur etiam ut superius immediatè, puta de speciebus; & ideo cum non habeat in individuis primarium sui tanquam superioris correlativum, non mirum quod non constituatur primum prædicabile comparativè ad talia individua, at vero quando dicitur quod proprium mediatè solum de individuis prædicatur, hoc non potest verificari de proprio sub ratione superioris; cum non sit aliud de quo immediatiùs prædicetur tanquam superius; ex eo scilicet quod ad speciem de qua etiam prædicatur, non comparatur tanquam superius, sed magis tanquam æquale, & æquè latè patens; ac proinde cum non obstante mediatâ hac prædicatione, quæ fit de proprio tanquam prædicato respectu individuorum, adhuc verificetur quod de illis immediatè prædicatur tanquam superius, subindeque, quod in illis habeat primarium suæ superioritatis correlativum, consequenter fit, quod adhuc dici debeat constitui universale, seu quartum prædicabile per ordinem ad individua.

Nota.

Instabis: Non potest proprium immediatè de individuis prædicari ut superius, si ut superius prædicetur de specie; Sed proprium prædicatur ut superius de specie; Ergo non potest sub ratione superioris immediatè prædicari de individuis, ut asserit præcedens solutio. *Major* supponitur; cum sub ea omni ratione sub qua proprium prædicatur de specie & de individuis, de istis prædicetur quia prædicatur de illa, adeoque de illa solum immediatè, & de istis mediatè tantum. *Probatur Minor:* eadem indivisibili relatione refertur proprium ad speciem & ad individua; Sed ad individua conceditur referri relatione universalis & superioris: Ergo & ad speciem refertur similiter ut superius. *Probatur Major:* ad duo aliqua sibi subordinata una tantum & indivisibilis sufficit relatio: Sed individua subordinantur & subsunt speciei; Ergo eadem & indivisibili relatione refertur proprium ad speciem & individua.

Respondeo Negando minorem primi argumenti; ad cujus probationem Nego Majorem; & ad ultimum distinguo majorem sic: ad duo aliqua sibi subordinata una tantum & indivisibilis sufficit relatio, quando unum & alterum sub eadem ratione respicitur, Concedo: si verò sub aliâ & aliâ ratione respiciantur Nego; cum enim multiplicetur & varietur relatio ex variatione rationis formalis, sub qua terminatur, evidenter sequitur quod quantumcumque duo aliqua sint inter se subordinata,

dinata si tamen sub alia & alia ratione formali respiciantur, ibi non sufficiat una & indivisibilis relatio: Jam sic est, quod species & individua quæ supponuntur inter se subordinationem involvere, sub alia & alia ratione arguente diversitatem relationum respiciuntur; cum species respiciatur a proprio ut quid æquale, & æque latè patens, & individua respiciantur ut quid inferius; & æquale & inferius sint rationis adeò disparis: Ergo quamtumque individua subordinentur speciei, & quantumcumque immediatè de ista & mediatè de illis dicatur proprium prædicari, non propterea sequitur quod una & eadem relatione & unâ & indivisibili prædicatione ad talia referatur, nec consequenter quod etiam ut superius de specie prædicetur immediatè.

Vrgebis: Hoc ipso quod proprium prædicatur de specie, & species de individuis, hoc ipso eodem prædicationis genere de uno & altero prædicatur; Sed sic est, quod proprium de specie, & species de individuis prædicatur: Ergo eodem prædicationis genere debet de uno & altero prædicari, & subindeque de specie prædicari debet prædicatione universalis, seu superioris *Minor* conceditur. *Probatur major:* quodcumque prædicatur de aliquo quod de altero prædicatur in tali aliquo virtualiter & implicitè prædicatur de illo altero; cum tunc tale quid sit implicitè illud alterum; Ergo hoc ipso quod proprium prædicatur de specie & species de individuis, prædicatur in specie virtualiter & implicitè de individuis; Sed hoc verificari nequit si alio genere prædicationis de specie & alio prædicetur de individuis, cum unum prædicationis genus non sit aliud genus implicitè: Ergo hoc ipso quod proprium prædicatur de specie, & species de individuis, hoc ipso eodem prædicationis genere de uno & altero prædicatur.

Respondeo Negando majorem, vel claritatis gratiâ distinguo sic: hoc ipso quod proprium prædicatur de specie, & species de individuis, hoc ipso eodem prædicationis genere prædicatur proprium de uno & altero, loquendo de genere prædicationis essentialis, vel accidentalis, Concedo; loquendo de genere prædicationis universalis & prædicabilis Nego, & concessa minori distinguo similiter consequens, nec non & sequens argumentum quod affertur in probationem Majoris; quod quidem est totum concedendum si intelligatur de genere prædicationis essentialis vel accidentalis, totum verò negandum si loqui intendat de genere prædicationis universalis & prædicabilis, licet igitur ubi sermo est de genere

præ-

prædicationis essentialis vel accidentalis verum haud dubiè sit & omnino concedendum, quod quando unum quid prædicatur de altero, & illud alterum de altero eodem prædicationis genere prædicetur, tunc tale quid de utroque, adeò ut si de primo prædicetur essentialiter vel accidentaliter, de secundo similiter prædicetur; propterea quod ly essentiale vel accidentale rem afficiunt secundum quod est a parte rei, adeoque cum duo illa quorum unum supponitur prædicari de altero sint hoc ipso unum prorsus & idem a parte rei, consequenter fit quod si tertium aliquod de uno illorum prædicatur essentialiter vel accidentaliter, de altero similiter prædicetur, subindeque & eodem prædicationis essentialis vel accidentalis genere; & hoc est quod intenditur in illa regula anteprædicamentali, ubi scilicet dicitur, *Cum quidpiam de quopiam prædicatur &c.* at vero si sermo sit non de genere prædicationis essentialis vel accidentalis, sed universalis & prædicabilis, tunc falsum est & omnino negandum quod ubi aliquid prædicatur de alio, & istud de altero; quod si de uno prædicatur tale quid prædicatione universalis, debeat similiter prædicari de altero; cujus ratio est quia ista duo, licet à parte rei sint unum & idem, inquantum unum supponitur prædicari de altero, adhuc tamen distinguuntur comparativè ad intellectum, adeoque comparativè ad intellectum possunt subinduere & de facto subinduunt in nostro casu varias rationes, cum species subinduat rationem æqualis respectu proprii & individuum rationem inferioris: Jam sic est, quod prædicario universalis seu prædicabilis non afficit rem ut est à parte rei, sed secundum rationem quam induit respectu intellectus, & ab eodem accipit, ut per se patet: Ergo ex eo quod unum quid prædicetur de alio, & istud de altero, minimè sequitur debere tale quid eodem prædicationis genere de utroque prædicari, si sermo sit, ut est in præsenti, de genere prædicationis universalis & prædicabilis.

Nota.

Objicies 3. Per illud constituitur proprium universale, ex quo per bonam consequentiam infertur & arguitur in proprio universalitas; Sed ex respectu proprii ad speciem infertur per bonam consequentiam universalitas in proprio: Ergo ex respectu ad speciem constituitur proprium universale. *Major* videtur certa, sola namque alicujus causa & ratio habet illud inferre per bonam consequentiam. *Probatur Minor*; respectus proprii ad speciem est respectus æqualis ad æquale; Sed æqualitas cum specie infert per bonam consequentiam universalitatem;

tatem; Ergo ex respectu proprii ad speciem infertur per bonam consequentiam universalitas in proprio. *Major* supponitur certa. *Probatur Minor:* esse cum specie æquale, est esse æquè late patens ac ipsa species : Sed esse aliquid æquè latè patens ac species non potest non inferre universalitatem in illo, cum non sit species latè patens, nisi quia universalis : Ergo æqualitas cum specie infert per bonam consequentiam universalitatem.

Respondeo 1. Negando majorem, puta quod per illud constituatur proprium universale, ex quo per bonam consequentiam infertur & arguitur universalitas, siquidem non tantum ex illo quod constituit universale potest argui & inferri universalitas, sed etiam ex illo quod solum concomitatur universale; vera namque & bona est hæc consequentia: *Est quantum; Ergo est locatum*, aut vice versâ, & tamen ly quantum seu quantitas non est ratio constitutiva locati, sed ubicatio, & est solum concomitans : Ergo quamvis datetur inferri per bonam consequentiam universalitatem in proprio ex respectu quem dicit ad speciem, non propterea sequitur aut sequeretur, constitui proprium in ratione universalis per talem respectum quia ad talem illationem & consequentiam sufficit simultas universalitatis cum tali respectu; unde conceditur quidem aut concederetur esse proprium universale cum tali respectu ad speciem, non tamen esse universale ex tali respectu, aut per talem respectum. Sed respondeo secundò distinguendo minorem sic: atqui ex respectu proprii ad speciem infertur per bonam consequentiam universalitas in proprio, loquendo de universalitate Metaphysica, aut de proximè fundamentali Logicâ, Concedo Minorem : loquendo ut in præsenti loquimur de universalitate formaliter logicali, Nego Minorem & consequentiam; licet igitur ex respectu æquali cum specie inferatur universalitas in proprio Metaphysica, sive materialis aut fundamentalis, inquantum scilicet sub tali respectu præscindit & abstrahit proprium, sicut & species à singularitate, unde fit, quod utrumque sub tali respectu sit latè patens; non tamen est verum quod sub tali respectu sive species sive proprium sint formaliter & logicaliter universalia, tum quia ut dictum est supra in probanda conclusione proprium non habet per se & formaliter respicere speciem, nisi sub ratione totius actualis, nec nisi materialiter respicit illam ut totum potentiale & ut dicentem ordinem ad inferiora, adeoque ordo ad multa qui est constitutivum universalitatis logicalis

calis non nisi materialiter se habet ad illum respectum quo proprium respicit speciem, & quo per consequens species proprium respicit; tum etiam quia proprium sub tali respectu ad speciem est adhuc indifferens ut comparetur ab intellectu vel ad hoc & illud proprium, quæ sunt propria ejus inferiora, vel ad hoc & illud individuum, quæ sunt propria inferiora speciei: Ergo sub tali respectu potest adhuc indifferenter reduci ad plures universalis species, cum comparatum ad propria inferiora rationem habeat speciei, & comparatum ad inferiora speciei rationem habeat quarti prædicabilis: Ergo sub tali respectu ad nullam adhuc pertinet universalis speciem determinatam; Ergo nec habet ex tali respectu poni formaliter sub genere universalis.

Instabis: Definitio tradita à Porphirio ipsum explicat ut est formaliter universale & quartum prædicabile, & non tantum materialiter aut Metaphysicè; sed definitio tradita à Porphirio proprium explicat per ordinem ad speciem: Ergo ex ordine & respectu ad speciem habet proprium esse formaliter universale. *Major* videtur certa, tum quia definiit Porphirius proprium, secundum quod spectat ad Logicum, adeoque & ut formaliter universale; tum quia alia quæ definiit prædicabilia definiit etiam ut sunt formaliter universalia ut considеranti patebit; Ergo & idem est dicendum de proprio. *Probatur Minor:* proprium quod præcipuè intendit definire est proprium quarto modo; sed proprium quarto modo explicatur per ordinem ad speciem; Ergo definitio tradita in præsenti à Porphirio proprium explicat per ordinem ad speciem. *Major* supponitur certa. *Probatur Minor:* proprium quarto modo explicatur in definitione Porphyrii per convenire non tantum omni & soli, sed etiam semper; Sed convenire semper verificari nequit de proprio per ordinem ad individua, sed per ordinem tantum ad speciem, cum individua utpote existentiam importantia non sint pro semper, sed pro certo tantùm tempore; bene tamen species, quæ abstrahit à tempore: Ergo proprium quarto modo explicatur in definitione Porphirii per ordinem ad speciem.

Respondeo Negando Minorem primi & secundi argumenti: etenim cum in præfata definitione adducta à Porphirio de proprio quarto modo dicitur quod proprium convenit omni, certum est & pro certo supponi debet, illud non esse intelligendum, ita quod conveniat omni speciei; aliàs hujusmodi definitio non competeret proprio speciei infimæ, cum sola sit & unica

unica species cui tale competat proprium; sed est intelligendum, ita quod conveniat omni individuo speciei à qua proprium dimanat, similiter cum dicitur quod proprium *convenit soli*, etiam intelligitur convenire individuis, non quidem determinatè uni vel alteri, sed omnibus & solis individuis speciei, à qua proprium dimanat; ita ut sensus definitionis; proprium est quod convenit omnibus inferioribus speciei, à qua dimanat, & solis illis, ac semper illis. Et ratio hujus est quia de eodem loqui intelligit Porphyrius, dum dicit quod convenit soli & semper, de quo intelligit dum dicit, quod convenit omni; aliàs si tres illæ particulæ omni, soli, & semper pro alio & alio supponerent, verificari possent de proprio tum primo tum secundo tum tertio modo, ut consideranti patebit: jam sic est quod ly, *omni*, haud dubiè intelligitur de omni individuo speciei, ut dictum fuit, subindeque in ordine ad individua, & non in ordine ad speciem: Ergo & aliæ particulæ in eodem sensu procedunt; subindeque falsæ sunt minores illæ duæ, quod scilicet proprium quod intendit præcipuè Porphyrius definire, explicetur in præfata definitione per ordinem ad speciem & non per ordinem ad individua, etsi proprium illud quod præcipuè intenditur definiri sit & esse concedatur proprium quarto modo; quod quidem facilè concedo ego, propterea quod proprium quod intendit præcipuè Porphyrius definire est haud dubiè proprium quod est tale simpliciter, & simpliciter condistinctum ab accidenti communi. quod quidem soli proprio quarto modo potest competere, cum id solum quod convenit omni, soli, & semper tale sit, quod in ejus definitione ponatur subjectum à quo profluit; & per hoc ut notat D. Thomas 1. *poste. cap. 4. lect.* 10. condistinguatur ab accidenti communi in cujus scilicet definitione non ponitur, ob ejus separabilitatem subjectum; nec enim homo ponitur in definitione bipedis; nec cygnus in definitione albi. Concessâ igitur Majori illa, quod scilicet proprium quod præcipuè intendit definire Porphyrius sit proprium quarto modo Nego Minorem, unde ad tertium Nego similiter Minorem, tum quia ly semper debet ut dictum est de proprio verificari in ordine ad id, in ordine ad quod verificantur aliæ duæ definitionis particulæ, puta ly omni & soli, quæ quidem ut ostensum est verificantur in ordine ad individua; tum etiam quia cum hæc particula [convenire] semper dicatur de proprio ut est formaliter universale, ut supponit arguens, ac proinde supponat ly convenire semper, non pro actuali convenientia, sed pro aptitudine ad

conveniendum, consequenter fit quod ad verificationem hujus particulæ in ordine ad individua exigatur dumtaxat, quod semper sint possibilia individua, quod haud dubiè ita est.

Quænam fuerit mens D. Thomæ *circa agitatam difficultatem.*

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè præfatæ resolutioni, quod quidem ex duobus satis apertè colligo, primò quidem ex his quæ habet S. Doctor *opusc.* 48. *cap.* 1. ubi sic loquitur. *Quia intellectus reflectitur supra seipsum & supra ea quæ in eo sunt, sive subjectivè, sive objectivè, considerat iterum naturam sic à se intellectam sine conditionibus materiæ, & videt quod talis natura cum tali universalitate seu abstractione intellecta potest attribui huic & illi; & ideo format secundam intentionem de tali natura; & hanc vocat universale seu prædicabile.* Hæc D. Thomas ex quibus arguo primo sic.

Ideo ex D. Thomâ format intellectus secundam intentionem universalitatis in natura, quia hanc comparativè considerat ut potentem attribui huic & illi; Sed quamdiu considerat naturam proprii respectivè solum ad speciem, illam non considerat ut potentem attribui huic & illi, cum sub tali respectu non attingat intellectus ly hunc & illum, ut supponitur; Ergo ex D. Thomâ non format intellectus intentionem universalitatis in natura proprii per hoc quod considerat illam respectivè solum ad speciem.

Secundò non format intellectus ex eodem D. Thoma ibidem intentionem universalitatis in naturâ, nisi quia naturam jam cum abstractione intellectam iterum considerat ut potentem attribui &c. Sed de natura proprii respectivè ad speciem verificari nequit quod naturam cum abstractione intellectam considerat; cum ab eodem abstrahat aliquid ad quod contrahitur, & proprium comparativè ad speciem non contrahatur, cum suam omnem ibi retineat communitatem & generalitatem; Ergo ex D. Thoma non potest intellectus formare intentionem universalitatis in natura proprii ex solo respectu ad speciem, subindeque verum quòd prius.

CAPUT
DE ACCIDENTE.
QUÆSTIO X.
In quo sensu definitio de accidente tradita sit bona.

PRæmittendum I. Definitionem à Porphyrio traditam de accidente, & de qua in præsenti controvertitur hanc esse; *Accidens est quod adest & abest sine subjecti corruptione*; circa quam aliqua prænotanda sunt primo quidem quod ly adest & abest non supponunt ibi pro inhærere vel non inhærere, sed pro convenire aut non convenire; ly namque inhærere proprium est accidentis prædicamentalis; quod contra distinguitur contra substantiam, adeoque & inhærere petit, non autem accidentis prædicabilis de quo est sermo in præsenti, quod quidem cum contra distinguatur contra prædicatum essentiale & necessarium, propterea fit quod sive inhæreat, sive non, sive sit de genere substantiæ, sive de genere accidentis, modo sit extra rei essentiam, neque necessario conveniat, adhuc de illo verificetur ly adest & abest. Aliud verò quod est notandum in præfatâ definitione, est quod quamvis definitio hæc accommodari possit accidenti sumpto secundo intentionaliter, sive secundæ intentioni illius, si nimirum in eâ subintelligatur particula *de multis*, dicendo scilicet aut subintelligendo, quod *accidens est quod prædicatur de multis ut prædicatum: quod adest & abest præter subjecti corruptionem*, dicendum tamen puto hujusmodi definitionem prout sonat in terminis applicandam fore primæ intentioni hujus quinti prædicabilis, ipsi scilicet naturæ accidentis, & quidem quodcumque illud sit, sive reale sive rationis. Cujus ratio est quia ly adesse & abesse à subjecto, etiam convenit accidenti, ut singulari & indi-

 vidua-

vidualiter accepto: ut consideranti patebit; quod haud dubiè dici non posset, si hîc solum definiretur secunda intentio quinti prædicabilis & universalis, cum ad singularia non descendat secunda hæc intentio. His ergo prænotatis jam quod in præsenti inquiritur est in quo sensu accipienda sit hæc definitio ut sit bona, cum in pluribus accepta sensibus mala sit. Etenim si per ly *adest*, *& abest* intelligatur realis præsentia & absentia, videtur insufficiens tunc definitio, cum accidens inseparabile ut est nigredo respectu corvi, non habet realiter abesse. Si verò per ly *adest & abest* intelligatur secundò intentionaliter pro affirmari & negari, videtur etiam verificari non posse de accidente inseparabili, cum quod in veritate affirmatur abesse, in re & realiter absit, & ly accidens inseparabile, quod etiam hic supponitur definiri ut dicemus, in re & reipsa non absit. Quod si dicatur non esse intelligendum adesse & abesse de affirmatione & negatione per modum judicii seu compositionis, sed ad modum simplicis præcisionis unum intelligentis sine alio; etiam in hoc sensu non videtur definitio hæc esse bona & legitima cum in eo aliis competat à definito, proprio scilicet, quod quidem per præcisivam & simplicem cognitionem adesse potest & abesse à suo subjecto sine subjecti corruptione.

Præmittendum secundò, Pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu inferendæ puta quod *definitum in præfata definitione idem est quod in alterâ, in qua definit Porphyrius accidens, per nec esse genus, nec speciem, nec proprium, nec differentiam:* Item quod *accidens definitum aliud est separabile, aliud inseparabile*, denique quod *in definitione accidentis omnia conveniunt & adunantur particularia accidentia.* Primò quidem certum est, & apud omnes indubitatum definitum in præfata definitione de qua est quæstio, idem esse quod in altera, in qua dicit Porphyrius quod accidens est quod neque est genus, nec species, nec proprium nec differentia; idem inquam est ibi definitum, & pro eodem supponunt hæ duæ definitiones, tum quia duas illas affert Porphyrius definitiones in eodem capite de accidenti, subindeque & illas affert ad explicandum accidens, de quo in illo agit capite, quod quidem sub una & eadem ac indivisibili ratione ibi consideratur, ut scilicet potens indicere intentionem quinti prædicabilis; tum etiam cum in primâ supponatur agere de accidenti quinto prædicabili, & in se-

cunda

cunda in qua illud distinguit ab aliis quatuor prædicabilibus, de illo etiam ut quinto prædicabili similiter agat, ut per se patet evidenter sequitur idem esse definitum in una & altera definitione.

Jam verò quantum ad secundum, puta quod accidens definitum aliud est separabile, aliud inseparabile ex eodem cap. 5. de accidenti colligitur, ubi postquam definiit Porphyrius accidens, illud deinde dividit dicendo: accidens aliud est separabile ut dormire, ambulare, aliud inseparabile ut nigredo corvi, vel Æthiopis; & ratio hujus est quia accidens quod causatur ex principiis individui sive individualibus sui subjecti, aliud est separabile, ut est illud quod habet transeuntem & non permanentem causam, & aliud inseparabile, illud scilicet quod principiis individualibus subjecti, ex quibus supponitur causari, causam habet non transeuntem sed permanentem, ut habent verbi gratia esse masculinum vel fœmininum; jam sic est quod definitum accidens pro eo supponit quod causatur ex principiis individualibus subjecti, ad differentiam accidentis proprii quod dicitur causari ex ipsis principiis speciei, quam propterea necessariò comitatur: Ergo pro certo haberi debet quod definitum accidens aliud est separabile & aliud inseparabile.

Tandem quantum ad tertium, puta quod in definitione accidentis omnia adunantur particularia accidentia, ratio est quia definitio non est nec datur, nisi de natura, in qua quidem conveniunt & communicant particularia, cum eam contrahant, subindeque communem & abstractam supponant: unde notat profundè Divus Thomas quod quando definitur substantia per esse per se, & accidens prædicamentale per esse in alio, non est hîc vera definitio; propterea quod, inquit, esse, ut dicit Avicenna, poni non potest in definitione generis alicujus aut speciei, eo quod, inquit, omnia particularia uniuntur in definitione generis vel speciei, cum tamen genus & species non sint secundum unum esse in omnibus; & ideo addit, non est hîc vera definitio sed circumlocutio descriptionis quæ talis intelligitur, substantia est res cujus naturæ debetur esse per se. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit

Nota.

CONCLUSIO: ***Sensus in quo verificari debet præfata definitio, est quod accidens sit quod adest & abest sine subjecti corruptione in sui quidditate.***

Probatur primò, Ex primo præmisso principio, puta quod *definitum accidens aliud est separabile, aliud inseparabile* : arguo ergo sic. Definitum accidens aliud est separabile, aliud inseparabile : Ergo sensus in quo verificari debet præfata definitio est quod accidens sit, quod adest & abest sine subjecti corruptione in sui quidditate. *Probatur consequentia*: non intellectâ definitione de corruptione subjecti in sui quidditate, in ea non comprehenderetur accidens inseparabile : Ergo hoc ipso quod accidens in ea definitum aliud est separabile, aliud inseparabile, debet in præfato sensu verificari definitio. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* : intellectâ definitione de corruptione subjecti in sua individuali entitate, in ea non comprehenderetur accidens inseparabile; Sed hoc ipso quod non intelligitur de subjecti corruptione in sui quidditate, intelligenda venit de corruptione subjecti in sua individuali entitate : Ergo non intellectâ definitione de subjecti corruptione in sua individuali entitate, in ea minimè comprehenderetur accidens inseparabile. *Major* constat ex præmissis : nec enim abesse potest nigredo à corvo sine ipsius entitatis individualis destructione, & hoc ob rationem in præmissis expositam. *Probatur Minor*: non potest subjectum dici simpliciter corrumpi nisi vel corruptione sui in sui quidditate, vel in sui individuali entitate, cum nonnisi ratione horum duorum utpote per se stantium subindeque & substantium dicatur simpliciter subjectum : sed corruptio subjecti de qua in præfata definitione fit sermo, est corruptio subjecti simpliciter dicta, ut patet ex terminis : Ergo hoc ipso quod non intelligitur de subjecti corruptione in sui quidditate, intelligenda venit de corruptione subjecti in sua individuali entitate : Ergo non intellecta hac definitione de subjecti corruptione in sui quidditate, in ea non comprehenderetur accidens inseparabile: Ergo hoc ipso quod definitum accidens aliud est separabile, aliud inseparabile, [quod est primum præmissum principium] sensus in quo verificari debet definitio est quod accidens sit, quod adest & abest sine subjecti corruptione in sui quidditate.

Probatur secundò, Ex secundo præmisso principio, puta quod *definitum in præfata definitione sit idem quod in altera, in qua de accidente dicitur quod nec sit genus nec species, nec proprium nec differentia* : Ex quo sic arguo : idem est definitum in præfata definitione, quod in altera, in qua de accidente dicitur, quod nec sit genus, nec species, nec proprium, nec differentia : Ergo sensus in quo verificari debet præfata definitio est quod accidés

sit quod adest & abest sine subjecti corruptione in sui quidditate, *Probatur consequentia:* non intellectâ præfatâ definitione de corruptione subjecti in sui quidditate, non habet definitum accidens condistingui à proprio: Ergo hoc ipso quod definitum accidens est idem cum eo quod neque est genus, neque proprium &c. debet sensus definitionis esse de subjecti corruptione in sui quidditate. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens:* in tantum condistinguitur definitum accidens à proprio, in quantum ex definitione excludit differentiale proprii; Sed non intellectâ hâc definitióne de corruptione subjecti in sui quidditate non excludit definitum accidens ex definitione differentiale proprii: Ergo non intellectâ hâc definitione de corruptione subjecti in sui quidditate non habet definitum accidens condistingui à proprio. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* negativum non excluditur nisi per affirmativum oppositum; sed proprium ex suo differentiali dicit non posse abesse sine subjecti corruptione in sui quidditate; cum ex propria differentia resultantiam dicat ex ipsis quidditatis principiis, eaque per consequens inseparabiliter comitatur: Ergo non intellectâ præfatâ definitione de subjecti corruptione in sui quidditate, non excludit hæc definitio differentiale proprii: ergo non intellectâ de corruptione subjecti in sui quidditate non habet definitum accidens condistingui à proprio; Ergo hoc ipso quod definitum in hac definitione est idem quod definitur in altera, in qua de accidente dicitur, quod neque est genus, nec species, nec proprium, nec differentia, debet hæc intelligi definitio de corruptione subjecti in sui quidditate

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio, puta quod *in definitione omnia adunantur particularia*; argumentor ergo sic. In definitione accidentis omnia adunantur in particularia accidentia: Ergo sensus in quo verificari debet lata definitio est, quod accidens sit quod adest & abest sine subjecti corruptione in sui quidditate. *Probatur consequentia:* non intellecta hac definitione de corruptione subjecti in sui quidditate, in ea non conveniunt omnia accidentia particularia: Ergo hoc ipso quod in definitione omnia adunantur particularia, debet in præfato sensu verificari & intelligi definitio. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens:* ibi non adunantur particularia accidentia, à quo secluditur, in quo adunantur; Sed non intellecta hac definitione de corruptione subjecti in sui quidditate, secluditur ab eo, in quo particulari accidentia adunantur: Ergo non intellectâ hâc definitione de subjecti corruptione

 in

in sui quidditate, in ea non adunantur omnia particularia accidentia. *Probatur Minor:* conveniunt & adunantur particularia accidentia in eo quod ab alio quam à subjecti quidditate causentur: Ergo isto secluso sive non intellecto, secluditur & id in quo particularia accidentia adunantur: Sed hoc ipso quod non intelligitur hæc accidentis definitio de absentia à subjecto, sine subjecti quidditatis corruptione, nec intelligitur causari accidens ab alio quam à subjecti quidditate; cum unum de necessitate aliud inferat ut per se patet: Ergo non intellectâ hâc definitione de subjecti corruptione in sui quidditate, secluditur ab ea, in quo particularia accidentia adunantur: Ergo non intellectâ hâc definitione de subjecti corruptione in sui quidditate, in ea non conveniunt particularia accidentia: Ergo hoc ipso quod in definitione omnia conveniunt & adunantur particularia, debet in præfato sensu verificari & intelligi definitio, scilicet de absentia à subjecto sine subjecti corruptione in sui quidditate.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

Objicies primò: Sensus in quo verificari debet definitio, debet esse talis, qui explicet naturam definiti: Sed per præfatam definitionem etiam intellectam de corruptione subjecti in sui quidditate non explicatur natura accidentis: Ergo non debet nec potest in præfato sensu verificari definitio. *Probatur Minor:* accidens sicut & quodvis aliud est determinatæ naturæ; Sed in præfata definitione etiam præfato modo intellecta non explicatur determinata natura; Ergo nec in ea explicatur natura accidentis. *Major* constat, cum quævis natura constituatur per differentiam tanquam per determinativum. *Probatur Minor:* non potest determinata natura explicari per indeterminatam disjunctionem unius vel alterius; Sed præfata definitio etiam ut in præfato sensu intellecta datur per indeterminatam disjunctionem unius vel alterius, puta per adesse vel abesse subjecto; Ergo in præfata definitione etiam præfato modo intellecta, non explicatur determinata natura.

Respondeo Negando Minorem primi & secundi argumenti; licet enim detur præfata definitio disjunctivè, una tamen & determinata natura accidentis prædicabilis per illam explicatur, quia in ea significatur natura accidentis indifferentem esse, ut subjecto conveniat vel non conveniat absque illius in sui quidditate corruptione, unde cum hæc indifferentia sit quid

quid determinatum; consequenter fit, quod illa definitio aliquid explicet determinatum, & determinatam naturam. Unde ad ultimum distinguo majorem sic: non potest determinata natura explicari per indeterminatam disjunctionem unius vel alterius, tanquam per aliquid in quo consistat talis natura, Concedo; tanquam per aliquid, ad quod indifferens sit, & in qua indifferentia consistat, Nego Majorem; & sub eadem distinctione minoris, Nego consequentiam. Non ergo definitur & explicatur natura accidentis prædicabilis, per ly abesse vel adesse, quasi in aliqua præfati disjuncti parte consistat; & hoc solum est, quod probat sive improbat argumentum, sed explicatur per ly adesse vel abesse, ut denotetur consistere ejus naturam in quadam indifferentia, ad utramque partem talis disjuncti; quod quidem colligo ex eo quod, cum verba in definitionibus posita non dicant actum, sed aptitudinem, ly per consequens adesse vel abesse supponunt ibi pro potentia ad utrumque, subindeque & pro præfata indifferentia.

Instabis: Non potest etiam in tali indifferentia consistere natura accidentis: Ergo nulla est ad præcedens argumentum solutio. *Probatur antecedens:* nulla potest constitui natura per indifferentiam ad opposita; Sed præfata indifferentia est ad opposita; Ergo in præfata indifferentia consistere non potest natura accidentis. *Minor* patet, adesse namque & abesse, convenire & non convenire sibi invicem opponuntur. *Probatur Major:* per indifferentiam ad ea constitui non potest natura, quæ ab eadem natura sese excludunt: Sed opposita se excludunt ab eadem natura; cum dicantur opposita quæ ab eodem subjecto se expellunt: Ergo nulla potest constitui natura per indifferentiam ad opposita.

Respondeo, Negando antecedens: ad cujus probationem distinguo majorem, nulla potest constitui natura per indifferentiam ad opposita, sumpta copulativè, Concedo; ad opposita disjunctivè, & divisivè sumpta, Nego; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quamvis igitur non possit aliqua constitui natura per indifferentiam ad opposita, sumpta copulativè, adeò ut constituatur natura accidentis per indifferentiam ad absentiam & præsentiam, propterea quod cum nusquam dentur opposita, de quarum ratione est se invicem excludere, ita copulata, nec ulla per consequens datur talis indifferentia, potest nihilominus aliqua constitui natura, v. g. natura accidentis, per indifferentiam ad opposita, sumptâ disjunctivè & divisivè, puta ad adesse vel abesse, propterea quod

cum taliter opposita non sint habenda, nisi successivè & pro diversis temporibus, non repugnat per consequens, quod eidem conveniant subjecto & naturæ, adeoque & quod detur indifferentia ad illa ita habenda, sicque & quod per talem indifferentiam certa constituatur natura, cum omnis certa & determinata potentia, sive indifferentia ad aliqua, non possit non esse certæ alicujus & determinatæ naturæ.

Objicies 2. Sensus, in quo verificari debet prædicta definitio, debet verificari posse de quibusvis accidentibus: Sed assignatus sensus non habet [omni alio secluso] verificari posse de quibusvis accidentibus: Ergo nec est sensus, in quo verificari debet præfata definitio. *Probatur Minor:* assignatus definitionis sensus est, quod adsit vel absit, sine subjecti corruptione, in sui quidditate: Sed dantur accidentia definita, quæ abesse non possunt sine subjecti corruptione in sui quidditate: Ergo assignatus definitionis sensus non habet verificari posse de quibusvis accidentibus *Probatur Minor:* non potest corrumpi subjectum in sua individuali entitate, quin simul corrumpatur & in sua quidditate: Sed dantur accidentia definita, quæ abesse non possunt sine subjecti corruptione, in sua individuali entitate: Ergo & dantur, quæ abesse non possunt sine subjecti corruptione in sui quidditate. *Minor* supponitur certa ex dictis supra; accidentia namque inseparabilia, quæ talia dicuntur, quia habent permanentem causam in subjecto, separari non possunt reali separatione, pro qua supponit ly abesse ita simpliciter prolatum, sine destructione subjecti. *Probatur Major:* quandocumque duo aliqua sunt realiter idem, quod dicitur realiter de uno, dici debet realiter de alio: Sed quidditas subjecti, & individualis subjecti entitas sunt realiter unum & idem, ly enim ***hic homo*** est realiter homo, & ly ***hic corvus*** est realiter corvus; Ergo quod dicitur realiter de individuali entitate, dici debet de quidditate; Sed ly corrumpi, ly destrui, sicut & ly produci dicuntur & afficiunt realiter: Ergo non potest corrumpi subjectum in sua individuali entitate, quin simul corrumpatur & in sui quiddirate.

Respondeo Negando Minorem primi, & secundi argumenti. Ad tertium autem distinguo majorem; non potest corrumpi subjectum in sua individuali entitate, quin simul corrumpatur & in sui quidditate, loquendo de quidditate quoad ejus realitatem, Concedo: loquendo ut in præsenti loquimur de quidditate quoad ejus rationem specificam, & prout species est, Nego Majorem; & concessa minori, Nego consequentiam, aut

aut distinguo similiter consequens. Pro quo notandum est, quod quando dictum fuit in conclusione, quod sensus, in quo verificari debet prædicta definitio, est quod accidens sit, quod adsit vel abest sine subjecti corruptione in sui quidditate, notandum inquam est quod ibi quidditas usurpatur pro ipsa ratione specifica, sive pro ipsa specie, ut species est, vel quod in idem redit, pro ipsa connexione prædicatorum essentialium, sub qua quidem ratione, quod de una dicitur quidditate dicitur & de omnibus similibus quidditatibus; unde & valet consequentia: *Petrus ex quidditate habet esse risibilis*; Ergo *quidditas Pauli est risibilis*; Ergo *& quidditas Iacobi est risibilis*; propterea quod cum quidditas sub ratione specifica & ut supponit pro connexione prædicatorum essentialium, sit id in quo conveniunt & adunantur, quæ habent quidditatem, perinde se habet, ac si in illis omnibus una tantum & unica esset quidditas, quod dici non potest de ejus realitate, sive de quidditate, prout consideratur, ut est realis entitas, ut per se patet: Jam sic est, quod ex corruptione & destructione subjecti in sui reali entitate, non propterea dissolvitur nec destruitur quidditas, prout species est, & prout est connexio prædicatorum essentialium, cum uno mortuo & corrupto homine, adhuc verum sit dicere, *homo est rationalis*, *homo est risibilis*; Ergo potest subjectum in sua individuali entitate corrumpi, absque eo quod necesse sit corrumpi in sui quidditate, loquendo de quidditate in sensu, in quo hic usurpatur, licet necesse sit corrumpi in quidditate, prout hæc realis entitas est.

Instabis: Quidditas corvi v.g. sub ratione speciei, sive connexionis prædicatorum essentialium, distinguitur tantum ratione a seipsa, ut est realis entitas: Ergo hoc ipso quod dissolvitur & corrumpitur, ut est realis entitas, corrumpitur hoc ipso & ut est species, sive sub ratione connexionis prædicatorum essentialium. *Antecedens* supponitur certum. *Probatur consequentia*: dissolvi & corrumpi sunt prædicata realiter afficientia: Ergo verificari debent de quidditate ut species est, ejusque entitate, prout sunt hæc reale quid; sed distinctio rationis earumdem sub ratione speciei, & sub ratione realis entitatis, non obest unitati earum reali, ut patet ex terminis; Ergo nec obest, quin de quidditate, ut species est, verificetur dissolvi & corrumpi hoc ipso quod de eadem ut est realis entitas verificatur.

Respondeo Distinguendo claritatis causâ antecedens sic: quidditas sub ratione speciei distinguitur tantum ratione a seipsa, ut est realis entitas; loquendo de specie inadæquatè sum-

ſumpta, & ut determinata ad unum ex ſuis inferioribus, Concedo: loquendo de ſpecie adæquatè ſumpta, & ſecundum indifferentiam ſuorum inferiorum, Nego quod quidditas corvi ſub ratione ſpeciei ratione ſolum diſtinguatur à ſeipſa, ut eſt realis ſive individualis entitas; cujus quidem ratio eſt, quia quidditas ſive ratio ſpecifica ita adæquatè ſumpta includit quidditatem ſive rationem ſpecificam tum hujus, tum etiam illius, & alterius corvi, ac proinde includit reale quid, quod non includit, prout eſt hæc individualis entitas, adeoque ita adæquatè ſumpta, realiter & pluſquam ratione diſtinguitur à ſeipſa, ut eſt hæc individualis entitas: Jam ſic eſt, quod ut verificetur corrumpi atque diſſolvi quidditatem ſub ratione ſpeciei, atque connexionis prædicatorum eſſentialium requiritur corrumpi ſive diſſolvi, non tantum prout inadæquatè ſumptam, & ut determinatam ad tale inferius, ſed etiam prout ſumptam adæquatè, & prout extenſam ad omnia inferiora; quod quidem patet ex eo quod, quamdiu in alijs inferioribus intacta manet & integra, valet hæc conſequentia: *talem participat ſpeciem: Ergo & habet tale & tale prædicatum eſſentiale*, quæ tamen conſequentia non valeret, ſi eſſet diſſoluta ſpecies, ſive connexio prædicatorum eſſentialium; ut per ſe patet & conſideranti magis patebit: Ergo quantumcumque de quidditate, ut eſt realis entitas, verificetur diſſolvi & corrumpi, & quamtumcumque realia ſint & realiter afficientia hæc prædicata, non propterea ſequitur diſſolvi atque corrumpi ſub ratione ſpecifica quidditatis, atque connexionis prædicatorum eſſentialium, cum non propterea corrumpatur nec diſſolvatur in aliis individuis, in quibus tamen ſub ratione ſpecifica quidditatis æquè & pari modo reperitur.

Nota.

Objicies 3. Poteſt in alio ſenſu verificari definitio, quam in ſenſu in concluſione expoſito: Ergo ſenſus ille expoſitus dici non debet ſenſus, in quo debet intelligi definitio. *Probatur antecedens*: adeſſe poſſe accidens vel abeſſe reſpectu diverſorum ſubjectorum, intra tamen adæquatam eorum ſphæram, quibus convenit, eſt alius definitionis ſenſus à ſenſu expoſito; Sed in hoc ſenſu verificari poteſt definitio: Ergo in alio verificari poteſt à ſenſu expoſito. *Major* patet; cum in eo ſenſu nulla fiat nec intelligatur fieri mentio de ſubjecto in ſui quidditate. *Probatur minor*: in eo ſenſu verificatur definitio, in quo omni competit accidenti; Sed omni competit accidenti, ſive ſeparabili, ſive inſeparabili, totam adæquationem ſubjecti tranſilire non poſſe, intra tamen illam adæquationem alicui de-

determinato abesse, alicui verò adesse: Ergo in præfato sensu habet verificari posse definitio accidentis.

Respondeo Negando antecedens, cujus quidem falsitas colligitur ex probationibus conclusionis, & præcipuè ex secunda, ubi ostensum fuit, quod non intellecta præfata definitione de corruptione subjecti in sui quidditate, non importabitur in definitione, per quod excludatur differentiale proprij, quod tamen importari debet, cum accidens in ea definitum sit idem quod in altera, in qua scilicet definitur quod neque est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, semper autem inest. Unde ad probationem Nego minorem, nec non & minorem tertij; tum quia loquitur ibi Porphyrius de accidente separabili & inseparabili tanquam de diversis; in hoc autem sensu fit omne accidens tum inseparabile tum separabile, inseparabile quidem ab adæquatione omnium subjectorum; fit vero separabile ab inadæquatis suis subjectis: tum etiam quia dari potest accidens aliquod separabile à tota adæquatione sui subjecti, ut patet si supponantur duo tantum homines in mundo, tunc enim dormire quod est accidens habet posse separari in tali casu ab omni suo subjecto, dum scilicet uterque homo vigilaret: Ergo saltem respectu talis accidentis verificari non potest præfatus definitionis sensus, eademque remanet difficultas de modo quo scilicet intelligenda est definitio, quod adest & abest sine subjecti corruptione.

Instabis: Intelligendo per adesse & abesse ly affirmari vel negari verificatur definitio, nullo habito respectu ad quidditatem subjecti; Sed potest intelligi & rectè intelligitur per ly adesse & abesse ly affirmari vel negari: Ergo & potest definitio verificari in alio sensu quam in sensu exposito de quidditate subjecti. *Major* est certa: nullo namque habito respectu ad quidditatem subjecti, immo loquendo de facto de ejus individuali entitate potest accidens affirmari & negari de suo subjecto sive subjecti corruptione etiam in individuali entitate, cum operationes intellectus nihil ponant in re. *Probatur Minor*: rectè haud dubiè intelligitur per verba in definitionibus posita, quód intelligendum voluit qui definivit: sed Porphyrius qui definivit, accidens intelligendum voluit per ly adesse vel abesse ly affirmari & negari: Ergo ly affirmari & negari rectè intelligendum veniunt per ly adesse vel abesse. *Probatur Minor*: loquens Porphirius in eodem capite de accidente inseparabili definito ait: *Mente namque cogitationeve corvus albus, & Æthiops non niger sine subjecti corruptione concipi potest*: Sed

per

per ly concipi non intelligit solum Porphirius cognitionem præcisivam, alias in hoc sensu comprehenderet proprium: Ergo intelligendum voluit Porphirius per ly adesse & abesse cognitionem affirmativam & negativam.

Respondeo Negando majorem: neque enim intelligendo per ly adesse & abesse ly affirmari & negari, propterea verificari debet nec potest definitio, si non habeatur respectus ad subjecti quidditatem, hoc est si per corruptionem subjecti non veniat intelligenda subjecti corruptio in sui quidditate; cujus ratio est quia affirmatio hæc & negatio vel est vera vel falsa; si falsa, Ergo falsum est quod accidens adsit & absit sine subjecti corruptione; si autem est vera ut supponitur; Ergo ita est à parte rei, quod adest & abest in re, adeoque intelligere per ly adesse & abesse ly affirmari & negari, est hoc ipso intelligere præsentiam realem & realem absentiam: Jam sic est, quod intelligendo per ly adesse & abesse realem præsentiam & absentiam verificari non potest præfata definitio, si per ly sine corruptione subjecti non veniat intelligendum sine corruptione subjecti in sui quidditate, cum de facto abesse non possit realiter accidens quod dicitur inseparabile, v. g. nigredo in corvo sine corruptione subjecti in entitate suâ individuali: Ergo quamtumvis per adesse & abesse intelligatur ly affirmari vel negari, non propterea verificatur definitio, si nullus habeatur aut subintelligatur respectus ad quidditatem subjecti; non quidem quia ly affirmari aut negari seu intellectus operationes aliquid ponant in re, [in quo hallucinatur arguens,] sed quia in re supponunt illud quod verè affirmant aut verè negant, quod quidem supponendo verificari nequit ut dictum est ly sine corruptione subjecti, nisi addatur aut subintelligatur, *in sui quidditate.*

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa præsentem difficultatem.

Respondeo D. Thomam apertè favere præfatæ nostræ resolutioni, ut colligitur ex eodem, *quæst. 2. de anima art.* 12. *ad* 7. ubi totam difficultatem resolvit sic: *tria*, inquit, *sunt genera accidentium; quædam causantur ex principiis speciei & dicuntur propria, sicut risibile homini; quædam causantur ex principiis individui, & hoc dicitur vel quæ habent causam permanentem in subjecto, & hæc sunt accidentia inseparabilia sicut masculinum & fœmininum & alia similia; quædam vero ha-*

habent causam non permanentem in subjecto, & hac sunt accidentia separabilia, ut sedere & ambulare; species autem intelligi non potest sine accidentibus qua consequuntur principium speciei, potest tamen intelligi sine accidentibus individui etiam inseparabilibus; sine separabilibus vero esse potest non solum species sed etiam individuum. Hæc S. Doctor ex quibus argumentor sic.

Ex D. Thoma ibi potest species intelligi sine accidentibus individui etiam inseparabilibus, non autem individuum; Sed per ly posse intelligi intelligit D. Thomas posse esse, vel posse in veritate affirmari vel negari quæ inferunt similiter ly posse esse, ut dictum est supra: cum postquam dixit sanctus Doctor: *potest intelligi*, statim addat: *sine separabilibus vero esse potest non solum species, &c.* Ergo ex D. Thoma potest species esse sine accidentibus individui inseparabilibus, non autem individuum: Sed posse esse speciem sine accidentibus individui inseparabilibus, non autem illa individuum, idem est ac posse accidentia inseparabilia adesse vel abesse sine subjecti corruptione in sui quidditate specifica, non autem in sui individuali entitate: Ergo præfata accidentis definitio quæ datur per adesse vel abesse sine subjecti corruptione in sui quidditate debet ex D. Thoma intelligi de corruptione subjecti in sui quidditate, ut scilicet communis sit accidentibus tum separabilibus tum etiam inseparabilibus.

QUÆSTIUNCULA

Respectu quorum inferiorum constituatur accidens quintum prædicabile.

Respondeo Dicendum, inferiora quinti prædicabilis in quantum talis esse ipsa subjecta de quibus dicitur denominativè & accidentaliter, non autem ipsa constituta ex accidente & subjecto: adeo ut constituatur album in ratione quinti prædicabilis, non per ordinem ad hoc & illud album, sed per ordinem ad parietem, papyrum, & alia similia subjecta. Ratio autem hujus est, quia ea solum sunt inferiora accidentis in ratione quinti prædicabilis, de quibus prædicatur in quale accidentaliter: sed non prædicatur accidens in quale accidentaliter

ter de constitutis ex accidente & subjecto, sed solum de subjectis: Ergo nec nisi subjecta respicit tanquam inferiora, in ratione quinti prædicabilis. *Major*: per se patet; cum modus ille prædicandi in quale accidentaliter sit distinctivus ab aliis quatuor prædicabilibus. *Probatur Minor*: sicut se habet albedo ad hanc & illam albedinem in modo prædicandi accidentaliter, vel essentialiter, ita se habet album seu constitutum ex accidente & subjecto ad hoc & illud album sive ad hoc & illud constitutum ex accidente & subjecto: sed comparata albedo ad hanc & illam albedinem non prædicatur accidentaliter sed essentialiter: Ergo nec prædicatur accidens accidentaliter de hoc & illo constituto ex accidente & subjecto. Minor per se patet, *Probatur major*. Non minus hoc & illud album essentialiter participant album ex parte formæ, quam hæc & illa albedo participant essentialiter albedinem; cum & album ex parte formæ sit albedo, & hoc & illud album sint ex parte formæ hæc & illa albedo; sed hoc & illud album supponuntur inferiora albi ex parte formæ quam dicit sicut hæc & illa papyrus supponuntur inferiora albi ex parte subjecti quod includit: Ergo sicut se habet albedo ad hanc & illam albedinem in modo prædicandi accidentaliter vel essentialiter, sic se habet album seu accidens ad hoc vel illud album, sive ad hoc vel illud constitutum ex subjecto & accidente. Unde hoc unum pro hujus resolutione notandum est, quod cum accidens puta album dicat albedinem in concreto potest respicere vel inferiora ipsius albedinis quæ sunt inferiora ex parte formæ, vel ipsa inferiora ex parte subjecti quod connotatur ab albo: quod si comparetur ad ipsa inferiora formæ, haud dubiè de illis prædicatur essentialiter & amittit rationem quinti prædicabilis, quia ut dictum fuit sicut hæc & illa albedo essentialiter participat albedinem, ita & hoc & illud album essentialiter participat album ex parte formæ: si autem comparetur ad inferiora quæ talia sunt respectu subjecti quod connotat, de illis solum accidentaliter prædicatur; & consequenter per ordinem ad illa constituitur & constitui debet in ratione quinti prædicabilis.

Dices primò: Omne & quodvis prædicabile habet tantum constitui prædicabile per ordinem ad ea à quibus habet abstrahi: sed accidens puta album non habet abstrahi à suis subjectis verbi gratia ab hoc & illo pariete: Ergo nec habet per ordinem ad illa constitui quintum prædicabile. *Probatur Minor*: non potest album abstrahi ab hoc & illo pariete, nisi vel

ut consideratis secundum se, vel ut sunt albi: sed non habet posse ab illis abstrahi consideratis secundum se, cum secundum se nec albedinem nec ullum aliud includant accidens: Ergo habet tantum ab illis abstrahi prout sunt albi: Sed parietes prout sunt albi, sunt hoc & illud album seu constitutum ex subjecto & accidente, & non subjecta tantum: Ergo accidens puta album non habet abstrahi à suis subjectis, sive à suis inferioribus ex parte subjecti quod dicit.

Respondeo Negando Minorem, ad cujus probationem distinguo Majorem; non potest album abstrahi ab hoc & illo pariete nisi, vel ut consideratis secundum se, vel ut sunt albi, aut specificativè aut reduplicativè Concedo: vel ut sunt albi reduplicativè tantum Nego & sub eadem distinctione subsumti nego consequentiam. Unde dico, quod quamvis non possit album abstrahi ad modum quinti prædicabilis, seu prædicabilis in quale accidentaliter à parietibus reduplicativè ut albis; propterea quod cum cadat ibi reduplicatio supra formam, fit quod ita reduplicativè considerati, considerentur tunc ut inferiora albi ex parte formæ, subindeque & ut essentialiter participantes albedinem ut supra ostensum est; hoc tamen non obest quo minus adhuc possit abstrahi à parietibus albis specificativè, sive à parietibus non ut, vel prout, sed unde & simpliciter loquendo habentibus albedinem, cum ita specificativè loquendo adhuc in illis repetiatur inclusa albedo: Jam sic est quod parietes ita solum specificativè albi non extrahuntur extra puram rationem subjecti respectu albi, nec induunt rationem inferioris albi ex parte formæ, sicut induunt hoc & illud album, cum ibi forma se habens solum specificativè; solum etiam se habeat minus principaliter, & supposit o & appellatio cadat semper supra subjectum: Ergo sufficienter abstrahi potest ly accidens v. g. album ad modum quinti prædicabilis à suis subjectis de quibus denominativè prædicatur sive à suis inferioribus quæ inferiora sunt ipsius albi ex parte subjecti quod connotat, non autem ex parte formæ quam dicit.

Instabis Respectu solum eorum constituitur aliquid in ratione prædicabilis, à quibus habet abstrahi abstractione totali: Sed accidens puta album non habet posse abstrahi à suis subjectis abstractione totali, sed tantum abstractione formali: Ergo non habet accidens constitui quintum prædicabile per ordinem ad sua subjecta. *Major* est certissima, cum enim abstractio universalis debeat esse talis quod abstractum prædicari possit prædicatione identitatis de eo à quo abstrahitur,

qualiter prædicari non potest nisi sit totum potentiale respectu illius, seu nisi in potentia & in confuso contineat totum quod est in illo, cum pars prædicari non possit prædicatione identitatis de eo, cujus est pars, consequenter sit quod respectu solum eorum constituatur aliquid universale seu prædicabile, à quibus habet abstrahi abstractione totali & non tantum formali. *Probatur minor*: taliter solum potest album abstrahi à suis subjectis, qualiter ea respicit: sed non respicit subjecta nisi ad modum formæ & tanquam forma: Ergo nec nisi abstractione formali potest ab illis abstrahi, non autem abstractione universali seu totali.

Respondeo Negando Minorem: licet enim albedo in abstracto, quia est forma subjecti in quo est, non possit abstrahi nisi abstractione formali ab illo, sicut humanitas, quia est forma constitutiva Petri, sumpta similiter in abstracto non potest ab illo abstrahi nisi abstractione formali, nihilominus sicut humanitas sumpta deinde in concreto, sive homo potest à Petro abstrahi abstractione totali & ad modum totius, propterea quod in concreto non ita exercet rationem constitutivi, quin etiam habeat rationem constituti subindeque & rationem totius potentialis & confusi respectu hujus & illius constituti in esse hominis, ita similiter Philosophandum est de albo sive albedine sumpta in concreto. Unde ad probationem nego similiter Minorem: respicere namque præcisè ad modum formæ & tanquam forma èst respicere per modum abstracti, cum forma sit essentialiter id *quo*, & esse id *quo* soli conveniat abstracto, cum concretum sit id *quod* ut ab omnibus concedi solet, & solet explicari in Dialectica: Jam sic est quod album non respicit Petrum & Paulum nisi ad modum quo concretum habet respicere hoc & illud concretum: Ergo habet album posse abstrahi à suis subjectis sive à partibus suis subjectivis abstractione etiam totali, subindeque & abstractione universali.

Urgebis: Omne & quodvis prædicabile habet immediatè prædicari de iis, per ordinem ad quæ constituitur prædicabile; Sed accidens puta album non habet immediatè prædicari de suis subjectis, cum immediatiùs prædicetur de hoc & illo albo; ideo namque Petrus est albus quia hoc album quod est Petrus est album: Ergo non potest accidens constitui per ordinem ad sua subjecta in esse quinti prædicabilis.

Respondeo Negando Minorem vel claritatis gratia distinguo sic: sed album non habet immediatè prædicari de Petro

& Paulo, sed de hoc & illo albo, loquendo de prædicatione qualicumque, id est sive *in quid*, sive *in quale*, Concedo: loquendo ut loqui debemus de prædicatione in quale accidentale Nego. Dico igitur; quod sicut dum dicitur quod quodlibet prædicabile constitui debet in ratione prædicabilis per ordinem ad ea de quibus immediatè prædicatur, fit ibi sermo de prædicabili constituto in ratione *specialis* prædicabilis, ita & quando additur quòd debet immediatè prædicari de iis per ordinem ad quæ constituitur in ratione prædicabilis scilicet specialis, hoc est intelligendum, ita ut secundum specialem modum prædicandi illius specialis prædicabilis debeat de iis immediatè prædicari, taliter quod secundum illum specialem prædicandi modum de nullo alio immediatiùs prædicetur: Jam sic est quod ly album secundum modum illum specialem prædicandi per quem constituitur quintum prædicabile, sive secundum modum prædicandi in quale accidentale immediatè prædicatur de suis subjectis verbi gratia de Petro & Paulo, cum de hoc & illo albo prædicetur quidem immediatè vel immediatiùs, sed non secundum illum prædicandi modum, secundum alterum scilicet *in quid*: Ergo non per ordinem ad hoc & illud album constituitur album in ratione quinti prædicabilis, sed per ordinem tantum ad sua subjecta, de quibus scilicet denominativè solum & accidentaliter prædicatur.

QUÆSTIO ULTIMA.

De modo prædicandi abstracta de concretis, & concreta de abstractis.

Cum prædicationes sint prædicabilium actus, & cognitâ rerum naturâ faciliùs habeatur eorum notitia, ideo cognitâ jam prædicabilium natura quæstionem hanc de variis concretorum & abstractorum prædicationibus, meritò in hunc locum distulimus, in quo quę de prędicationibus inquiri solent quæsitis aliquibus breviter resolvemus, præmissis prius aliquibus ad pleniorem intelligentiam non parum conducentibus igitur

Præmittendum primò Prædicationem esse & distingui triplicem, scilicet identicam, disparatam, & medio modo se haben-

tem, id est quæ nec identica est nec disparata. Prædicatio identica est illa in qua idem de seipso prædicatur, vel medio eodem nomine, vel mediis nominibus synonimis; quales sunt hæ prædicationes, *homo est homo : gladius est ensis.* Prædicatio autem disparata est, in qua formæ repugnantes ad invicem, in abstracto vel in concreto prædicantur; ut si dicas *homo est lapis, rationale est irrationale vel rationalitas est irrationalitas,* Prædicatio denique medio modo se habens, seu nec identica nec disparata, est in qua non prædicatur idem de seipso nec formæ repugnantes, sed in qua prædicantur formæ quæ eidem simul convenire possunt. Porro hæc prædicatio de qua præcipuè controvertitur alia est directa, alia indirecta. Prædicatio directa est illa in qua prædicatum significat aliquid quod se habet ut forma respectu significati subjecti; & è contra prædicatio indirecta est illa in qua prædicatum significat aliquid quod habet ut materia respectu significati subjecti: cum enim in qualibet prædicatione prædicatum se habeat ut forma aut quasi forma respectu subjecti, proptetea fit quod tunc solum sit directè prædicatio, cùm id quod revera est forma alterius habet in prædicatione locum sibi debitum, scilicet rationem prædicati; & è contra indirecta erit prædicatio si non habeat; & quia omne prædicatum superius, quatenus in inferiori quasi recipitur & determinatur se habet ut forma respectu inferiorum, ideò & directè de inferiori prædicatur, & inferius indirectè de superiori. Unde omnis prædicatio directa est superioris de inferiori, vel æqualis de æquali; & hac de causa, & quia existimavit Porphirius [ut in re ita verum est] quod sola prædicatio directa est simpliciter prædicatio, dixit in capite de specie, quod *paria de paribus aut majora de minoribus prædicentur oportet, minora verò de majoribus non oportet.*

Nota.

Præmittendum secundò: Quod licet nomina concreta & abstracta in significatione formali conveniant, quod eamdem significent formam, ut hæc nomina homo & humanitas eamdem humanitatem, & hæc album & albedo eandem albedinem; differunt tamen secundum diversum significandi modum; quia nomen concretum significat formam ut in subjecto vel subjecto; nomen verò abstractum significat formam absolutè, & ex modo significandi eam significat quasi per se stantem & subsistentem. Ex quo oritur quod nomina abstracta pro eadem supponant formâ quam significant, quia ex modo significandi non significant nec connotant aliud pro quo supponere possint: nomina vero concreta, licet formam significent,

ficent, supponunt tamen pro supposito vel subjecto cui ipsa competit forma, & hoc ob rationem oppositam; & sic ly homo supponit pro supposito naturæ humanę, sive pro habente humanitatem; & ly album pro subjecto albedinis, sive pro habente albedinem.

Præmittendum tertiò, Quod ut aliqua prædicatio affirmativa sit vera, debent extrema supponere pro eodem, hoc est quod idem realiter sit id pro quo supponit unum, ac id pro quo supponit alterum. Etenim ut prædicatio affirmativa quæ scilicet fit per verbum *est* in quo importatur identitas, ut inquam prædicatio hæc vera sit, debet esse identitas inter extrema, identitas inquam in eo quod significatur, explicatur vel connotatur per nomina mediis quibus fit prædicatio: nam quamvis aliquæ duæ formæ v. g. albedo & dulcedo in eodem subjecto conveniant; ac proinde hæc sit vera prædicatio: album est dulce, quia extrema supponunt pro subjecto quod est & supponitur idem utriusque formæ, & per ipsa nomina extremorum insinuatur & connotatur; hæc tamen est falsa prædicatio: albedo est dulcedo, quia per hæc abstracta nomina solum significantur formæ realiter distinctæ, & non importatur nec explicatur aliquid seu aliquod unum, in quo uno & eodem utraque conveniat forma.

Præmittendum ultimò Ex Divo Thoma 3. *p. quæst. 16. artic. 7. ad* 4. quod terminus in prædicationibus positus ex parte subjecti, si sit concretus terminus supponit materialiter pro subjecto vel supposito quod connotat, & è contra terminus positus ex parte prædicati tenetur formaliter pro forma significata. Et hinc est quod istæ prædicationes: ***album est dulce, dulce est album***, si in eodem reperiatur subjecto dulcedo, in quo reperitur albedo; non solum fiunt veræ prædicationes, sed utraque etiam est directa, quia cum subjectum utriusque prædicationis supponat materialiter pro subjecto, quod in re est subjectum utriusque formæ, sive prædicetur album de dulci, sive dulce de albo; semper tamen prædicatur forma de suo subjecto, ac proinde semper est prædicatio directa, juxta doctrinam supra præmissam. His autem præmissis, jam pro expositione & resolutione dicendorum.

Quæres primò Utrum abstracta de concretis & concreta de abstractis mediis nominibus primę intentionis verè prędicentur.

Respondeo Et dico primo quod mediis nominibus significantibus formas particulares creatas sive substantiales sive accidentales, nec abstracta de concretis nec concreta de abstractis possunt prædicari; unde falsæ sunt hæ prædicationes,

homo est humanitas, album & est albedo, & è converso si concreta de abstractis prædicentur. Ratio autem primæ partis, ex qua similiter deducitur secunda pars, est, quia ad veram prædicationem requiritur quod saltem implicitè & in potentiâ prædicatum includat quidquid includitur in subjecto, ut patet ex præmissis: jam sic est quod in præfati abstracti prædicatione de concreto, prædicatum non includit nec in actu nec in potentia quidquid includit subjectum: Ergo vera pars illa primæ responsionis ad quæsitum. *Probatur Minor*: prædicatum, ibi verbi gratia, humanitas solum includit id quo homo est homo, & per quod in esse hominis essentialiter constituitur, & albedo solum includit id quo album est album, & per quod in esse albi album constituitur: jam sic est quod subjectum verbi gratia includit homo suppositum quod non includit humanitas, & album includit corpus & suppositum, quorum neutrum dicit albedo: Ergo aliquid includitur in concretis illis, quod in abstractis nec implicitè nec in potentia clauditur; ac proinde talia abstracta de concretis prædicari verè non possunt. Ex quo similiter patet & altera pars, puta quod nec concreta hujusmodi possint de abstractis prædicari, siquidem ut prædicatio affirmativa sit vera debet esse identitas inter extrema prædicationis ut suprà prænotavimus. Jam sic est quod significatum abstracti & concreti in prædictis formis realiter distinguuntur; quandoquidem, licet tam abstractum quam concretum eamdem significent formam, concretum tamen significat vel connotat aliquid realiter superadditum formæ scilicet suppositum, quod in rebus creatis realiter à natura distinguitur ut nunc suppono, & Deo dante in Metaphysica demonstrabimus: Ergo nec talia abstracta de concretis nec talia concreta de abstractis possunt in veritate prædicari.

Respondeo & dico secundò pro quæsiti resolutione, quod in nominibus significantibus formas generales & transcendentes, ut ens & entitas, bonum & bonitas possunt ad invicem abstracta de concretis prædicari. Cujus ratio est, quia de qualibet re primo concipitur quod sit ens; quia nihil prorsus potest rationem entis subterfugere: Ergo de quacumque re, sive quomodocumque, vel in abstracto vel in concreto consideretur verè prædicatur quod sit ens: jam sic est quod passiones entis verum bonum, & unum ita late patent & æquè generales sunt & transcendentes, ac ipsum ens; Ergo de omnibus de quibus illud prædicatur, prædicantur & illæ: ac proinde omnes prædictæ generales & transcendentes formæ, etiam in concreto signi-

significatæ prædicantur de qualibet re, sive in abstracto, sive in concreto significentur.

Respondeo Et dico tertiò pro adæquata quæsiti resolutione, quod in nominibus significantibus naturam divinam, abstracta de concretis, & concreta de abstractis in sensu identico verè prædicantur: non tamen in sensu propriissimo & formali: ratio autem primæ partis est; quia in divinis non distinguitur realiter suppositum à natura, nec id quod est, ab illo quo est, alias Deus aut divina non essent sua perfectio, sed ab alio perficerentur & formarentur: Ergo quamvis ex modo significandi etiam in divinis abstracta significent id quo est, & concreta id quod est, & abstracta significent solum formas, & concreta significent formas connotando suppositum: adhuc tamen in sensu saltem identico verè prædicantur abstracta de concretis & concreta de abstractis, & in sensu saltem identico istæ sunt veræ: Deitas est Deus, Deus est deitas; pater est paternitas, paternitas est pater. Quod autem non sint veræ in sensu formali seu propriissimo insinuat, Divus Thomas; & quidem more suo profundè *prima parte quaest.* 30. *art.* 5. ex cujus doctrina hoc conficio argumentum; mala est hæc consequentia: Deus generat; sed Deus est deitas: Ergo deitas generat; sed non nisi quia in illa arguitur à sensu identico ad formalem, ut consideranti patebit, quod utique non esset, si minor non solum in sensu identico, sed etiam in sensu formali & propriissimo esset vera: Ergo non est vera hæc prædicatio in sensu formali propriissimo, deitas est Deus, Deus est deitas, & sic de cæteris.

Quæres secundo, Utrum abstracta de abstractis mediis nominibus primæ intentionis verè prædicentur.

Respondeo, Pro resolutione & dico primò quod forma genetica nedum accidentalis sed etiam substantialis verè & formaliter de specifica in abstracto prædicatur; adeoque sicut istæ communiter concedi solent etiam in sensu formali: albedo est color, gratia est qualitas, scientia est habitus: ita & hæc humanitas est animalitas; Hoc autem præterquam quod videtur sufficienter patere ex paritate in forma accidentali, ad quam certè non video quæ possit adduci disparitas, probatur insuper ex eo scilicet quod forma genetica & specifica substantiales, puta animalitas, & humanitas nullatenus actualiter à parte rei, sed solum per intellectum ratione ratiocinata supponuntur distingui, ut olim fuse probavimus contra Scotistas: Tum sic est quod distinctio rationis, nisi cum re-

duplicatione vel in actu signato ponatur, non sufficit ad falsificandum formaliter propositiones; Cujus quidem doctrinæ ratio est, quia in tantum falsificari possunt formaliter hæ prædicationes in abstracto, quia ex modo significandi in abstracto, videntur hunc facere sensum: ratio humanitatis est ratio animalitatis, & ita ponere distinctionem suam rationis in actu signato, & facere reduplicativum sensum; arqui hoc est falsum alias sequeretur hanc prædicationem, humanitas est entitas, hunc etiam facere sensum: ratio humanitatis est ratio entitatis seu id quo homo est homo est id quo homo est ens, cum hujus prædicationis extrema etiam in abstracto significentur; quod tamen communiter negatur, alias ea in sensu formali non concederetur, cum tamen illam nullus in sensu formali neget: Ergo nec altera propositio, humanitas est animalitas, hunc facit sensum ex modo significandi in abstracto, ratio humanitatis est ratio animalitatis; atque ita non videtur negandas fore hujusmodi prædicationes in sensu formali. Quod quidem confirmari potest ex D. Thoma *opusc. 7. super Boetium* dicente quod nihil potest abstrahi abstractione formali ab aliquo, de cujus essentia est; sed animalitas est de essentia humanitatis ut patet; Ergo non potest abstractione formali ab humanitate abstrahi, licet ob rationem oppositam possit formali abstractione abstrahi à supposito: Ergo animalitas non nisi abstractione totali seu ad modum totius potentialis & confusi potest abstrahi ab humanitate; Ergo cum totum potentiale formaliter prædicetur de his respectu quorum est totum, verè & formaliter prædicari potest de humanitate animalitas sicut & de homine animal.

Respondeo & dico secundò pro quæsiti resolutione, quod forma generica in abstracto prædicatur etiam formaliter de forma differentiali etiam in abstracto significata. Quod quidem probari potest ex iisdem rationibus, quibus præcedens dictum probavimus; præsertim ex eo quod forma generica ut ibi ostendimus continet implicitè & in potentia totum, quod in actu dicit forma specifica, nec nisi abstractione totali ab illa abstrahit; jam sic est quod forma specifica habet includere in actu differentiali formam tanquam ipsius constitutivum. Ergo forma generica, pura animalitas se habet ad formam differentialem ut totum potentiale, eam implicitè & in confuso continens, ac proinde habet de illa etiam prout in abstracto & consequenter in sensu formali de illa verè prædicari. Neque obstant tria illa quæ hic afferri solent in contrarium, quorum

quidem

quidem primum est quod differentiæ sunt omnino extra conceptum generis, ac proinde cum in natura generica in abstracto significatâ non includantur, nec potest de illis natura generica in abstracto prædicari : secundum verò quod quælibet differentia est conceptus simplex; Jam sic est quod non esset conceptus simplex, sed resolubilis in conceptum ipsius differentiæ & conceptum formæ genericæ in illa inclusæ, si de illa prædicaretur forma generica in abstracto; cum tunc in illa in abstracto considerata includeretur : tertium denique quod nulla forma in abstracto prædicatur de illo, de cujus essentia non est, forma autem generica non est de essentia formæ differentialis, cum illam non constituat: non inquam obstant illa tria, primò quidem quia si quid probarent, probarent etiam quod nec forma generica in concreto prædicaretur de differentiali, cum eodem modo differentiæ sint extra conceptum generis & differentia etiam in concreto, licet habeat connotare suppositum, significet tamen formam simplicem. Unde ad primum dico, quod licet differentiæ sint extra conceptum generis, loquendo in actu, ad differentiam speciei, quia tamen quodammodo educuntur ex potentialitate generis, ideo in ipsa natura generica quantumvis in abstracto considerata continentur implicitè & potentialiter differentiæ, quod sufficit ut de qualibet illarum forma generica etiam in abstracto ut superius de inferiori prædicetur, licet quia differentia habet se ut forma determinans potentialitatem generis, nec in abstracto nec in concreto de illo prædicetur prædicatione directâ, ad secundum verò dico quod ex eo quod sit differentia conceptus simplex, sequitur quidem quod in actu & explicitè non includat formam genericam, in quo ab ipsa distinguitur specie, non tamen sequitur quod eam implicitè & in potentia non contineat, cum concedatur continere implicitè & in potentia speciem ipsam, seu totum quod est in specie, & hanc implicitam ad invicem inclusionem habeant hujusmodi formæ, ex eo quod realiter & formaliter idem sint, & solum per intellectum ratione distinguantur, ut dictum est supra. Ad tertium denique dico quod licet forma generica non sit de essentia differentiæ immediatè, est tamen de essentia speciei, de cujus essentia est differentia, quod quidem sufficit ut etiam in abstracto de differentia prædicari possit; propterea quod hoc ipso quod forma generica est de essentiâ speciei, & differentia est etiam de essentia, non potest forma generica abstrahere abstractione formali à natura specifica, sed solum abstractione totali seu ad

 modum

modum totius potentialis & ita forma generica in abstracto de natura specifica, & de forma differentiali prædicari potest.

Quares tertiò : Utrum mediis nominibus secundæ intentionis concretum de concreto,& abstractum de abstracto prædicari possit.

Respondeo & dico primò quod nomina concreta secundæ intentionis, quæ significant formas simul eidem subjecto convenientes possunt ad invicem formaliter prædicari, non tamen quæ significant formas quæ eidem subjecto simul convenire non possunt. Ratio primæ partis est, quia cum nomen concretum significans formam aliquam realem vel rationis supponat pro subjecto talis formæ, pro subjecto videlicet inhæsionis, si fuerit forma realis, & pro subjecto denominationis si fuerit forma rationis, quales sunt formæ significatæ per nomina secundæ intentionis, evidenter sequitur verè de se invicem hujusmodi concreta prædicari, si nimirum formas significent eidem subjecto convenientes,& sic veræ sunt hæ prædicationes *hoc genus est genus, genus est prædicabile &c.* non autem hoc est verum si formas significent quæ eidem subjecto convenire non possunt : tunc enim non possunt extrema prædicationis supponere pro eodem ac proinde nec possunt tales formæ in concreto ad invicem prædicari, unde & hæc erit falsa prædicatio : subjectum est prædicatum, quia extrema formas significant, quæ eidem subjecto convenire non possunt.

Respondeo & Dico secundò quod mediis nominibus secundæ intentionis abstracta generica de specificis & differentialibus, & differentialia de specificis verè ad invicem prædicantur, non tamen alia abstracta, etiamsi significent formas eidem subjecto convenientes : ratio primæ partis est quia etiam in his formis rationis significatis per terminos secundæ intentionis dantur formæ genericæ & specificæ ut universalitas in sententia communiori est forma generica ad genereitatem & specieitatem aliasque formas specificas prædicabilium ; imò & in his sunt formæ etiam differentiales, licet nomina ad illas significandas non habeamus : Ergo eisdem rationibus quibus supra ostendimus in formis realibus prædicari formam genericam in abstracto de specificâ & differentiali probatur idem esse dicendum de his formis rationis. Unde & hæc erit vera prædicatio : *Genereitas est universalitas.* Ratio autem secundæ hujus dicti partis est quod in prædicatione per nomina abstracta secundæ intentionis significantia formas diversas

quam-

quamvis eidem subjecto simul convenientes non possunt extrema supponere pro eodem, nec pro subjecto, nec pro forma, non quidem pro subjecto, cum talia nomina secundæ intentionis in abstracto nec subjectum significent nec connotent; Sed nec etiam pro forma cùm supponamus diversas formas significare: Ergo prædicationes hujusmodi esse non possunt veræ; unde & falsæ sunt istæ: *Vniversalitas est prædicabilitas, specieitas est genereitas.*

Quæres 4. Utrum mediis nominibus secundæ intentionis concreta de abstractis verè prædicentur.

Respondeo & dico primò, quod de secunda intentione rationis quæ ab alia secund. intentione potest denominari, & esse substractum respectu illius, etiam in abstracto considerata potest prædicari in concreto secunda illa intentio denominans; atque ita istæ & similes propositiones sunt veræ: *Genereitas est species, ad hanc scilicet & illam genereitatem: specieitas est species, &c.* Ratio autem hujus est, quia in prædictis propositionibus prædicatum sive definitio prædicati verè convenit subjecto: Ergo prædictæ prædicationes sunt veræ. *Probatur antecedens*: etenim species est & dicitur quæ prædicatur de pluribus numero differentibus in eo quod quid: Jam sic est, quod hoc idem convenit genereitati & specieitati: genereitas enim prædicatur in quid de hac & illa genereitate, quæ solo numero differunt: Ergo definitio prædicati, ac proinde & ipsum prædicatum subjectis convenit prædictarum propositionum, sicque veræ sunt hæ propositiones. Addo quod extrema prædictarum propositionum supponunt pro eodem, siquidem licet genereitas, cum sit nomen abstractum supponat pro ipsa forma quam significat, & hoc nomen species cum sit concretum supponat pro materiali & substracto intentionis speciei, quia tamen ipsa genereitas seu forma generis est ibi materiale & substractum intentionis speciei, inde est quod hoc nomen *genereitas*, & hoc nomen *species* pro eodem supponant; ac proinde quod sint veræ hujusmodi prædicationes, cum sint affirmativæ, ut colligitur ex præmissis.

Respondeo & dico 2. quod secunda intentio in abstracto ut genereitas non potest prædicari de altera secunda intentione in concreto, puta de genere, etiam si intentio significata per concretum sit denominabilis à secunda intentione significatâ per prædicatum, ut accidit in exemplo ibi de genereitate & genere adducto. Ratio autem hujus dicti est quia in istis prædicationibus, *genus est genereitas, genus est specieitas*, in nullo suppo-

supponunt extrema pro eodem; in illis enim subjectum supponit pro substracto generis, cum sit concretum nomen, quod utique non est idem cum secunda intentione genereitatis & specieitatis pro quibus supponit prædicatum primæ & secundæ prædictæ propositionis: Ergo prædictæ prædicationes non sunt veræ. Ab hac tamen generali resolutione excipitur hæc prædicatio: *species est specieitas*; propterea quod quamvis verum sit quod prædicatum utpote nomen abstractum supponat pro ipsa forma specieitatis quam significat; & subjectum utpote nomen concretum supponat pro materiali & substracto intentionis speciei: quia tamen ut diximus supra aliquod materiale intentionis speciei potest esse ipsa specieitas, ut cum diximus: *specieitas, quæ scilicet abstrahitur ab hac & illa, est species*, propterea illa propositio indefinita est vera, quia est idem ac dicere, aliquod materiale speciei est specieitas.

Quæres ultimò, Utrum secundæ intentiones universalium de primis intentionibus singularibus, & secundæ intentiones singulares de primis universalibus prædicari possint.

Respondeo, Et dico primò, quod quamvis secunda intentio in abstracto de prima intentione in concreto non possint verè prædicari, ut si dicas homo est specieitas, animal est genereitas; propterea quod cum subjectum talium propositionum utpote concretum supponat pro materiali & substracto, quod est distinctum ab ipsa secunda intentione, pro qua prædicatum utpote nomen abstractum supponit, consequenter fit quod extrema prædictarum propositionum non supponant pro eodem, ac proinde quod illæ non sint veræ; dico tamen quod nomen secundæ intentionis in concreto prædicatur de naturis primæ intentionis, quas secunda intentio per prædicatum significata denominat; & ita nomen secundæ intentionis significans intentionem generis de naturis genericis, & significans intentionem speciei de naturis specificis, & significans intentionem singularis verè prædicatur de natura singulari, sicque veræ sunt illæ prædicationes licet accidentales, *animal est genus homo est species, Petrus est individuum.* Ratio autem hujus est duplex, tum scilicet quia quodlibet accidens reale seu rationis denominans, subjectum aliquod prædicatur accidentaliter de illo, qua de causa hæc solet admitti prædicatio, *homo est albus*: Ergo cum animal ab intentione generis denominetur, homo ab intentione speciei, & Petrus ab intentione individui, genus consequenter de animali, species de homine, & individuum de Petro verè prædicantur; tum etiam quia in talibus

bus prædicationibus definitio prædicati convenit, licet accidentaliter subjecto: animal enim habet esse id quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: Ergo & ipsum prædicatum verè, licet accidentaliter prædicatur de subjecto, sive genus de animali,

Respondeo, Et dico secundò: non possunt secundæ intentiones universalium de primis intentionibus singularibus, nec secundæ intentiones singulares de primis universalibus prædicari; unde & hæ sunt falsæ propositiones: ***homo est genus***, ***Petrus est species***, sicut & istæ, ***homo est individuum, animal est individuum***. Etenim ut habetur ex dialectica cum prædicatum secundæ intentionis conveniens rebus & non vocibus appellet supra proprium conceptum, & faciat illum supponere simpliciter pro eo quod primò & per se & formaliter significet, propterea fit quod sensus prædictarum propositionum sit, inter videlicet, ***homo est genus***, quod homo sub conceptu proprio hominis sit genus, & sic de cæteris; jam sic est, quod sensus illi *sunt* falsissimi: Ergo omnes prædictæ propositiones in sensu formali, quem ex vi prædicati secundæ intentionis & appellationis ab illo provenientis faciunt, sunt falsæ.

LIBER QUARTUS
DE
PRÆDICAMENTIS.

EXORDIUM sumit ab hoc libro peripatetica doctrina, cujus scilicet Author & princeps est Aristoteles, atque ab eodem & Logicæ, & totius doctrinæ suæ initiavit Aristoteles principia ea præcipua ratione ductus, quia hinc initiat, & incipit Logica directionem operum rationis ex parte materiæ artis suæ. Etenim, cum proprium ejus munus sit

sit tres operationes mentis dirigere, quarum quidem prima est simplex operatio, quæ simplicia apprehendit, oportet primum Logicam huic operationi admovere manum; Etsi et hæc operatio, quia simplex, non videatur directione seu regulatione indigere, sicut nec simplex visio exterioris potentiæ oculi; Nihilominus [ut bene advertit Cajetanus] magna eget ordinatione ex parte sui objecti, seu propositionis sui objecti, eo quod scilicet res à sensibus ad intellectum valde involutè & confusè procedunt: enim vero per oculos v. g. proponitur coloratum, cum figura, quantitate, relatione, substantia, motu, & pluribus aliis, quæ simul involuta præsentantur; atque ita ut perveniret intellectus ad quidditatem rerum, sciretque formare definitiones, & ex definitionibus proprietates per demonstrationes elicere, necessum fuit segregare res istas, & in sua genera quasi in classes distribuere, quæ quidem genera vocamus communiter prædicamenta, seu cathegorias, id est series seu coordinationes prædicatorum superiorum & inferiorum, in unoquoque genere & classe, ut inde unicuique rei sua propria prædicata essentialia atque proprietates assignemus.

Hic ergo liber simplicia rerum genera considerat, ea disgregando & discernendo; non quia eorum naturas consideret, quod ad Metaphysicum spectat, sed in iis considerando præfatam coordinationem prædicatorum superiorum & inferiorum, quod quidem Logici negotii est: totum autem hunc librum in tres præcipuas divisit partes Aristoteles, in quarum prima, quæ dicitur *antepredicamentalis*, sive *antepredicamenta*, agit Aristoteles de quibusdam necessariis & necessario requisitis ad rationem entis prædicamentalis, & ad ejus coordinationem in suis generibus; & ideo quia prædicamenta, sive suprema genera supra se solum continent analoga, seu æquivoca, & infra se solum univoca, considerando verò comparativè unum prædicamentum ad aliud, se habent denominativè, præmisit propterea Aristoteles expositionem quasi antepredicamentalem analogorum, æquivocorum, univocorum, denominativorum, nec non regularum duarum ad coordinationem prædicamentorum conducentium. Quia vero de denominativis egimus supra, in exponendis terminis; & de univocatione & analogia, præter ea, quæ ibidem diximus supra, fusè agemus in sequenti quæstione ubi de analogia entis prædicamentalis, ideò hanc primam absolvemus partem, regulas illas duas, quas vocant antepredicamentales, exponendo & resolvendo.

Expo-

Exponuntur regulæ duæ antepredicamentales.

Regula prima, Quam affert Philosophus in tertio capite hujus libri, ut quoddam antepraedicamentale, seu tanquam aliquid ad notitiam praedicamentorum conducens, sub his proponi solet terminis: *Cum quidpiam de quopiam, ut de subjecto prædicatur, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de subjecto*, ut, quia homo prædicatur de Petro, & de homine, dicitur animal, etiam animal dicitur & prædicatur de Petro. Porro regulam hanc, licet omnes propter Philosophi authoritatem admittant, variè tamen illam explicant, & in varios adducunt sensus, quibus brevitatis, tum claritatis causa omissis.

Dico, quod vera & ad mentem Philosophi regulæ hujus explicatio est, quod cum quidpiam de quopiam, ut de subjecto, id est *quidditativè* prædicatur, quidquid quidditativè prædicatur de prædicato, quidditativè etiam dicitur de subjecto; enim vero Aristoteles eam statuit regulam, ut cognoscantur, quæ in recta linea in quolibet prædicamento debeant collocari: sed in recta linea solum ponuntur, quæ quidditativè de inferioribus prædicantur: Ergo ea regula ex Philosophi mente intelligitur solum de prædicatione quidditativa, ad hunc scilicet finem, ut series cujuslibet prædicamenti ordinetur. Quia enim homo v.g. quidditativè prædicatur de Petro; & de homine prædicatur quidditativè animal; & de animali corpus; & de corpore substantia: ideo omnia hæc superiora prædicata prædicantur quidditativè de Petro, & inter se superiora de inferioribus: atque ita per regulam hanc sic explicatam deducitur, quæ in recta linea alicujus prædicamenti debeant collocari, ad quod quidem agnoscendum prædictam tradidit Aristoteles regulam.

Dices: etiam in prædicationibus non quidditativis tenet hæc regula: Ergo assignatus sensus esse non potest sensus regulæ assignandus. *Probatur antecedens:* Prædicatum album non prædicatur quidditativè de homine; sed tenet hæc regula in prædicato albo, comparativè ad hominem: Ergo etiam in prædicationibus non quidditativis, tenet hæc regula. *Probatur Minor:* Hæc consequentia valet. *Homo est albus; album est disgregativum visus; Ergo homo est disgregativum visus:* sed non tenet hæc consequentia, nisi in vi præfatæ regulæ; cum tenere non possit, nec esse bona in vi alicujus syllogismi, ex eo

scili-

scilicet, quod neutra præmissarum distribuatur, sed sit discursus ex puris particularibus: Ergo tenet hæc regula in prædicato albo, comparativè ad hominem.

Respondeo, Negando antecedens, ad cujus probationem, Nego Minorem secundi, sicut & minorem tertii, ejusque probationem. Prædicta namque consequentia tenet virtualiter, in vi syllogismi facti in *Disamis*: Etenim cum illa minor, *album est disgregativum visus*; sit in materia naturali, in qua propositio indefinita æquivalet universali; huic consequenter æquivalet, *omne album est disgregativum visus.* Unde in prædicta consequentia includitur virtualiter iste syllogismus in *Disamis*: album est homo; sed omne album est disgregativum visus: Ergo homo est disgregativus visus; & ita prædicta consequentia in vi hujus syllogismi virtualiter ibi inclusi tenet, non autem in vi præfatæ regulæ.

Secunda verò regula antepraedicamentalis bimembris est, atque sub iis proponi solet terminis: *Diversa genera non subalternatim posita diversas specificè habent differentias: genera verò quorum unum collocatur sub altero, non inconveniт easdem habere differentias.* Pro cujus expositione

Dico Sensum regulæ hujus esse, quod quamvis genera, quæ talem habent subordinationem, quod unum contineatur sub altero, possint per easdem differentias mediatè vel immediatè contrahi, ut patet in vivente & corpore, quorum unum scilicet vivens, immediatè contrahitur per hanc differentiam: *sensitivum*; alterum verò puta corpus mediatè; adeo ut æque possit definiri animal, dicendo quod sit substantia sensitiva, vel corpus sensitivum, ac dicendo ipsum esse vivens sensitivum. Nihilominus ea, quæ hoc modo inter se non subalternantur, non possunt contrahi per easdem differentias, propterea quod diversis potentiis diversi debent actus correspondere, cum ab eis desumatur diversitas illa potentiarum; atque ita cum duo genera, quorum unum non continetur sub alio, sint diversæ essentialiter potentiæ Metaphysicæ, actus vero ipsis correspondentes, sint differentiæ ipsæ, consequenter fit, quod non possint talia genera per easdem contrahi differentias.

Dices Contra primam partem regulæ, quod animal terrestre & volucre, quod corpus de prædicamento substantiæ, & corpus de prædicamento quantitatis; quod demum genera duo generalissima, ut substantia & qualitas, sunt genera diversa, quorum unum sub altero non collocatur: sed tum animal terrestre & volucre aliquas habent differentias easdem, tum

cor-

corpus de prædicamento substantiæ, & de prædicamento quantitatis, cum differentiæ animalis terrestris sint, bipes & quadrupes, quæ etiam sunt differentiæ volucrum, plures enim sunt bipedes, & aliquæ quadrupedes, ut gryphi; & utriusque assignati corporis differentiæ sint longitudo, latitudo, & profunditas; duo vero genera generalissima non habeant differentias specie diversas, ut dicit regula, quia non habent differentias: Ergo vera non est pars illa prima regulæ.

Respondeo ad primum, quod cum dicitur in prima parte regulæ, quod genera diversa non subalternatim posita, debent habere diversas specie differentias, debet hoc intelligi de generibus ita diversis: quod unum non collocetur sub altero, nec ambo sub uno tertio: animal autem volucre & terrestre ita se habent, ut quamvis unum non collocetur sub altero, ambo tamen collocentur sub uno tertio, scilicet animali; atque ita adhuc verificatur regula, Etsi easdem habeant differentias. Ad aliud vero respondetur Negando quod Corporis de prædicamento substantiæ differentiæ sint longitudo, latitudo & profunditas; tales enim differentiæ solum sunt corporis de prædicamento quantitatis; unde & hoc nomen corpus æquivocum est, ad corpus de prædicamento substantiæ, & ad corpus de prædicamento quantitatis. Ad tertium denique respondetur, præfatam regulam intelligi debere in generibus propriæ habentibus differentias, ac proinde non concludit pro generibus generalissimis nec illa comprehendit; cum quo tamen stat quod sicut ampliari possunt ly; *diversa differentia* ad supponendum pro diversis modis, ita & ampliari possit præfata regula, & extendi ad genera generalissima, hunc scilicet formando sensum, ut saltem talia genera habere debeant diversos modos.

Dices, Contra secundam partem regulæ: differentiæ vel sunt divisivæ, vel constitutivæ: sed genera subalternatim posita v.g. animal & vivens, nec possunt habere differentias easdem divisivas, nec easdem constitutivas, Ergo vera non est regula illa in secunda parte. *Probatur Minor:* differentiæ divisivæ viventis sunt sensibile & insensibile, differentia vero constitutiva est animatum: sed animal non dividitur in sensibile & insensibile, ut patet, sed in rationale & irrationale, nec etiam constituitur per animatum, alias omne vivens esset animal, sed per sensibile ut addens aliquid supra animatum: Ergo prædicta duo genera ita subalternatim posita nec possunt habere easdem differentias constitutivas, nec divisivas.

Respondeo dicendum,quod pars hæc secunda regulæ in hoc procedit sensu & ita intelligenda venit, quod genera subalternatim posita debent easdem habere differentias, id est, quod differentia constitutiva generis inferioris sit divisiva generis superioris,secundum quem sensum non habet locum objectio facta,ut patet,cum adhuc ea non obstante verificetur, quod differentiæ constitutivæ animalis verè sint divisivæ viventis. Quod autem præfatus ille sensus sit ille de facto,in quo intelligenda venit regula,ex eo patet, quod per hanc intelligentiam distinguuntur genera subalternatim posita ab aliis generibus non sic subalternatim positis: Quia in his differentiæ constitutivæ & divisivæ unius non possunt esse constitutivæ nec divisivæ alterius.

QUÆSTIO I.

Utrum sit ens analogum vel univocum ad decem prædicamenta,sive ad substantiam & accidens.

Quid & quotuplex sit analogia.

PRæmittendum primò, Pro intelligentia analogiæ, subindeque & univocorum ac æquivocorum inter quæ mediat, quod analoga dicuntur illa, quæ in ratione significata per nomen illis commune,neque habent omnimodam diversitatem, sicut æquivoca,nec omnimodam unitatem & convenientiam, sicut univoca,sed diversitatem,cum convenientia aliqua: porro analogia hæc ex communi divisione est duplex, scilicet *attributionis*, & *proportionalitatis:* dicuntur analoga attributionis,quorum nomen est commune, ratio autem secundum illud nomen est eadem secundum terminum, & diversa secundum habitudinem ad illum terminum. Ut *sanum* nomen est commune animali,urinæ, & medicinæ; omnia enim ista dicuntur sana,& ratio per hoc nomen significata est eadem in illis secundum terminum,& diversa secundum habitudinem ad illum,in quantum scilicet eadem sanitas est, quæ diversimodè respicitur ab animali,urina,& medicina: ad unam enim eandemque sanitatem existentem in animali,dicit animal habitudinem ut subjectum, in quo intrinsecè & formaliter recipitur sanitas; urina vero habitudinem dicit ut signum illius; & denique medicina ut ejus causa; Et sic tria analogantur analogia attri-

attributionis, prout per hoc nomen *sanum* significantur.

Quatuor autem proprietates seu conditiones hujusmodi analogis attributionis assignari solent. Prima quod ratio significata per nomen analogum in unico tantum, principaliori videlicet analogato intrinsecè reperiatur, in aliis autem solum per extrinsecam denominationem & respectum ad illud. Secunda vero proprietas est, quod terminus in ordine ad quem dicunt analogata habitudinem debet esse unus, non solum ratione, sed etiam realiter numericè, id est quod cum non reperiatur intrinsecè, nisi in uno analogato, ad multiplicationem aliorum analogatorum minus principalium, non debet realiter multiplicari, sed idem numero manere, diversimodè solum ab analogatis respectus. Tertia proprietas est, quod si analogatum vel analogata minus principalia definiantur, ejus vel eorum definitionem ut sic debet ingredi analogatum magis principale. Quarta denique proprietas est, quod nomini analogo analogiâ attributionis nullus correspondeat conceptus formalis vel objectivus omnibus analogatis communis, alias intrinsecè omnibus competeret & secundum intrinsecum conceptum, quod supponitur falsum ex definitione traditâ. Jam vero analoga proportionalitatis dicuntur, quorum nomen commune est, ratio vero nomini accommodata est proportionabiliter eadem; Ut visus dictus de visione corporali & intellectuali: quia sicuti videre corporaliter se habet: Sic proportionabiliter & intelligere; cum autem hujusmodi analoga ab analogatis attributionis sint formaliter diversa, diversas itidem habere debent proprietates. Quatuor ergo illis sicut & analogis attributionis tribui solent. Prima quod ratio analoga intrinsecè reperiatur in omnibus analogatis, tum quia alias confunderentur cum analogis attributionis, tum quia hoc exigit proportio seu imperfecta assimulatio ut consideranti patebit. Secunda vero proprietas, quæ sequitur ex præcedenti est, quod ratio analoga non sit una numero in omnibus analogatis, sed multiplicetur realiter ad realem eorum multiplicationem. Tertia quod in definitione unius, in quantum talis non oporteat, quod alterum ingrediatur. Quarta demùm quod nomen analogum aliquid significet commune formaliter repertum in omnibus analogatis, ad differentiam analogorum attributionis, ut videbimus infra in solutione argumentorum.

De proprietatibus analogiæ attributionis

De proprietatibus analogiæ proportionalitatis.

Præmittendum 2. pro intelligentia celebris adeò difficultatis, qualis est ea, de qua inquiritur in titulo circa analogiam entis, nec non & præcludendis in hoc puncto variis adversariorum

effugiis, utpote qui, dum argumentum aliquod difficile eis à nostris objicitur pro stabilienda analogia entis, statim argumento occurrunt dicendo, hoc solum probare non de ente absolutè sumpto, sed de ente per se seu de ente primo: Quod si deinde instent nostri, & impugnent de facto solutionem, occurrunt tunc relinquentes hanc semitam seu dicendi modum, & dicentes procedere instantiam de ente quali, non autem de ente quid, atque ita propter hæc & similia effugia nusquam in publicis præsertim disputationibus suppetit tempus, ut proponatur vis argumenti & enodetur difficultas: Præmittendum igitur quod ens de cujus analogia vel univocatione in præsenti inquiritur supponere in utraque Schola Thomistarum scilicet & Scotistarum, supponere inquam pro eo quod ex proprio conceptu opponitur nihilo. Quod quidem ut ostendatur ex doctrina adversariorum, dico quod ens de quo procedit quæstio illud est aut pro illo supponit de quo negat Scotus esse genus, dum tamen illud asserit & dicit univocum; & de cujus ratione dicunt Scotistæ nos esse certos in Hostia sub dubio consecrata, dum tamen dubii sumus, an sit ibi accidens vel substantia: jam sic est quod ens illud de quo negat Scotus esse genus, & de cujus ratione affirmant Scotistæ nos esse certos in hostia sub dubio consecrata, pro illo supponit ente, quod ex proprio conceptu opponitur nihilo: Ergo ens illud de cujus analogiâ inquiritur supponit pro illo, quod ex proprio conceptu opponitur nihilo ex ipsa adversariorum doctrina. *Probatur Minor:* & quidem primo quoad primam partem: ideo ex ipsis Scoti discipulis negat Scotus ens esse genus, quia non contrahitur per differentias, sed per modos intrinsecos, propterea quod, inquiunt, differentia advenit, quasi extrinsecè, quod verificari non potest respectu entis: atqui de illo solum quod conceptu explicito opponitur nihilo, verificatur quod nihil ei adveniat extrinsecè, cum adveniens hoc ipso quod tale sit extra nihilum, subindeque & extrinsecè oppositum nihilo, non autem ei extrinsecè adveniens: Ergo vera pars illa præfatæ minoris, quod scilicet ens de quo negat Scotus esse genus, dum illud concedit univocum, suppono pro illo, quod ex conceptu explicito objectivo opponitur nihilo.

Nota.

Quod autem & pro illo etiam supponat ens, de cujus ratione affirmant Scotistæ nos esse certos in hostia sub dubio consecrata, quod est pars altera ejusdem minoris, ex eo etiam evidenter colligo, quod intellectus incertus manens de aliquo, an sit substantia vel accidens, potest tantum certificari de illo.

illo,quod sit vel substantia vel accidens: sed quod sit aliquid vel substantia vel accidens hoc præcisè & immediatè habetur ex eo quod opponitur nihilo,cum tale quid in illa duo immediatè & adæquatè dividatur: Ergo ens illud de cujus ratione affirmant Scotistæ non esse certos in hostia sub dubio consecrata supponit pro illo, quod ex conceptu suo opponitur nihilo; sicque præclusa manent adversariorum effugia; quia sive probet argumentum de ente quid aut de ente quasi, aut de ente absolutè sumpto aut de ente primo aut de completo vel incompleto,modo tamen probet quod ens illud, quod ex conceptu suo opponitur nihilo sit analogum,adhuc habebitur intentum.

Præmittendum tertiò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusio reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *ex omnimoda transcendentia inducitur sufficienter analogia*, *quod omne univocum comparatur ut tertium quid ad univocata*; quod *Deus est creaturarum causa sub ratione communissima entis*, Ratio autem prolati primi est, quia quandocumque ratio aliqua est ad aliqua transcendens,ita ex propria & quidditativa ratione transcendentiæ imbibitur in omnibus quæ in illis sunt, ut de omnibus illorum formalitatibus formaliter prædicetur, nullaque illarum possit absque tali ratione intelligi: id enim est rationem aliquam esse perfectè seu omnimodè transcendentem: Ergo ratio ita transcendens, hoc ipso quod talis imbibitur: in eo in quo inferiora conveniunt,& in his per quæ inter se specialiter differunt: jam sic est quod quatenus imbibitur in eo, in quo inferiora conveniunt,est illis principium conveniendi; & quatenus imbibitur in illis per quæ inter se differunt, est illis principium differendi: Ergo talis ratio ita transcendens, hoc ipso quod talis,est hoc ipso respectu inferiorum principium conveniendi,simul & differendi, ac proinde hoc ipso quod ita transcendens nec est in inferioribus omninò eadem, nec omninò diversa,sed partim eadem & partim diversa: atqui ex hoc sufficientissimè inducitur analogia,cum in hoc præcisè consistat. Ergo receptissimum est atque verissimum primum illud effatum, quod ex omnimoda transcendentia inducitur sufficienter analogia.

Quantum verò ad secundum,quod scilicet omne univocum comparatur ut tertium quid ad univocata, patet ex diverso abstrahendi modo rationem univocam ab inferioribus uni-

vocatis, & rationem analogam. Etenim ratio univoca ita abstrahitur per nostros conceptus à rationibus inferiorum, seu univocatorū, ut in ea sic abstractâ nullo modo in actu includantur rationes inferiorum; propterea quod talis ratio superior univoca est extra conceptum differentiarum inferiorū; adeo, ut quādo per illas contrahitur, contrahatur per aliquid suę rationi formali superadditum, & de qua talis ratio superior formaliter non prædicetur: è contra vero non potest ratio analoga ab analogis ita perfectè abstrahi, quin in conceptu sic abstracto includantur in actu, licet implicitè & in confuso rationes omnes analogatorum; quia quando contrahitur ad sua analogata, non contrahitur per aliquid quod se habeat ad illā propriè ut illius additamentum, aut quod sit extra essentiam illius, aut extra cujus essentiam ratio analoga sit nisi ad summum explicitè: sequitur ergo ex hac doctrina quæ receptissima est apud omnes, quod ratio univoca habeat se ad rationes proprias univocatorū ut tertium quid seu faciens cum illis numerum; cum nullatenus illas actu includat, sed potius eas respiciat ut aliud & aliud.

Demùm quantum ad tertium quod scilicet sit Deus creaturarum causa sub ratione communissimâ entis, colligitur evidenter ex diverso causandi modo, quem servant Deus & creaturæ in causando. Creaturæ enim seu causæ secundæ; cum non habeant rationem universalissimæ causæ, sed sint ex sui natura particulares causæ, ideo nec habent, quod causent nisi sub particulari aliqua ratione: sic corpus corruptibile non est effectus corporis cælestis in quantum corpus, sed in quantùm tale corpus est, & lux aëris non est effectus lucis solis, in quantum lux, sed in quantum talis lux est; ex quo ulterius infero ego quod quamvis non adæquent virtutem causæ, hoc tamen non obstat quod in ratione communi lucis univocentur lux solis & lux aëris; & in ratione communi corporis univocentur corpus corruptibile & cæleste: At vero Deus seu causa prima est & debet esse creaturarum causa non solùm sub ratione talis entis, sed etiam sub ratione communi entis, propterea quod cum sit Deus universalissima & prima causa non solum causare debet, sicut causæ secundæ, rationes particulares quæ sunt in effectibus, sed etiam rationem communissimam entis quæ in illis reperitur; ex quo similiter ulteriùs infero ego, quod in nulla ratione, etiam in ratione communissima entis possint creaturæ univocè convenire cum Deo; cum ex uno capite sub omni ratione causentur ab illo ut diximus, & ex altero sub nulla ratione adæquent virtutem causæ, sed participent ejus virtutem

tutem sive perfectionem secundum similitudinem deficientem, ut patet. His ergo tribus praemissis tanquam certis & inbitatis principiis, jam pro quaesiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit,

CONCLUSIO: *ens est analogum ad substantiam & accidens; & idem consequenter dicendum de ente ad Deum & creaturas.*

Probatur Primò ex primo praemisso principio, puta quod *ex omnimoda transcendentia inducitur sufficienter analogia.* Argumentor igitur sic. Ex omnimoda transcendentia inducitur sufficienter analogia: Ergo ens est analogum ad substantiam & accidens. *Probatur consequentia*: ens est omnimodè transcendens ad substantiam & accidens: Ergo hoc ipso quod ex omnimodâ transcendentiâ inducitur sufficienter analogia, debet ens esse analogum ad substantiam & accidens. *Probatur antecedens*: pari modo philosophandum est de ente, quantum ad transcendentiam, ac de propriis ejus passionibus, puta unitate: sed unitas quae est passio entis transcendens est omnimodè ad substantiam & accidens: Ergo & idem dicendum de ente, *Major* certa est, & conceditur. *Probatur Minor.* Inter ea est omnimoda transcendentia, quae sumpta in abstracto sive formaliter non faciunt numerum, seu pluralitatem, sed unitas ita formaliter & in abstracto sumpta non facit numerum cum ratione formali substantiae, vel accidentis: Ergo est unitas omnimodè transcendens ad substantiam & accidens. *Major* est certissima, & conceditur. *Probatur Minor*: impossibile est aliquid esse unum seorsim sumptum ab unitate; sed si unitas etiam formaliter & in abstracto sumpta faceret numerum cum ratione formali substantiae, esset aliquid unum seorsim sumptum ab unitate: Ergo unitas etiam formaliter & in abstracto sumpta non facit numerum cum ratione formali substantiae, vel accidentis, *Major* patet ex terminis, *Probatur Minor*: Quaelibet pars numeri est in se una seorsim ab alia; cum quaelibet seorsim & sejunctim sumpta sit aut possit esse principium numeri, quod non convenit nisi huic quod dicitur unum: sed in praesenti casu pars una numeri est ratio formalis substantiae & pars altera est unitas: Ergo in hoc casu seu in praefato numero si daretur, esset aliquid unum seorsim sumptum ab unitate: Ergo non datur talis numerus, seu unitas ita formaliter sumpta non facit numerum cum ratione formali substantiae: Ergo unitas quae est passio entis est omnimodè transcendens ad substantiam & accidens, Ergo & ipsum ens debet similiter esse ita transcendens ad substantiam & accidens:

dens: Ergo hoc ipso quod ex omnimoda transcendentia inducitur sufficienter analogia, (quod est primum præmissum principium) debet hoc ipso ens esse analogum ad substantiam, & accidens; & similiter ad Deum & creaturas, cum pro iis similiter concludat ratio.

Probatur Secundò ex secundo præmisso principio, puta quod *omne univocum comparatur ut tertium quid ad univocata*, Arguo ergo sic. Omne univocum comparatur, ut tertium quid ad univocata: Ergo non est ens univocum, sed analogum ad substantiam & accidens. *Probatur Consequentia* Ens comparari non potest ad substantiam & accidens ut tertium quid: ergo nec esse potest univocum ad illa, hoc ipso quod omne univocum comparatur ad univocata ut tertium quid. *Probatur antecedens.* Quod est tantæ latitudinis, ut nihil ei addi possit, comparari non potest ad aliqua etiam formaliter loquendo ut tertium quid: sed ens de quo est sermo est hujusmodi: Ergo ens comparari non potest ad substantiam & accidens ut tertium quid. *Major* certa est, & constat ex ratione infra adductâ. *Probatur Minor.* Quod esse non potest majoris latitudinis, debet esse tantæ, ut nihil ei addi possit etiam formaliter loquendo: sed ens de quo est sermo tantæ est latitudinis, ut non possit esse majoris: Ergo & tantæ est latitudinis, ut nihil ei addi possit. *Major* est certissima, & constat ex terminis. *Probatur minor*, quod de omni quod est, etiam formaliter loquendo, verificatur, nequit esse majoris latitudinis: Sed ens de quo est sermo de omni quod est, etiam formaliter sumpto verificatur seu prædicatur: Ergo ens illud esse non potest majoris latitudinis. *Major* est certa & constat ex ratione infra adducta. *Probatur Minor*: quomodo negatur oppositum entis de omni quod est, eodem modo ens de omni quod est verificatur & prædicatur: sed oppositum entis negatur de omni quod est, etiam formalissimè sumpto, ut clare patebit si assignetur tale oppositum: ergo ens de omni quod est, etiam formaliter sumpto verificatur & prædicatur: Ergo ens tantæ est latitudinis, ut non possit esse majoris: Ergo ens tantæ est latitudinis, ut nihil ei addi possit: ergo ens comparari non potest ad substantiam & accidens ut tertium quid; ergo hoc ipso quod omne univocum comparari debet ad univocata ut tertium quid, [quod est secundum præmissum principium] non est ens univocum, sed analogum ad substantiam & accidens.

Explicantur propositiones. *Notabis* Autem duas in superiori probatione supponi propositiones majores tanquam certas & indubitatas; & quidem pri-

primò supposita fuit hæc propositio: *Quod est tanta latitudinis, ut nihil ei addi possit, comparari non potest ad aliqua etiam formaliter loquendo ut tertium quid*, cujus ratio est, quia quod sit aliquid tantæ latitudinis ut nihil ei addi possit, hoc non est nisi quia vagatur per omnia, adeo ut nulla sit ratio sive realis sive formalis, in qua non reperiatur imbibitum, alias posset talis ratio ei superaddi & advenire; jam sic est quod id quod comparatur ad aliqua ut tertium quid, non potest ita se habere, cum ex ipsa ratione tertii faciat cum illis numerum; subindeque & excludat illa à suo conceptu: ergo verissima est & indubitata præfata major, quam in superiori probatione supposui certam. Altera vero propositio quam similiter supposuimus certam, quæque pro Tyronibus videtur aliqua indigere explicatione, fuit hæc: *Quomodo negatur oppositum entis de omni quod est, eodem modo ens de omni quod est verificatur, seu prædicatur*, cujus ratio est, quia cum ens & oppositum entis opponantur contradictoriè; & contradictoria oppositio utpote omnium maxima exigat quod omne sub uno vel altero contradictionis membro comprehendatur; alias daretur in ea medium, quod stare non potest cum oppositione omnium maxima; consequenter fit, quod omne quod non est sub opposito entis, quale est illud omne, de quo oppositum entis negatur, debeat illud omne reperiri sub ente, subindeque & esse tale de quo verificetur & prædicetur ens; sicque verissima est illa altera propositio major, quam similiter supposui etiam certam, sicque resolutæ & probatæ manent propositiones omnes præcedentis probationis.

tiones majores quas in superiori probatione supposuimus certas.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio quod quidem specialiter concludit pro analogia entis ad Deum & creaturas; & ex quo arguo sic. *Deus est creaturarum causa, etiam sub ratione communissima entis*; Ergo non possunt univocari Deus, & creaturæ, nedum in ratione entis talis, sed nec in ratione communissima entis. *Probatur consequentia*. Non potest creatura cum Deo univocari in ratione à Deo causata: ergo hoc ipso quod Deus est creaturarum causa etiam sub ratione communissima entis, non possunt Deus & creaturæ in tali ratione univocari. *Probatur antecedens*: ratio, in qua univocantur duo aliqua, non potest in uno esse deficiens comparativè ad aliud: sed omnis à Deo causata ratio est in creatura deficienter, comparativè ad eandem ut in Deo: ergo non potest creatura cum Deo univocari in ratione à Deo causata. *Major* supponitur certa & constat ex ratione infra adducta. *Probatur mi-*

nor. Quod ex eo quod causatum est, non adæquat virtutem sive perfectionem Dei causantis, non potest non esse deficiens comparativè ad idem in Deo causante: sed omnis à Deo causata ratio, hoc ipso quod talis, non adæquat perfectionem Dei causantis, ut per se patet: Ergo omnis à Deo causata ratio est in creatura deficienter comparativè ad eandem ut in Deo: ergo non potest creatura cum Deo univocari in ratione à Deo causata: Ergo hoc ipso quod Deus est creaturarum causa etiam sub ratione communissima entis, non possunt etiam sub tali ratione communissima univocari.

Explicantur propositiones majores quas in superiori probatione supposuimus certas.

Notabis Autem duas in præfata probatione supponi propositiones majores, tanquam certas & indubitatas, & quidem primò supposita fuit hęc propositio: ***ratio in qua univocantur duo aliqua non potest in uno esse deficiens comparative ad aliud***; cujus ratio est, quia nomen univocum dicitur illud, cujus significata ratio est omninò eadem in membris univocatis, quod quidem verificari nequit, si ratio in qua univocantur supponatur esse deficiens in uno comparative ad aliud. Notabis autem me consultò dixisse quod ratio in qua univocantur non potest in uno esse deficiens; nec enim dubito quod ex membris univocatis unum possit esse deficiens respectu alterius, ratione scilicet diversæ & disparis perfectionis in particularibus & differentialibus rationibus, sed nego posse unum esse deficiens respectu alterius, in ipsa ratione, in qua univocantur, ob rationem ibi allatam. Secunda vero propositio, quæ fuit similiter supposita tanquam certa, sic habet: ***Quod ex eo quod causatum est non adæquat perfectionem Dei causantis, non potest non esse deficiens comparativè ad idem in Deo causante***; cujus ratio est, quia hoc ipso quod aliquid in eo, in quo causatum est non adæquat perfectionem causæ, habet id modo diminuto comparativè ad causam, cum habeat tunc inadæquatè, quod habet causa plenè atque perfectè; jam sic est quod hoc est habere deficienter; nec aliud per ly deficiens intelligendum volumus: ergo verissima est præfata major, adeoque & probatæ ac resolutæ manent propositiones singulæ præcedentis probationis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis

Objicies primò: Si esset ens analogum ad substantiam & accidens, ad Deum & creaturas, esset maximè ratione transcendentiæ: sed ex transcendentia entis non inducitur sufficienter analogia: ergo ens est univocum ad præfata, non vero ana-

analogum. *Major* constat ex prima probatione conclusionis. *Probatur Minor.* Ratio entis realis transcendens est ad quæcumque comparetur: sed non est ens reale analogum respectu quorumcumque: ergo ex transcendentia entis non inducitur sufficienter analogia. *Probatur Minor.* Ratio entis realis comparari potest ad duo individua ejusdem speciei, v. g. ad Petrum & Paulum: sed ad duo individua ejusdem speciei univoca est ratio entis realis: ergo non est ens reale analogum respectu quorumcumque.

fundamenta in solutionibus objectionum.

Respondeo Negando Minorem, cujus falsitas abunde colligitur ex dictis supra in exponendo primo principio. Ad cujus probationem nego Minorem, si nimirum sermo sit de ente reali sub hac ratione & conceptu entis realis: unde ad tertium in quo sita est vis argumenti, nego similiter minorem, cujus ratio est quia cum individua duo quantumcumque ejusdem sint prædicamenti & ejusdem speciei atomæ, adhuc in aliquo conveniant, & in aliquo differant puta in differentiis individualibus, consequenter fit quod ratio entis transcendentaliter imbibita, & in eo in quo conveniunt, & in his in quibus differunt, sit per consequens eis principium conveniendi, & principium disconveniendi seu differendi, ac proinde quod non sit omninò eadem nec omninò diversa, sed partim eadem & partim diversa; & consequenter analoga. Dixi autem supra; *Si nimirum sermo sit de ente reali sub hac ratione & conceptu entis realis:* quod quidem ex consulto addidi, propterea quod, cum sub hac tantum ratione realis entis transcendens sit, & in quantum tale non possit ab illis ad quæ comparatur, quæcumque illa sint, ita abstrahi, quin diversitatem illorum sive diversas eorum differentias actu includat, & in iis includatur, licet non explicet, nec expliceturꝫ ideo fit, quod si sermo sit de ente reali sub hac ratione & conceptu entis realis, illud sit analogum ratione suæ transcendentiæ ad quæcumque comparetur, cum ad quæcumque comparetur, habeat semper ratione suæ transcendentiæ imbibi in eo, in quo conveniunt, & in eo in quo differunt, subindeque & esse in illis principium conveniendi & differendi, adeoque & esse partim idem & partim diversum; sed pro majori hujus elucidatione.

Instabis: Ideo ens asseritur communiter analogum, ad substantiam & accidens, vel ad Deum & creaturas; quia inæqualiter participatur & cum dependentia unius ab alio: sed respectu duorum individuorum ejusdem speciei (quantum-

cumque

cumque sit transcendens) non participatur sic inæqualiter, nec cum dependentia unius ab alio: ergo non est ens reale analogum ad duo individua ejusdem speciei, quantumvis, & quamtumcumque sit transcendens ad illa.

Respondeo Distinguendo majorem : ideo ens communiter asseritur analogum ad substantiam & accidens; quia inæqualiter participatur, & cum dependentia unius ab alio : ita ut inæqualis illa participatio, vel dependentia sit adæquata ratio & causa analogiæ, Nego majorem; ita ut sit sufficiens & peculiaris analogiæ causa, peculiariter concludens pro analogia entis ad substantiam & accidens, ad Deum & creaturas, Concedo: & concessa minori nego consequentiam. Dico igitur, quod quamvis inæqualis participatio, vel dependentia unius ab alio in ipsa ratione participata, sit sufficiens causa analogiæ, & de facto analogiam inducat inter substantiam & accidens quantum ad ipsam rationem entis, non tamen inæqualis illa participatio, vel dependentia est sola seu adæquata analogiæ causa, quod evidenter colligitur ab exemplo; & quidem primo de inæquali participatione patet in exemplo de accidente, quod sumptum ut sic, & ut commune novem generibus accidentium æqualiter, non autem inæqualiter participatur; cum dici non possit quod unum accidens sit simpliciter accidens, aliud verò tantum secundum quid, in quo consistit inæqualis illa participatio, quæ analogiam causat; & tamen accidens illud sumptum ut sic & in communi adhuc est analogum, non univocum, cum non sit genus ad illa; alias illa non essent suprema genera & inter se primo diversa. Jam vero quod dependentia unius ab alio in ratione participata, non sit etiam adæquata & sola analogiæ causa, adeo ut possint aliqua analogari, seclusa tali dependentia, patet in exemplo de speciebus intelligibilibus, quæ non sunt acceptæ à rebus seu ab objectis, ac proinde nec ab illis dependentes, ut sunt species Angelicæ, v. g. de specie repræsentativa lapidis quam habet Angelus, & de ipso lapide, quæ quidem duo in ratione lapidis, & ut hoc nomine, *lapis*, significantur, analogicè tantum conveniunt, non verò univoce, cum ratio lapidis reperiatur simpliciter in ipso lapide, simpliciterque dicatur lapis; & in specie repræsentativa reperiatur solum secundum quid, nec nisi in esse repræsentativo & intentionali dicatur lapis; & tamen in ratione significata non reperitur inter hæc duo dependentia, cum species repræsentativa supponatur à Deo indita & infusa, non autem accepta à rebus, sive ab ipso lapide, qui est à parte rei. Non ergo

Nota.

Nota.

go sequitur reale ens non esse analogum ad duo individua ejusdem speciei, quia non participatur inæqualiter, nec cum dependentia unius ab alio, cum ab alio quam ex his capitibus peti possit analogia, puta ab omnimoda transcendentia, ex qua scilicet fit, quod transcendens ratio, utpote imbibita in eo, in quo conveniunt, & in quo differunt, eaque imbibens implicitè saltem, sit per consequens inter illa principium conveniendi partim, & partim differendi; adeoque & sit ratione præfatæ transcendentiæ partim eadem & partim diversa, subindeque & analoga.

Objicies secundò In tantum ens habet esse analogum ad substantiam & accidens, vel ad Deum & creaturas, in quantum est transcendens ad illa: sed falsum est ens, de quo est sermo, transcendens esse: Ergo & falsum est esse ad illa analogum. *Major* constat ex dictis supra. Neque enim seclusa transcendentia, qua imbibitur in ipsis differentiis seu differentialibus modis intelligibilis est inæqualis participatio, aut dependentia in ipsa ratione entis participatâ. *Probatur Minor:* ens de quo est sermo, supponit pro ente completo, sed si esset transcendens, non supponeret pro ente completo: Ergo ens, de quo est sermo, non est transcendens ad substantiam & accidens, vel ad Deum & creaturas. *Major* est certa, cum ens, de quo est sermo, suum habeat conceptum integrum & completum, facta præcisione ab omni alio, scilicet esse extra nihilum seu oppositum nihilo. *Probatur Minor.* Quod supponit pro ente completo, prædicari non potest formaliter de ente incompleto, ut patet ex terminis: sed si ens esset transcendens ad substantiam & accidens, prædicaretur formaliter de ente incompleto, cum in hoc casu prædicaretur de eorumdem differentiis, quæ quidem in quantum tales sunt incompletum quid: ergo si ens esset transcendens non supponeret pro ente incompleto.

Respondeo Concessa Majori negando minorem, ad cujus probationem nego majorem, duplici præcipuè de causa. Primò quidem, quia, dum dicunt adversarii supponere ens de quo est sermo, pro ente completo, assumunt ibi ens completum, ut condistinguitur ab incompleto, adeoque & volunt hoc ipso dari & reperiri ens incompletum; jam sic est quod ens, de quo est sermo, cujus scilicet conceptus est esse extra nihilum atque opponi nihilo, verificatur de ente incompleto, æque ac de completo, cum æque de illo ac de isto negetur oppositum hujusmodi entis: non ergo procedit sermo de ente completo, prout distinguitur ab incompleto, Præterea ens, de quo est sermo, *Nota;*
suppo-

supponit pro aliquo aliqualiter condistincto ab ipsis prædicamentis, cum ad illa comparetur, non autem pro ipsis decem prædicamentis supponat: jam sic est quod ens completum, si propriè & in veritate loquamur, non aliud est, quam ipsa decem prædicamenta; cum non dicatur ens completum, nisi quia completur per modos differentiales, quos consequenter includit; & ens includens modum differentialem substantiæ, fit ipsum prædicamentum substantiæ, sicut & includens modum differentialem quantitatis fit ipsum prædicamentum quantitatis, & sic de cæteris: ergo si propriè loquamur de ente completo, non videtur dicendum ens, de quo est sermo, procedere, de ente completo, ut ab incompleto distinguitur, sed abstrahere à completo & incompleto. Nihilominus, quia [meo judicio] modi illi differentiales entis non sunt simpliciter incompletum quid, sed potius sunt simpliciter quid completum; cum non adveniant nec superaddantur simpliciter ipsi enti, sed illud potius habeant semper imbibitum, ideò.

Nota.

Respondeo secundò, Negando minorem, cujus falsitas abundè patet ex ipso decursu quæstionis: ad probationem vero nego similiter minorem, ob rationem quam statim afferam. Unde ad ultimum distinguo majorem sic quod supponit pro ente completo prædicari non potest formaliter de ente incompleto, quod sit revera & de facto incompletum quid, Concedo: prædicari non potest de ente incompleto, quod sit solum quoad modum significandi incompletum quid, & revera sit quid completum, Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est & quidem seriò & diligenter, quod sicut modi differentiales accidentium, diversa constituentium prædicamenta, quamvis quoad modum significandi, significentur ad modum alicujus entis incompleti, revera tamen sunt quid completum, in quantum scilicet nihil nisi majorem expressionem & explicationem addentes supra *ens in alio*, idque re verâ importantes implicitè, habent consequenter ratione talis inclusionis, quod sint revera ens completum; licet significentur ut incompletum ens, in quantum non exprimunt rationem illam accidentis, seu entis in alio, quæ ad earum complementum requiritur; Ex quo ulteriùs fit, quod sit accidens ut sic quid transcendens ad novem genera accidentium, licet supponat accidens ut sic pro ente completo: ita similiter philosophandum est in præsenti casu, & dicendum, quod quamvis ens ut sic supponat pro ente, quod revera & de facto sit ens completum, licet in modo significandi,

Nota.

di, & ut non exprimens differentiales modos, significetur ad modum incompleti, adhuc tamen transcendens sit, & ut transcendens formaliter prædicetur de modis differentialibus constitutivis diversorum prædicamentorum; quia scilicet hujusmodi differentiales modi, quamvis quoad modum significandi sint quid incompletum, inquantum scilicet non explicant in explicito sui conceptu rationem explicitam entis vel per se vel in alio, sunt tamen revera quid completum, cum revera illam rationem importent implicitè; nec possit ratio illa ita ab illis abstrahi, quin adhuc maneat in illis imbibita & involuta.

Instabis: Si esset ratio entis Ita transcendens, nulla de ejus analogia moveretur quæstio, atqui de hac movetur quæstio, & meritò: Ergo dici non potest ratio entis ita transcendens, *Probatur sequela.* Nulla movetur nec movenda est quæstio de analogia substantiæ, quantitatis, qualitatis &c. Sed si esset ratio entis ita transcendens, esset ex proprio conceptu ipsa substantia, quantitas, qualitas, &c. Ergo si esset ratio entis ita transcendens, nulla de ejus analogia moveretur quæstio. *Major* supponitur certa, cum enim illa omnia supponantur esse suprema genera, supponuntur consequenter univoca ad sui species, sive specierum differentias. *Probatur Minor.* Hoc ipso quod ratio entis non est aliud à ratione substantiæ, quantitatis & qualitatis, est hoc ipso talia ex proprio conceptu, sed si esset transcendens ad illa, non esset, nec dici posset aliud ab ipsis: Ergo si esset ratio entis ita transcendens, esset ex proprio conceptu ipsa substantia, quantitas, qualitas &c.

Respondeo Negando sequelam majoris, cujus ratio est, quia quantumvis transcendens sit ratio entis, & transcendentaliter imbibita in prædicamentis, cum hac tamen transcendentia stat, quod habeat ens rationem unam, & unum conceptum communem omnibus ad quæ transcendens est, licet confusum & imperfectum, atque in actu includentem, licet non explicitè rationes omnes prædicamentorum; ac proinde cum de tali conceptu ita communi, licet confuso & imperfecto, sit ratio & fundamentum inquirendi an sit analogus vel univocus, consequenter sit, quod hac non obstante transcendentia entis adhuc meritò inquiratur de ejus analogia. Jam vero quod cum ipsa transcendentia entis stet, quod habeat ens rationem unam & unum conceptum communem omnibus ad quæ transcendens est, in quo fundatur hæc solutio, licet confusum & imperfectum, ut jam notavi ex eo colligo quod transcenden- *Notat.*

tia

tia in quantum talis hoc unum exigir, ut scilicet transcendens ratio in actu semper includat ea, ad quæ transcendens est, & in iis includatur, in quantum ly includi in actu condistinguitur contra includi & includere solum in potentia. Jam sic est quod aliquid potest aliud ita in actu includere absque eo quod illud in suo expresso & explicito conceptu importet & explicet; ut patet in Deo, ubi quodlibet attributum aliud in actu & non tantum in potentia includit, absque eo quod illud explicet in conceptu suo expresso: Ergo cum ipsa transcendentia entis stat quod conceptus ejus explicitus & expressus non importet rationes proprias prædicamentorum; atqui habet hoc ipso ens rationem unam & unum conceptum communem omnibus ad quæ transcendens est; licet solùm explicitum proindeque & imperfectum: Ergo verum est quod supra diximus, quod scilicet cum ipsa transcendentia entis stet, quod habeat ens rationem unam & unum conceptum aliqualiter communem, atque ita, & quod de ejus analogia meritò inquiratur; sicque patet responsio ad sequentia argumenta, secundum scilicet & tertium quæ afferuntur in probationem majoris negatæ, distinguendo scilicet distinctione supra insinuata de explicito & implicito; & dicendo quod ens quia transcendens, est quidem ipsa substantia, quantitas, qualitas, &c. implicitè & in confuso, non tamen explicitè & secundum quod explicat in expresso conceptu, sicque semper currit præfata responsio.

Vrgebis: Quod non exprimit aliud in conceptu suo explicito se habet ad illud ut potentiale quid, & in potentia; sed ens transcendens non potest se habere potentialiter ad ea ad quæ transcendens est; Ergo hoc ipso quod ens transcendens est, non potest non includere etiam explicitè ea ad quæ est transcendens, sicque ruit solutio data. *Probatur Major*: ens adæquate dividitur in ens in actu & in potentia; sed quod non exprimit aliud in conceptu suo non est illud in actu sub aliqua ratione, puta secundum conceptum explicitum: Ergo quod non exprimit aliud in conceptu suo explicito, se habet ad illud ut potentiale quid & in potentia.

Nota. *Respondeo* Negando Majorem. Etenim potentia, sive potentiale, cum faciat compositionem cum eo, ad quod comparatur ut potentiale, comparatur consequenter ad illud ut ad compartem; cumque de ratione partis sit, non tantum quod non sit expresse & explicitè sua com pars, sed nec quod simpliciter loquendo sit illa, ut per se patet, cum pars & compars simpliciter & absolutè loquendo sint conceptibiliter saltem aliud

&c

& aliud, consequenter fit quod hoc ipso quod aliquid est aliud implicitè, nec distinguitur ab eo, nisi per hoc quod illud non exprimit nec explicat, non possit ad illud comparari ut potentia seu potentiale quid; cum ad illud comparari non possit tanquam pars ad compartem: potest autem hoc confirmari ab exemplo, eoque duplici. Primum est de attributo sapientiæ in Deo, quod quidem non comparatur ad attributum & perfectionem misericordiæ ut quid potentiale, cum sit actus purus; & nihilominus illam in conceptu suo explicito non exprimit. Patet & hoc similiter in exemplo de definito, quod haud dubiè non est potentiale ad id quod importatur in definitione, homo namque non est solum in potentiâ animal rationale; & tamen non habet definitum quod exprimat & explicet id quod importatur in definitione, alias definitum non esset, sed definitio. Ergo falsa est Major illa, in qua asseritur quod hoc ipso quod aliquid aliud non exprimit in conceptu suo explicito, se habeat ad illud ut potentiale quid & in potentia. Unde ad probationem concessâ Majori distinguo Minorem sic: sed quod non exprimit aliud in conceptu suo explicito non est illud in actu sub aliqua ratione, sumpto ly esse in actu, secundum omnem modum quo sumi potest; Concedo quod non sit tale quid aliud in actu: sumpto ly esse in actu prout condistinguitur contra esse in potentia, sive prout est membrum unum divisionis entis in actum & potentiam, Nego, quod hoc ipso quod aliquid non exprimit aliud in conceptu suo explicito, non sit illud in actu, sumpto ly in actu hoc postremo modo, ut de facto sumitur in præsenti, & hoc tum ob rationem mox allatam, tum quia illud quod aliud solum non importat explicitè, adhuc habet quod sit illud, & illud includat simpliciter loquendo, cum de eo non verificetur quod præscindat nisi cum addito, puta in conceptu explicito, ac proinde cum esse aliud ita simpliciter loquendo, fit esse illud in actu, prout ly in actu condistinguitur contra esse in potentia, sive prout ly in actu est membrum præfatæ divisionis entis in actum & potentiam, consequenter fit quod per hoc quod aliquid non habet exprimere aliud in conceptu suo, non propterea comparetur ad illud ut potentiale, & in potentia.

Nota.

Objicies tertiò: Potest aliquis de aliquo certificari quod sit ens, & incertus manere quod sit vel non sit substantia; sed si ens esset analogum ad substantiam & accidens, non posset hoc certificari: Ergo ens non est analogum ad substantiam & accidens.

cidens. *Major* est certa, ut patet in casu quo aliquis dubius est de consecratione Hostiæ, an scilicet sit vel non sit consecrata; & in quo certus est quod sit ens, incertus verò & dubius an sit substantialiter vel solum accidentaliter panis. *Probatur Minor.* De ente, quod à substantia non distinguitur, nisi penes explicitum & implicitum non potest aliquis certificari, & incertus manere an sit substantia: sed si ens esset analogum ad substantiam & accidens, non condistingueretur ab illis, nisi penès explicitum & implicitum: Ergo non posset de illo certificari quis quod esset ens, & incertus manere an sit substantia vel accidens. *Minor* est certa cum esse non posset analogum, nisi in quantum transcendens; & in quantum transcendens posset tantum distingui penes implicitum & explicitum. *Probatur Minor:* non potest quis certificari de aliquo, quod sit homo, & incertus manere quod sit animal rationale; sed non aliâ de causâ nisi quia homo & animal rationale, sive definitum & definitio penès solum implicitum & explicitum distinguuntur: Ergo & de ente quod à substantiâ non distinguitur, nisi penès explicitum & implicitum, non potest quis certificari, & certus manere an sit substantia.

Respondeo Negando Minorem: ad cujus probationem nego Majorem. Cum enim modus quo procedere solet intellectus noster, utpote potentialis, in suis cognitionibus sit procedere ab imperfecto ad perfectum sive à confusionibus ad notiora, consequenter fit quod priùs habeat aut saltem habere possit conceptum confusum de quolibet, quam distinctum ac determinatum ac proinde quod priùs certificari possit de ente quod importatur in confuso & implicitè in quolibet, quam de ratione substantiæ & accidentis, quæ importatur solum in conceptu explicito & distincto: sicque sufficiens est distinctio illa inter ens & substantiam penès implicitum & explicitum, ut possit certificari intellectus de aliquo quod sit ens, & adhuc incertus manere an sit substantia: ad tertium verò nego Minorem: non enim eâ de causa fieri non potest quod certificetur quis de aliquo, quod ei competat aliquod definitum, & incertus manere quod ei competat definitio, puta certificari quod sit homo, & incertus manere an sit animal rationale, non inquam eâ de causa hoc fieri non potest, quia solum distinguuntur penes implicitum & explicitum, sed quia est subordinatio quædam inter certitudinem habitam de definito, & habitam de definitione; taliter quod caput unde petitur certitudo quæ acquiritur de definito sit ipsa certitudo jam habita

de

de definitione, ex eo scilicet quod partes definitionis sunt causæ aut quasi causæ intrinsecæ ipsius definiti : at talis subordinatio minimè reperitur in nostro casu, licet enim ens & substantia non distinguantur nisi penès implicitum & explicitum, ipsa tamen ratio explicita substantiæ non est id unde petitur quod sit ens, sed magis id in quo confunditur hujusmodi substantiæ ratio, cum ratione accidentis : Ergo quamvis non possit quis certificari de aliquo, quod sit homo, & incertus manere quod sit animal rationale, adhuc tamen certificari poterit quod sit ens, & incertus manere an sit substantia, licet inter hominem & animal rationale, sicut & inter ens & substantiam non sit distinctio, nisi penès implicitum & explicitum.

Objicies quartò : Hæc est vera prædicatio : *Substantia est ens*; sed si ens esset analogum ad decem prædicamenta, non esset hæc prædicatio vera. Ergo ens non est dicendum analogum ad decem prædicamenta. *Probatur Minor* : Hoc ipso quod ens immediatè plura significat etiam ut proportionaliter se habentia, non est verum dicere substantia est ens; sed si ens esset analogum ad decem prædicamenta, plura immediatè significaret ut proportionaliter se habentia : Ergo si ens esset analogum, non esset hæc prædicatio vera : substantia est ens. *Minor* est certa analogum enim nomen ad differentiam æquivoci quod immediatè plura significat ut plura sunt & diversa, & ad differentiam univoci quod unum immediatè significat commune pluribus, habet significare plura prout proportionem servantia ad invicem. *Probatur Major* : non est verum dicere : *Substantia est plura prædicamenta*; *quantumvis proportionabilia* : sed hunc facit sensum præfata prædicatio substantia est ens, hoc ipso quod ens immediatè plura significat etiam ut proportionem habentia, cum tunc ipsum significatum entis quod de substantia prædicatur, sit plura ut proportionabilia : Ergo hoc ipso quod ens immediatè plura significat etiam ut proportionabiliter se habentia, non est verum dicere substantia est ens.

Respondeo Negando Minorem ad cujus probationem nego Majorem, vel claritatis gratia distinguo sic, hoc ipso quod ens immediatè plura significat, non est verum dicere substantia est ens, si ens illa plura significet expresè & distinctè Concedo : si verò illa plura solum significet prout stant sub confusione & proportionali unitate habendi esse, Nego; & sub eadem

 dem

dem distinctione Minoris Nego Consequentiam. Unde ad ultimum in quo videtur sita vis argumenti Nego Minorem, si nimirum intelligatur juxta distinctionem supra adductam. Cujus ratio est quia significatum entis prout significantis plura in confuso solum & ut stant sub confusione & proportionali unitate habendi esse, hujus inquam significatum non est ipsa plura etiam ut proportionem habentia, alias idem esset significatum entis prout expresse & distinctè significans plura, & prout solum in confuso significans; sed hujus significatum est id in ratione essendi quod proportionaliter est simile quantitati, qualitati, substantiæ &c. ac proinde quamvis ens significet plura illa in confuso ut habentia proportionem, adhuc verum est dicere *substantia est ens*, quia hunc facit sensum hæc prædicatio: substantia habet id in ratione essendi, quod proportionaliter simile est quantitati, qualitati, substantiæ &c. Ex qua doctrina tritum aliud solvi potest adversariorum argumentum dicentium, quod si ens non haberet conceptum univocum seu omninò unum sed analogum solum, eundem faceret sensum hæc prædicatio : *Substantia est substantia*, ac ista; *substantia est ens*; cum hoc ipso quod ens esset analogum & consequenter transcendentaliter imbibitum in conceptu substantiæ, non alium in substantia conceptum haberet, quam ipsum conceptum substantiæ. Hoc inquam argumentum solvi potest similiter ex præfata doctrina, dicendo scilicet quod cum sensus hujus prædicationis, substantia est ens, sit iste: substantia habet id in ratione essendi quod proportionaliter simile est quantitati, qualitati &c. non potest consequenter eumdem facere & habere sensum quem habet ista : substantia est substantia; cum ly substantia quæ est prædicatum in ista, ita simpliciter & absolutè prolata sub ratione substantiæ, supponat consequenter pro ipsa quidditate substantiæ ut condistincta ab aliis quidditatibus prædicamentorum, subindeque & hunc faciat sensum: substantia est quidditas per se subsistens, seu condistincta contra quantitatem, qualitatem &c.

Nota. *Nota.*

Instabis : Ens de quo est sermo, est frequenter medium in demonstrationibus; sed si significaret plura, quantumvis solum in confuso, non posset esse medium in demonstrationibus: Ergo contra solutionem datam non potest ens significare plura etiam in confuso, adeoque habere debet conceptum, omninò unum, subindeque & univocum. *Major* est certa, plura enim & ferè omnia demonstrantur in Metaphysica per hoc medium, quia sunt ens. *Probatur Minor* : medium in demonstra-

monstrationibus debet esse idem omninò, & omninò unum; sed si ens significaret plura, quantumvis solum in confuso, non supponeret pro eodem omnino, & omninò uno: Ergo non posset esse medium in demonstrationibus. *Minor* videtur certa, cum tunc non esset unum & idem nisi explicitè, & implicite ac in confuso esset plura. *Probatur Major:* de medio in demonstrationibus non debent posse verificari contradictoria: sed quod non possint verificari contradictoria hoc non est, nisi quia sunt circa unum prorsùs & idem: Ergo medium in demonstrationibus debet esse idem prorsùs, & prorsùs unum.

Respondeo: Negando Minorem, cujus ratio est, quia hoc ipso quod ens non nisi in confuso & implicitè importat diversa, cum hoc ipso in conceptu expresso & explicito dicat rationem unam, inde fit quod possit esse tale sub tali ratione, & de facto sit, ut ei suæ assignentur proprietates, adeoque & possit esse medium in demonstrationibus, cum possint de eo demonstrari proprietates. Unde ad probationem Nego Majorem: Quod enim est omnino idem & omnino unum, est unum simpliciter, quæ quidem unitas simpliciter minimè requiritur ad medium demonstrationis, cum ad hoc sufficiat ex ratione ibi adductâ unitas in conceptu explicito, subindeque & unitas secundum quid: ad ultimum autem in quo videtur sita vis argumenti, respondeo ad minorem, quod quandò dici solet quod non possunt verificari contradictoria, quia sunt circa unum prorsùs & idem, non propterea hoc dicitur quasi illud de quo non debent verificari posse contradictoria, debeat esse unum & idem unitate & identitate simpliciter, quæ est ea quam intendit arguens hic stabilire, sed sensus est & esse debet, quod contradictoria, ut talia sint, non debent id quod respiciunt respicere sub alia & alia ratione, ita ut sub uno contradictionis membro sumatur sub una ratione, & sub alio membro sub alterâ, quod quidem verificari potest cum unitate secundum quid sive de uno quod sit unum tantum secundum quid, sive de uno quod sit unum tantum secundum conceptum explicitum, cum sub illo conceptu sit una tantum ratio, adeoque quod de illa affirmatur, non possit de illa contradictoriè negari.

Nota.

Objicies 5. Si esset ens analogum vel esset tale analogiâ attributionis, vel analogiâ proportionalitatis; sed neutrum dici potest: Ergo non est ens analogum ad substantiam & accidens vel ad Deum & creaturas. *Probatur Minor:* & quidem primò quantum ad analogiam attributionis. Ratio analoga ana-

logia attributionis intrinsecè tantum reperitur in principali analogato & in aliis solum extrinsecè, ut patet in exemplo quod afferri solet de sano, pro hac explicandâ analogiâ: sed ens non reperitur solum intrinsecè in Deo vel in substantia, alias cætera essent intrinsecè nihil: Ergo non est ens analogum analogia attributionis; quod autem nec sit analogum analogia proportionalitatis, probatur sic: in analogis proportionalitatis non ingreditur unum analogatum definitionem alterius: sed Deus ingreditur definitionem creaturæ, sicut substantia definitionem accidentis: Ergo non est ens ad illa analogum analogia proportionalitatis.

Respondeo Negando Majorem sumptam, ut ex terminis sumitur, in sensu disjunctivo: quod enim est & hoc & illud non est nec dici potest vel hoc vel illud: Jam sic est quod ens est & analogum analogia proportionalitatis, & analogia attributionis: Ergo negari debet præfata Major sumpta, ut sumitur in sensu disjunctivo: inprimis ergo dico ens esse analogum analogiâ proportionalitatis, nec solum dici posse analogum analogiâ attributionis: pro quo notandum est quod licet in aliis rationibus particularibus v.g. in ratione sani possint aliqua analogia solum attributionis analogari, id tamen in ratione entis est omninò impossibile; cujus ratio est quia licet, ut medicina v.g. denominetur extrinsecè sana à sanitate existente in animali, non requiratur quod sub aliqua formalitate habeat sanitatem intrinsecam, requiritur tamen materialiter & præsuppositivè, ad hoc ut sit capax talis extrinsecæ denominationis, quod habeat in se entitatem intrinsecam, quia quod intrinsecè nihil est non potest esse capax alicujus denominationis: Ergo ut aliquid denominetur extrinsecè ens ab entitate in altero existente (in quo consistit analogia attributionis) requiritur præsuppositivè & materialiter, quod illud sit sub aliqua formalitate intrinsecè ens; ac proinde cum in hoc quod dicitur sub aliqua formalitate intrinsecè ens importetur analogia proportionalitatis, sequitur de primo ad ultimum esse prorsus impossibile quod ratio entis de aliquo dicatur analogicè analogiâ attributionis quin simul dicatur de illo analogicè analogia proportionalitatis. Est ergo ens analogum proportionalitatis; sed simul etiam analogia attributionis, cujus ratio est quia quamvis creaturæ & accidens materialiter, & sub aliqua ratione à suis propriis intrinsecis entitatibus dicantur entia & bona, formaliter tamen respectivè ad Deum entitas & bonitas creaturæ consideratur, ac si non esset: adeo ut solus Deus dicatur & esse & bonus esse, ut deducitur *ex illo Isai. 40. omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*; & ex illo

Nota.

Exod.

Exod.3.ego sum qui sum, ac si diceret, nullus in conspectu meo est; & ex illo dicto Christi *Luc.18.nemo bonus nisi solus Deus*: similiter dici potest quod sola substantia dicitur simpliciter ens creatum; & quod accidens non tam est ens quam entis ens, seu affectio & modificatio entis, scilicet substantialis. Ergo ens est ad talia analogum utraque analogia; neque huic obstant probationes adductæ in contrarium in argumento, cum denominari intrinsecè ens, quod facit ad analogiam proportionalitatis in accidente, non pugnet cum hoc quod facit ad analogiam attributionis pura cum ly definiri per ordinem ad Deum vel ad substantiam, ex eo scilicet quod ly denominari intrinsecè ens competat rei materialiter consideratæ; definiri vero per ordinem vel ad Deum vel ad substantiam, subindeque & ab iis quasi extrinsecè denominari, eidem quidem competat rei, sed formaliter & in actu signato consideratæ.

Instabis: Per essentiam Dei cognoscuntur entia creata; sed si ens esset ita analogum ad Deum & creaturas, non posset per essentiam Dei cognosci ens creatum: Ergo ens dici non potest ita analogum ad Deum & creaturas. *Major* est certa: Deus enim per essentiam suam cognoscit creata & creabilia, in quo relucet maxima ejus & divina perfectio in cognoscendo, ut inquit Augustinus, dum scilicet non propterea extra se exit, ut ea quæ extra ipsum sunt apprehendat. *Probatur Minor*: nihil potest cognosci, nisi per id quod est ejusdem rationis cum illo, cum ab eo quod est diversæ rationis distinguatur & diversificetur in essendo, subindeque & in cognoscendo: sed si esset ens ita analogum ad Deum & creaturas, esset diversæ rationis in essentia Dei & in ente creato: Ergo nec posset per essentiam Dei cognosci ens creatum.

Respondeo: Negando Minorem; ad cujus probationem distinguo Majorem: nihil potest cognosci, nisi per id quod est ejusdem rationis cum illo, quando unum non præcontinetur in alio Concedo: si autem id quod cognosci debet præcontineatur in eo in quo cognosci debet Nego: & sub eadem distinctione Minoris Nego consequentiam: unde dico quod licet unum ens creatum non possit per aliud cognosci, in eo in quo diversæ sunt rationis, propterea quod ratio unius nullatenus, nec formaliter nec eminenter aliam continet, in eo scilicet in quo diversa est ab illa. Quia tamen rationes omnes & singulæ creaturarum præcontinentur vel formaliter vel eminenter in Deo; ideo fit quod possint omnes & singulæ in divina essentia cognosci; & quia ex eo quod ita eminenter præcontinentur in

divi-

divina essentia sunt ab illa diversæ rationis, ex eo scilicet quod quæ in creatis reperiuntur divisa & limitata, in Deo, ex eo quod præcontenta, sunt unita & absque limitatione, consequenter fit quod quamtumvis entia creata non sint in ratione entis ejusdem rationis cum divina essentia, sed potius diversæ, adhuc tamen in eo, etiam in quo diversæ sunt rationis, possint in divina essentia cognosci.

REGULA GENERALIS

Ad agnoscendum, undenam & ubinam transcendentia, subindeque & analogia.

HAnc quam sollicitatus propono regulam, eò avidiùs excipiendam spero, quo frequentiùs ex ejus ignorantia plures scaturire errores experiuntur quotidiè Philosophi in disputationibus, & experti sunt qui me ad eam meditandam sollicitarunt professores. Itaque hæc est & haberi debet, ut generalis regula ad agnoscendum, undenam scilicet & ubinam sit transcendentia; subindeque & analogia; sive, quod in idem redit, undenam provenit quod aliquid commune, etiam ut completum est & quoddam totum differentias dicat, in quo involvitur transcendentia, & patet, & inducitur haud dubiè analogia, cum talis conceptus nusquam sit omnino idem & unus, sed semper in eo includatur diversitas differentiarum.

Dico ergo: *quoties communis aliqua ratio non habet intrà proprium conceptum, sui completivum per quod fit quid completum & quoddam totum, sive quoties per aliud non completur quam per differentias inferiores, toties differentias dicit in conceptu suo etiam completo, subindeque & toties & hoc ipso est quid transcendens & consequenter analogum.*

Priusquam autem hæc probetur regula, juvat eam exponere & declarare tribus exemplis, circa quæ hac de re torquentur mirum in modum Philosophorum ingenia; & quidem non alia [meo judicio] de causa, nisi quod ad præfatam & annotatam regulam non adverterint. Tria hæc exempla sunt de *Ente* de *substantia*, & de *accidente*, circa quæ inquiri solet, cur ens ut sic vel accidens ut sic, etiam considerata ut quid completum involvunt differentias inferiorum; adeoque & sint transcendens

dens quid atque analogum: nec tamen idem dici debeat nec possit de substantia ut sic, & similiter de aliis generibus inferioribus. Ad quod respondeo ego juxta præfatam regulam id provenire; quia habet substantia intra proprium conceptum & propriam lineam suum completivum per quod fit quid completum, & quoddam totum, non autem hoc habet ens, vel accidens ut sic; seu quod in idem redit, quia per aliud completur substantia quam per differentias inferiores, non autem ens vel accidens ut sic.

Dicitur autem habere substantia intra proprium conceptum & propriam lineam suum completivum, per quod fit quid completum & quoddam totum, adeoque & per aliud compleri quam per differentias inferiores; quia intra propriam lineam propriumque substantiæ conceptum reperitur subsistentia seu subsistentiæ modus, qui quidem subsistentiæ modus, cum talis sit naturæ quod reddat substantiam seu id quod afficit incommunicabile; & esse incommunicabile sit conditio totius & entis completi; consequenter fit quod substantia habeat intra proprium genus seu proprium conceptum, unde fit ens completum, atque ita fit completum quid seclusis ejus differentiis, corporei scilicet, & incorporei. Non ita autem Philosophari possumus de ente vel accidente ut sic: non quidem primò de ente, propterea quod modus omnis, qui est de conceptu & linea entis ut sic, est modus inferior, modus inferior autem non est æquè amplus ac ipsum ens & æqualis cum ipso latitudinis, ac proinde cum illud relinquat in tota sua latitudine, relinquit consequenter in sua transcendentia, & per consequens illud non complet seu adhuc incompletum relinquit, cum adhuc ex sua transcendentia inclusus maneat in differentiis incompletis: sicque non nisi per modos differentiales inferiores, & minùs amplos quam ens ut sic, potest ly ens sortiri conceptum completum. Pari modo Philosophandum est de accidente ut sic, & dicendum quod si posset compleri accidens & fieri totum quoddam per modum quoddam completivum, qui esset de ejus conceptu & linea, aliusque à differentiis inferioribus prædicamentorum, ille haud dubiè esset modus inherentiæ sicut diximus compleri substantiam intra propriam lineam per modum subsistentiæ; jam sic est quod per inhærentiæ modum reddi non potest accidens ut sic completum ens; tùm quia inhærentia in ratione complendi & faciendi totum opposito modo se habet ad subsistentiam, in quantum scilicet hæc reddit incommunicabile, quæ est conditio totius, inhærentia vero commu-

nicabile, quæ est conditio formæ, & non totius; tum quia inhærentia est propria formæ informantis subjectum; unde cum in accidente tam ratio communis quam ratio particularis & differentialis pertineant ad rationem formæ informantis, consequenter fit, quod per hunc inhærentiæ modum quem habet accidens ex ratione accidentis, non extrahatur nec eximatur ab hoc; quod est intrare differentias, seu incompleta entia; Ergo ex illo inhærentiæ modo quem habet accidens ut sic ex ratione accidentis non habet fieri completum ens & quoddam totum; subindeque habet solum completi accidens per ipsas differentias inferiores, per quas scilicet fit determinatum prædicamentum, non autem per aliud à differentiis.

Hâc autem sic declaratâ regulâ in exemplis, de quibus moveri solet difficultas quantum ad transcendentiam & analogiam, jam ut hæc probetur regula hoc unico utor argumento, quia [meo judicio] convincentissimo.

Hoc ipso quod aliquid ut incompletum quid manet inclusum in differentiis, & prout quid completum illas includit, est hoc ipso transcendens & quid analogum, cum sub nulla ratione absolvi possit & extrahi à conceptu differentiarum, adeoque & habeat semper importare diversitatem in suo conceptu: Sed quoties communis aliqua ratio non habet intra proprium conceptum sui completivum per quod fit quid completum, & quoddam totum, seu quoties non completur per aliud quam per differentias inferiores, qualia ostendimus supra esse & ens & accidens ut sic, toties, ut est quid incompletum, inclusum manet in differentiis, ut patet & conceditur in ente & accidente ut sic, de quibus ita verificatur esse incompletum, & sumptum ut quid completum differentias includit, cum non nisi per illas supponatur compleri: Ergo quoties communis aliqua ratio non habet intra proprium conceptum, sui completivum per quod fit quid completum & quoddam totum, seu quoties non completur per aliud quam per differentias inferiores, toties & hoc ipso est quid transcendens & quid analogum; proindeque effatum supra positum haberi debet tanquam certa & generalis regula ad cognoscendum undenam & ubinam transcendentia & analogia, & undenam substantia ut sic non sit transcendens quid, & quid analogum, bene autem & ens & accidens ut sic.

Quenam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam favere haud dubiè nostræ sententiæ; adeo ut & respectu Dei & creaturarum & respectu substantiæ & accidentis ens sit analogum ex illo non univocum: porro quantum ad primum id colligo *ex 1. contra gentes cap. 32.* ubi sic loquitur: *omne quod univocè de pluribus prædicatur vel est genus, vel species, vel differentia, vel accidens vel proprium: nam sic est quod de Deo nihil prædicatur ut genus, ut ostensum est supra; neque ut differentia neque species quæ ex genere & differentia constituitur; neque aliquid ei accidere potest, ut supra demonstratum est, & ita nihil de Deo prædicatur neque ut accidens neque ut proprium; nam proprium de genere accidentium est: Ergo nihil de Deo & rebus aliis univocè prædicatur.* Hæc ille.

Secundò hoc idem colligo *ex eodem libro supra citato, cap. 32, rat. 4.* ubi admittit tanquam inconveniens quod ens ut sic, sive secundum rationem & intellectum sit simplicius Deo utpote qui est infinitæ prorsus simplicitatis: Jam sic subsumo; sed si ens esset univocum, seu quod in idem redit si posset à Deo & creaturis omnino præscindi, & ita sortiri conceptum omninò unum & consequenter univocum, esset ens illud ita præcisum simplicius Deo: quod enim omninò abstrahitur ab aliquibus, simplicius est iis à quibus abstrahitur, utpote quod non includit actu rationes inferiorum, quas ipsa inferiora simul cum ratione abstracta actu includunt: Ergo ex præfata illa doctrina sancti Doctoris non potest ens ut sic & secundum rationem intellectum omninò abstrahi à Deo & creaturis nec consequenter habere ad illos conceptum omninò unum sive univocum.

Tertiò Id colligo tum respectu Dei & creaturarum, tum etiam respectu substantiæ & accidentis *ex eodem loco jam non semel citato, eodemque capite*, ubi hæc habet; *quod prædicatur de aliquibus secundum prius & posterius verum est univocè non prædicari: nam prius in definitione posterioris includitur, sicut substantia in definitione accidentis, secundum quod est ens.* Hæc ille ex quibus sic arguo: hoc ipso quod ratio aliqua inæqualiter ut talis participatur non potest ut talis esse univoca; cum non habeat tunc conceptum omninò unum, sed inæqualitatem & diversitatem importet in suo conceptu, sed ens sub ratione entis participatur ex præfata doctrina S. Doctoris sic inæqualiter à Deo & creaturis, & à substantia & accidente, cum per prius &

con-

consequenter independenter à Deo & à substantia participetur, & per posterius & consequenter dependenter, creaturis & accidenti competat: Ergo ex Divo Thoma non potest ens esse univocum ad Deum & creaturas vel ad substantiam & accidens.

Quartò Demum id colligo ex Doctrina altera, & quidem multum suo more profunda, quam affert S. Doctor *de veritate qu. unica art. 2. in corpore:* ubi hæc habet: ***Enti non potest addi aliquid quasi extranea natura per modum quo differentia additur generi, vel accidens subjecto: quia quidlibet est essentialiter ens; sed secundum hoc solum dicuntur aliqua addere supra ens, in quantum ipsius exprimunt modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur.*** Hæc D. Thomas, ex quibus argumentor sic: conceptus univocus & omnino unus non potest in actu includere differentias inferiorum, sed ad summum in potentia, aliàs actu includeret diversitatem nec esset omninò unus; sed ex præfatâ doctrina S. Doctoris conceptus entis actu semper includit differentias inferiorum, tum quia tales differentiæ utpote in natura rerum & consequenter essentialiter entia non possunt enti advenire & superaddi; tum quia ab eo non distinguuntur nisi penes implicitum & explicitum seu expressum, quod verificari non posset si solum in potentia includerentur in ente ut supra in solutionibus objectionum puto demonstrasse. Ergo ex Divo Thoma ens illud, de cujus univocatione agitatur quæstio, esse non potest univocum ad Deum & creaturas vel ad substantiam & accidens, sed analogum solum.

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum ens reale creatum adæquatè dividatur in decem prædicamenta.

R*Espondeo* Affirmativè; quod quidem ex eo colligo, quod cum accidens sit analogatum attributionis per ordinem ad substantiam, ac proinde ordinem dicens & habitudinem ad illam, ut ostensum fuit supra in solutione objectionis quintæ, consequenter fit quod tot tantum, nec plura nec pauciora constituenda sint prædicamenta accidentium, quot sunt eorum habitudines ad substantiam primo diversæ: Jam sic est, quod

quod sunt tantum novem primo diversæ habitudines ad substantiam ; Ergo & sunt tantum novem prædicamenta accidentium realium, quæ consequenter cum prædicamento substantiæ adæquatè dividunt ens reale creatum in decem prædicamenta. *Probatur Minor*: nomine accidentis exprimitur ens, cujus modus essendi est esse in alio: sed ens cujus modus essendi est in alio, vel est in alio ratione materiæ quæ est in eo, & hoc est *quantitas*, vel est in alio ratione formæ quæ est in eo, & est *qualitas*; vel est in alio ex aliquo in eo existente in respectu ad alterum, & est *relatio*; vel est in alio ex aliquo quod extra ipsum est, quod tamen ad ipsum sui subjectum comparetur, ut habitum ad habens; & est *habitus*; vel est in alio propter aliud quod comparatur ad ipsum ut agens ad patiens; & est *actio*; vel est in alio propter aliud quod extra illud est, quodque ad illud comparatur sicut patiens ad agens; & est *Passio*: Vel est in alio propter aliud quod est extra illud, quodque comparatur ad ipsum sicut mensura extrinseca fluens quam nos vocamus tempus, & est *quando*: vel est in alio propter aliquid quod est extra ipsum, quodque illi applicatur sicut mensura extrinseca manens absolutè, quam nos vocamus locum, & est *ubi*; Vel est in alio propter aliquid ipsi extrinsecum, quod applicatur illi sicut mensura extrinseca manens, non absolutè, quam nos vocamus locum, sed in respectu ad partes locati, & est positio sive *situs*; non enim addit positio supra ubi, nisi ordinem partium locati ad locum: Ergo sunt tantum novem primò diversæ habitudines ad substantiam, subindeque & novem tantum prædicamenta accidentium, quæ cum ipso prædicamento substantiæ denarium arguunt prædicamentorum numerum.

Dices Prædicamenta debent esse primò diversa: sed duo tantum sunt prædicamenta primo diversa: Ergo & duo tantum sunt prædicamenta. *Major* est certa, siquidem prædicamenta, cum sint suprema genera nihil habere possunt supra se in quo communicent, cum illud esset superius genus, adeoque debent illa esse secundum se tota diversa seu primo diversa. *Probatur minor*. Sunt tantum prędicamenta duo primò diversa, si novem accidentium genera non sint inter se primo diversa: sed de facto res ita est: Ergo sunt tantum duo prædicamenta primò diversa *Major* patet. *Probatur minor*. Quæ sunt primo diversa, ita diversa sunt, ut non possint esse magis diversa; sed novem accidentium genera magis sunt à substantia diversa quam inter se, Ergo non sunt accidentium genera primo diversa.

Re-

Respondeo Negando Minorem primi & secundi argumenti, cujus quidem negati ratio est, quia esse aliqua primo diversa, est ea nihil in se habere in quo non imbibatur diversitas; sive diversitatis ratio, cum hoc ipso sint se totis diversa: Jam sic est quod de novem accidentium generibus illud verificatur, propterea quod ratio accidentis in qua videntur convenire est transcendentaliter imbibita in eorum modis differentialibus, sieque in eo ipso in quo videntur convenire diversa sunt, cum illud imbibant in ratione ex qua & in qua diversificantur: non ergo verum est dicere quod novem accidentium genera non sint inter se primo diversa. Unde ad ultimum distinguo majorem. Quæ sunt primo diversa ita diversa sunt; ut non possint esse magis diversa, loquendo de diversitate ut excludente convenientiam simpliciter & univocam concedo; loquendo de diversitate excludente convenientiam proportionalitatis & analogam Nego, quod illa quæ sunt ab invicem primo diversa, non possint ab alio aliquo adhuc esse magis diversa; cum fieri possit, ut de facto fit in præsenti, quod illa, quamtumvis ab invicem primò diversa adhuc conveniant proportionaliter in duplici aut triplici capite, & in duobus verbi gratia proportionari possint, puta & in ratione entis, & in ratione accidentis, cum tamen proportionari non possint cum aliquo tertio, puta cum substantia nisi in uno, puta in ratione entis; & sic cum hoc quod sint ab invicem primo diversa, adhuc stare potest quod ab aliquo tertio possint adhuc esse magis diversa, in quantum usurpatur ly magis diversum pro eo quod magis excludit de convenientia proportionali, quæ quidem convenientia ea est quæ inter primò diversa reperiri potest ut ex dictis in quæstione præcedenti de analogia evidenter colligitur.

Nota.

Dices 2. Magister in aliquo reponitur prædicamento; cum esse Magistrum sit ens reale, eo quod dicat perfectionem, in quantum ex eo honoramur; atqui in nullo ex prædicamentis enumeratis reponitur; Ergo sunt plus quam decem prædicamenta. *Probatur minor.* Si Magister in aliquo ex enumeratis reponeretur maximè in prædicamento relationis; ut enim dici solet: *Si Magister; ergo alicujus Discipuli Magister*; Sed in prædicamento relationis reponi non potest: Ergo in nullo ex enumeratis reponi potest. *Probatur minor.* Magister dicitur qui est alios potens docere sive alios docens; sed potens alios docere seu alios docens reponi non potest prædicamento Relationis: Ergo nec ly Magister, *Major* ex se patet

tet *Probatur minor*. Concretum in eodem reponitur prædicamento cum abstracto; ut qualis in prædicamento reponitur qualitatis; alias varius significandi & exprimendi modus variaret essentiam prædicamentalem; sed docens se habet ad doctrinam sicut concretum ad abstractum: Ergo docens seu potens docere in eodem reponitur prædicamento cum doctrina: atqui doctrina reponi non potest in prædicamento Relationis, cum sit habitus: Ergo nec docens seu potens docere.

Respondeo Dicendo, quod si nominemus Magistrum, seu Magistri nomine intelligendum velimus habentem doctrinam, sive potentem docere aut docentem, tunc ly Magister seu Magisterium in prædicamento ponitur qualitatis; si autem Magistri nomine intelligamus qui habet discipulos, quia tunc Magister se habet formaliter ad aliud, ideo sic intellectus reponi debet in prædicamento Relationis, ejusque Relatio est secundi modi Relativorum, fundata supra scientiam Magistri ut habentem seu connotantem aliam scientiam à se productam, quæ est terminus oppositæ Relationis; & quia termini [ut dicitur communiter] sunt ad placitum instituentium & recipientium, ideo & quævis opinio sive Responsio esse potest vera & est receptissima. Pro complemento autem agitatæ de Magisterio difficultatis placet ad recreandum animum hic unum inquirere & resolvere, an scilicet qui aliquem facit Magistrum, in eo aliquid ponat quo mutetur in se realiter. Pro cujus Resolutione dico, quod qui non existens Magister, postea Magister fit, in nullo prorsus in se est mutatus, sed solum in existimatione hominum, quia prius nil sciebatur de doctrina in eo latente, nunc autem dum promovetur in Magisterium denunciatur esse doctus, ut volentes addiscere & doceri, se ipsi possint submittere tanquam experto in scientia; & hoc ideo, quia alias indocti docere vellent, unde provenirent errores plurimi. Quapropter qui Magistrum facit nihil propterea ei præbet quo mutetur dum fit Magister, sed solum removet prohibens, quia scilicet prius fuit prohibitus docere seu Magisterium exercere, ex eo quod ignoraretur esse doctus: Nunc autem præconisatur ex promotione sufficiens ad docendum, quam quidem sufficientiam non ex admissione, licentiatura vel approbatione acquirit imò forsan interea ambitionis cupidus aliquid per oblivionem deperdit, sed ex frequenti studio antea habito habitus in intellectu ejus reconditi sunt ex promotione publicati.

Nota.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Vtrum Deus poni debeat in prædicamento.

PRæmittendum 1. Quod cum in Deo duplex distingui soleat ratio, entis scilicet absoluti in cujus conceptu exprimitur ratio substantiæ, & entis relativi quod in conceptu suo explicito habet solum exprimere, *esse ad*, videtur propterea dicendum quod ubi de Deo inquiritur, an scilicet ponatur in prædicamento, procedat quæsitum de duplici prædicamento, substantiæ scilicet & relationis; cum conceptus utriusque videatur denudari posse ab omni imperfectione, subindeque & transferri posse in Deum & in Deo reperiri: Nihilominus quia relatio prædicamentalis est essentialiter & ex quidditativo conceptu accidentalis & accidens, propterea quod novem prædicamenta condistincta à prædicamento substantiæ habent [ut dictum fuit dum de numero prædicamentorum] talia constitui per habitudines varias & primò diversas quas dicunt singula ad substantiam; adeò ut prædicamentalis relatio non sit præcise ens ad aliud sed ens referens subjectum in quo est ad aliud, consequenter fit, quod relatio prædicamentalis utpotè quidditativè & prædicamentaliter accidentalis non possit in conceptu suo ab omni denudari imperfectione, nec consequenter in Deum transferri & in Deo reperiri. Restat igitur quod procedat quæsitum tituli de prædicamento substantiæ, in quo quidem prædicamento supponimus ibi, substantiam omnem creatam completam poni directè; cum omnis illa componatur ex genere & differentia, & omnes illæ in ratione substantiæ conveniant univocè. Quamvis enim corpora cœlestia & sublunaria differant genere physico quia habent materiam diversæ rationis; & quamvis substantias immateriales & Angelicas appellaverit Aristoteles 9. *Metaph. textu.* 22. Substantias simplices, & entia semper in actu: per primum tamen solum intendit, quod non habeant materiam physicam; & per secundum quod non habeant potentiam ad non essendum, aut naturale principium corruptionis; Cum quibus tamen stat quod sint hujusmodi substantiæ Angelicæ, substantiæ completæ & compositæ ex genere

&

& differentia, ac proinde quod directè ponantur in hoc prædicamento; unde de solâ increatâ substantiâ, sive tantum de Deo potest in præsenti controverti.

Præmittendum 2. Pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu inferendæ conclusionis, puta quod *Deus est ens quod necesse est esse*; Quod *Deus est infinitum ens?* Quod *Deus est ens summè & universaliter perfectum.* Primò quidem dicitur Deus ens quod necesse est esse, cujus Ratio est, quia quotiescumque aliquid per participationem & per accidens alicui convenit, debet hoc illi convenire per illud, cui per se & per essentiam subindeque & necessariò talis ratio convenit: quia secundum commune axioma, quod est tale per participationem debet esse tale per id quod est tale per essentiam: jam sic est quod esse convenit solum per accidens & per participationem rebus omnibus creatis, seu contingenter existentibus; Ergo debet hoc illis convenire per aliquid aliud, cui per se & per essentiam, subindeque & necessario conveniat esse: sed illud aliud non est aliud quam Deus, ergo Deus est ens quod necesse est esse. Quod autem sit Deus & infinitum ens ex eo evidenter colligitur, quod omnis contractio & limitatio formæ fit per aliquam sui oppositi inclusionem, sicut albedo contrahitur & limitatur per hoc quod recipitur in subjecto, in quo aliquid sui oppositi, puta nigredinis est admixtum: jam sic est quod Deus cum sit ens à se & per essentiam est alienum ab omni nihilo, à quo non emersit, utentia producta; & cum eo ut ita dicam nihil habet commercii: Ergo habendum est tanquam certum, esse Deum infinitum ens seu infinitum in ratione entis. Tandem quantum ad tertium, quod scilicet sit Deus ens summè & universaliter perfectum. Ratio est, quia omnis perfectio petitur penes aliquod esse: justitia enim dat esse justum, potentia esse potentem, sapientia esse sapientem: jam sic est quod in Deo est tota plenitudo essendi, cùm sit in genere entis infinitus ut dictum est: Ergo est Deus summè & universaliter perfectus. His ergo tribus suppositis tanquam certis & apud omnes receptissimis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

Conclusio: *Deus poni non potest, nec debet in prædicamento.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, puta quod *Deus*

est ens, quod necesse est esse, ex quo argumentor sic: Deus est ens quod necesse est esse Ergo poni non potest Deus in prædicamento. *Probatur Consequentia.* Quod necesse est esse non ponitur in genere; Ergo hoc ipso quod Deus est ens quod necesse est esse, poni non potest in prædicamento, sive sub prædicamentali genere. *Consequentia* est evidens. *Antecedens* præterquam quod est ex Avicenna 10. *Metaph.* probatur sic: Omne quod est in genere ex pluribus conflatur rationibus: sed id quod necesse est esse, non potest ex pluribus conflari rationibus: Ergo id quod necesse est esse, non potest esse in genere sive sub genere. *Major* est certissima, ut constabit ex dicendis infra *Probatur Minor.* Si quod necesse est esse ex pluribus conflaretur rationibus, deberet de qualibet dici quod necesse est esse; sed non potest ens quod necesse est esse, ex pluribus conflari rationibus, de quarum qualibet dicatur, necesse est esse Ergo nec potest tale ens ex pluribus conflari rationibus. *Major* certa est ut constabit ex dicendis infra. *Probatur Minor*, in qua sita est difficultas. Quod ex pluribus essentialiter conflatur rationibus, seclusâ seu circumscriptâ quacumque ex illis, illud non manet: sed si ens quod necesse est esse ex pluribus conflaretur rationibus de quarum qualibet diceretur, necesse est esse, tunc una seclusâ ratione, adhuc maneret ly necesse esse, cum adhuc maneret ratio altera de qua diceretur, necesse est esse: ergo non potest ens quod necesse est esse ex pluribus conflari rationibus, de quarum qualibet dici debeat, necesse est esse: Ergo non potest ens, quod necesse est esse, ex pluribus conflari rationibus: Ergo nec potest ens quod necesse est esse, poni in genere sive sub genere; Ergo hoc ipso quod Deus est ens quod necesse est esse (quod est primum præmissum principium) poni non potest in prædicamento, sive sub prædicamentali genere.

Notabis autem duas in præfata probatione supponi propositiones majores tanquam certas & indubitatas; & quidem primò supposita fuit hæc propositio: *Omne quod est in genere ex pluribus conflatur rationibus*, cujus ratio est, quia omne quod est sub genere est sub eo per aliquid, sive ratione alicujus per quod illud ad se contrahit, adeoque & illud omne duas illas involvit rationes contrahibilis scilicet & contrahentis. Secunda vero propositio quæ fuit similiter supposita tanquam certa sic habet: *Si quod necesse est esse ex pluribus conflaretur rationibus, deberet de qualibet dici, quod necesse est esse*, cujus ratio est, quia id omne quod habet causam unam contingentem est etiam contingens & contingenter, cum tunc

con-

contingens causa esse aliquid influat, & non possit influere esse necessarium quod non habet: Ergo hoc ipso quod ens quod necesse est esse ex pluribus conflatur rationibus debet hoc ipso de earum qualibet dici quod necesse sit esse; proindeque probatæ ac resolutæ manent propositiones singulæ præcedentis probationis.

Probatur secundò Ex secundo præmisso principio: *Deus est infinitum ens*: Ergo non potest poni Deus in prædicamento, seu sub prædicamentali genere. *Probatur Consequentia*; si poneretur Deus sub prædicamentali genere, ex nullo capite habere posset infinitatem: ergo hoc ipso quod Deus est infinitum ens, poni non potest in prædicamento. *Probatur antecedens*: Omne quod est sub genere vel habet id quod est ex suo genere sub quo est, vel ex propriâ seu differentiali ratione: sed nec haberet Deus infinitatem ex suo genere, neque ex propriâ & differentiali ratione: Ergo si poneretur Deus sub genere, ex nullo capite habere posset infinitatem. *Major* est evidens, nec non & Minor quoad primam partem, puta quod non haberet Deus infinitatem ex suo genere, sub quo esset, cum genus illud esset ejusdem rationis in aliis entibus creatis in eo communicantibus, quibus tamen non præbet infinitatem. *Probatur igitur minor*, quoad secundam partem si haberet Deus infinitatem ex ratione propriâ seu differentiali, vel hanc haberet secluso genere, vel simul tantum cum genere: sed nec secluso genere nec simul tantum cum genere: Ergo si poneretur Deus sub genere non haberet etiam infinitatem ex differentiali ratione. *Major* patet ex terminis, *Probatur minor*, & quidem primo quoad primam partem esse Deum infinitum ens, hoc habet quia Deus est; sed casu quo esset Deus sub genere non haberet secluso genere quod esset Deus, ut per se patet: Ergo nec haberet secluso genere infinitatem ex ratione propria. Jam vero probatur eadem minor; quoad alteram partem. Quod habet simul tantum cum genere infinitatem, habet infinitatem prout ad eam concurrit genus: sed impossibile est quod genus ad hanc concurrat infinitatem Dei, cum esset essentialiter quid finitum utpote ejusdem rationis in Deo & in entibus creatis: Ergo nec haberet Deus infinitatem simul tantum cum genere, sicut nec genere secluso: Ergo casu quo esset Deus sub genere, non haberet etiam infinitatem ex differentiali ratione: Ergo casu quo esset Deus sub genere ex nullo capite habere posset infinitatem: Ergo hoc ipso quod Deus est infinitum ens [quod est secundum præmissum princi-

 pium]

pium] poni non poteſt ſub prædicamentali genere.

Probatur 3. Ex tertio præmiſſo principio, *Deus eſt ens ſummè & univerſaliter perfectum:* Ergo non ponitur Deus in prædicamento. *Probatur conſequentia.* Eſſe ſummè & univerſaliter perfectum ſtare non poteſt cum ly eſſe ſub prædicamentali genere; Ergo hoc ipſo quod Deus eſt ens ſummè & univerſaliter perfectum, poni non poteſt in prædicamento, *Probatur antecedens*, ſummè & univerſaliter perfectum exurgere non poteſt ex particularibus ſolum perfectionibus, ſed omnis perfectio entis prædicamentalis, ſeu poſiti ſub prædicamentali genere non eſt, niſi particularis perfectio: Ergo ſummè & univerſaliter perfectum ſtare non poteſt cum ly eſſe ſub prædicamentali genere. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* omnis perfectio entis prædicamentalis vel eſt determinabilis vel determinativa; cum vel ſe teneat ex parte generis vel ex parte differentiæ: ſed tum determinabilis, tum determinativa eſt particularis tantum perfectio: Ergo omnis perfectio prædicamentalis entis eſt tantum particularis perfectio. *Major* eſt certiſſima ut conſtabit ex dicendis infra. *Probatur Minor*. Perfectio quæ ita eſt hæc ut non ſit alia nec formaliter neque eminenter eſt particularis tantum perfectio ut per ſe patet; ſed tum determinabilis tum determinativa perfectio ita eſt hæc, ut nec formaliter neque eminenter ſit alia, cum determinativum ſuperadveniat ſimpliciter loquendo determinabili, quod quidem verum non eſſet, ſi unum eſſet vel formaliter vel eminenter aliud: Ergo tum determinabilis, tum determinativa perfectio eſt perfectio tantum particularis: Ergo omnis perfectio entis poſiti ſub prædicamentali genere eſt particularis tantum perfectio: ergo ens ſummè & univerſaliter perfectum ſtare non poteſt cum ly eſſe ſub prædicamentali genere: Ergo hoc ipſo quod Deus eſt ens ſummè & univerſaliter perfectum [quod eſt tertium præmiſſum principium] poni non poteſt in prædicamento.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia concluſionis fundamenta in ſolu-

Objicies Primò: cui non repugnat rationis compoſitio, non repugnat poni ſub prædicamentali genere; ſed Deo non repugnat compoſitio rationis: Ergo nec Deo repugnat poni ſub prædicamentali genere. *Major* ſupponitur certa cum rationis compoſitio importet aliquid commune & aliquid proprium, ſubindeque & importare poſſit rationem aliquam genericam præ-

prædicamentalem, & rationem differentialem. *Probatur minor.* Si repugnaret Deo compositio rationis, repugnaret maximè ratione sui oppositi, scilicet simplicitatis summæ; sed ratione simplicitatis summæ non propterea repugnat rationis compositio: Ergo Deo non repugnat rationis compositio. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: non minus videtur opponi unitati summæ distinctio rationis, quam summæ simplicitati rationis compositio; sed Deo quamtumvis summè uni non propterea repugnat rationis distinctio: Ergo nec ipsi quamtumvis summè simplici repugnare debet rationis compositio.

tionibus objectionum.

Respondeo Negando Minorem, quod quidem negatum præterquam quod colligi potest ex probationibus adductis & specialiter ex prima probatione, ubi evidenter (meo judicio) ostensum est repugnare constare Deum essentialiter pluribus ex rationibus, potest prætterea suaderi ex eo quod in omni composito in quantum tali est aliquid quod non est ipsum; nulla enim partium hominis est homo, nec aliqua pars pedis est pes: Ergo hoc ipso quod Deus esset ratione compositus, deberet aliquid in eo esse, quod secundum quod esset in ratione apprehendente non esset Deus; Jam sic est quod hoc repugnat omni de Deo conceptui, si falsus non sit: sed verus seu formatus à Cordato Theologo vel Philosopho, cum omnis verus de Deo conceptus terminetur conceptibiliter ad Deum summè simplicem, de cujus quidem natura est esse illud omne, quod habet, ut notat D. Augustinus 11. *de civit. Dei cap.* 10. ac proinde cujus conceptæ naturæ repugnat quod in ea sit conceptibiliter aliquid habitum quod non sit ipsa: Ergo verè repugnat Deo compositio rationis: Unde ad probationem Nego similiter Minorem ad tertium verò nego paritatem Majoris cujus disparitatis ratio est; quia tantum abest quod distinctio rationis opponatur aut videatur opponi unitati summæ, quin imò unitas summa habet fundare distinctionem rationis, in quantum scilicet summè unum habet adunare in se quæ sunt in inferioribus dispersa, subindeq; & habet unum manens & ratione suæ summæ unitatis virtutem præstandi quæ per plura præstantur in inferioribus, quod est præbere fundamentum intellectui ad formandum de illo distinctum conceptum, subindeque & distinctionem rationis: è contra verò ens summe simplex cum ex sui natura hoc habeat (ut inquit Augustinus) quod sit illud omne quod habet, consequenter fit quod hoc ipso quod est in ratione, & conceptum terminat sub ratione summe simplici,

Nota.

Nota.

hunc excludat conceptum, in quo non esset illud omne quod haberet, seu in quo & juxta quem aliquid in eo esset quod ipsum non esset: Jam sic est quod talis est conceptus compositi seu compositionis rationis; cum, ut dictum fuit supra, in omni composito in quantum tali sit & debeat esse aliquid quod non est ipsum: Ergo summæ simplicitati repugnat omnino compositio rationis, non autem summæ unitati rationis distinctio.

Instabis: Non repugnat Deo præcisio rationis: Ergo nec repugnare potest compositio rationis. *Probatur antecedens.* Ideo ex solutione data repugnat Deo compositio rationis; quia importaret hæc aliquid quod non esset Deus; sed etiam præcisio alicujus à Deo aliquid importat quod non est Deus: Ergo hoc ipso, quod non repugnat Deo præcisio rationis, nec repugnare potest compositio rationis. *Probatur Minor:* ibi aliquid conceptibiliter importatur quod non est Deus, ubi aliquid concipitur Deo non concepto; sed ubi præscinditur aliquid à Deo, tunc aliquid concipitur Deo non concepto: Ergo ubi præscinditur aliquid à Deo, aliquid importatur saltem conceptibiliter, quod non est Deus.

Respondeo Negando consequentiam ob rationem statim afferendam, ad probationem vero nego Minorem: ad tertium autem in quo vim faciunt adversarii Nego Majorem, pro quo notandum est & quidem seriò & diligenter hæc duo quæ confundi solent ab adversariis, eo quod nimis confusè procedant in hac materiâ, toto cælo differre & facere omninò diversos sensus, subindeque & arguere diversas consequentias, puta: *Non concipitur aliquid Dei ut Deus seu sub ratione Dei*; Et istud: *concipitur aliquid Dei quod non est Deus, seu ut non Deus:* Hæc inquam duo toto cælo differunt, & faciunt omninò diversos sensus, eo quod scilicet ad primum sufficit, quod aliquid Dei concipiatur, taliter quod non explicet in suo conceptu ly esse Deum; tunc enim omnino verificatur quod non concipitur aliquid Dei ut Deus, sive sub ratione Dei: at verò ut verificetur secundum, seu ut concipiatur aliquid Dei, quod non est Deus, seu ut non Deus, non tantum requiritur quod ita concipiatur, ut non explicet, *ly esse Deum*, in suo conceptu; sed etiam ut neget & excludat illum à suo conceptu, cum terminetur conceptus ad non Deum seu ad aliquid, ut non Deum: Jam sic est quod ad hoc ut in Deo fiat præcisio primum illud sufficit, sive sufficit quod aliquid Dei non concipiatur ut Deus, sive sub ratione Dei, ut per se patet; è contra vero ad compositionem rationis hoc etiam secundum requiritur, sive requiritur quod

Nota.

conci-

concipiatur aliquid Dei quod non sit Deus, seu ut non Deus; *Nota.* cum sicut in reali composito est aliquid quod non est realiter ipsum, sic in composito rationis sit & debeat esse aliquid, quod secundum quod est in ratione & in conceptu non sit ipsum: Ergo multo magis requiritur ad compositionem rationis quam ad præcisionem rationis; ac proinde ex eo quod admittendum sit, ut admitti solet fieri posse in Deo præcisiones rationis, non tamen propterea sequitur posse reperiri in Deo compositionem rationis.

Vrgebis: Deus cum hoc quod est ratione compositus, adhuc concipitur ut Deus: Ergo Deo seu Dei conceptui non repugnat compositio rationis. *Probatur antecedens.* Deus cum hoc quod est ratione compositus, adhuc concipitur ut incompositus realiter: Ergo adhuc concipitur ut Deus, *Antecedens* videtur certum, cum ly esse ratione tale arguat ut plurimum non esse realiter tale. *Probatur consequentia.* Quamdiu habet Deus ex modo quo concipitur, quod condistinguatur contra ens creatum, tamdiù concipitur ut Deus: sed hoc ipso quod incompositus realiter, habet, ex quo condistinguatur contra ens creatum: ergo hoc ipso quod concipitur ut incompositus realiter, concipitur ut Deus.

Respondeo Negando antecedens, cujus negari ratio aliundè colligitur ex dictis supra: ad hujus verò probationem respondent aliqui negando antecedens: aiunt enim quod compositio rationis, quamvis sit rationis, debet tamen habere fundamentum ex parte rei cognitæ; cum non sit compositio rationis ratiocinantis, sed ratiocinatæ, & cum intellectus noster non fundet in aliqua re ad libitum conceptum generis & differentiæ, tale autem fundamentum non est aliud, inquiunt, quam compositio aliqua realis, puta essentiæ & existentiæ, ex eo scilicet quod cùm essentia importet ordinem ad existentiam, sicut potentia ad actum, inde fit quod penes majorem, vel minorem elongationem ab existentia, possunt in ipsa essentia concipi gradus magis & minùs potentiales, ex quibus qui propinquior est existentiæ, se habet respectu remotioris ut actualis ad potentialem; & ut differentialis ad genericum; & sic facit compositionem rationis: Nihilominus hac omissâ responsione, & hoc dato antecedente respondeo ego negando consequentiam, putà quod per hoc præcisè quòd Deus concipitur ut incompositus realiter adhuc concipiatur ut Deus.

Unde ad ultimum distinguo Majorem sic: Quamdiu habet

bet Deus ex modo quo concipitur, quod condistinguatur contra ens creatum, tamdiù concipitur ut Deus, si habeat quod condistinguatur contra ens creatum ex omni capite, quo condistingui debet. Concedo quod tunc concipiatur ut Deus: sin minus Nego: Pro quo dico, quod ad hoc ut ex modo quo condistinguitur Deus contra ens creatum concipiatur ut Deus, imò & sit Deus, non sufficit quod ex uno vel altero capite condistinguatur, sed de facto & revera requiritur quod ex omni capite condistinguatur, ex quo potest aut petit condistingui, tùm quia ex omni parte & ex omni capite est aliud ab ente creato & increatum ens; tùm etiam quia aliàs conciperetur ut Deus & esset Deus, etsi non esset verbi gratia omnipotens, cum per aliud ab omnipotentia, putà per immensitatem adhuc condistinguatur contra ens creatum: debet ergo Deus, ut concipiatur talis & sit talis, condistingui ab ente creato, non ex uno tantum capite, sed ex omni parte qua potest aut petit condistingui: Jam sic est quod Deus petit condistingui ab ente creato non tantum in eo quod realiter incompositus, sed etiam in eo quod est aut sit incompositus ratione, tùm ob rationes vel in solvendo, vel in probando supra adductas, quæ quidem [meo udicio] sunt efficacissimæ, aut saltem hactenus efficaces, tùm etiam quia, cum petat Deus condistingui à creaturis ex parte actualitatis, taliter quod sit actus purus, cum tamen omnis creatura utpote essentialiter perfectibilis, & minimè sua perfectio habeat aliquid potentialitatis admixtum; Et compositio rationis excludat de necessitate rationem actus puri, cum ibi pars una componens non tantum non explicet aliam in suo conceptu, sed etiam illam utpotè comparem excludat & neget, consequenter fit quod petat & possit Deus condistingui ab ente creato in eo etiam quod sit incompositus ratione: Ergo quantumvis Deus condistinguatur contra ens creatum, per hoc quod est realiter incompositus, non tamen propterea concipitur Deus, nec esset Deus si cum hoc supponatur compositus ratione.

Nota.

Objicies 2. Si non posset Deus in aliquo reponi prædicamento, esset maximè; quia est infinitus: sed huic non obstat infinitas: Ergo habet Deus posse poni in prædicamento. *Probatur Minor.* Si obstaret infinitas, obstaret maximè quia non potest Deus ut infinitus certis claudi terminis: sed claudi terminis prædicamentalibus stare potest cum Dei infinitate: Ergo huic, quod est poni in prædicamento non obstat Dei infinitas. *Probatur Minor:* Deus ut reductivè positus in præ-

dica-

dicamento ejus claudi tur terminis: sed reductivè poni in prædicamento stare potest cum Dei infinitate: Ergo & cum eâ stare potest ly claudi terminis prædicamentalibus. *Major* est certa: *Probatur Minor:* Principium reductivè ponitur in eo genere seu prædicamento, cujus est principium, ut patet in puncto & unitate, quæ reducuntur ad principium quantitatis continuæ & discretæ, cujus sunt principium: sed esse principium prædicamenti substantiæ verè stat cum Dei infinitate, imò ex ea sequitur: Ergo & reductivè poni in prædicamento stare potest cum Dei infinitate.

Respondeo Negando Minorem, cujus negati ratio abundè patet ex dictis supra præsertim in secundâ & tertiâ probatione; ad probationem vero nego similiter Minorem; ad tertium autem concessa Majori, putâ quod Deus ut reductivè positus in prædicamento ejus claudatur terminis, propterea quod si ejus transcenderet terminos, & ad alterius terminos extenderetur, non esset major & potior ratio, quare ad illud extenderetur, quam ad aliud cujus similiter attingeret terminos; concessâ igitur Majori illâ nego Minorem; ad cujus probationem, in qua sita est vis argumenti distinguo Majorem sic: Principium reductivè ponitur in genere cujus est principium, si sermo sit de principio particulari & determinato Concedo: si autem sit sermo de principio universali & supereminenti Nego; & sub eadem distinctione Minoris nego consequentiam; pro cujus pleniori intelligentiâ notandum est, quod quadrupliciter contingere potest, quod aliquid ponatur reductivè in aliquo prædicamento, vel sicut motus reducitur ad prædicamentum sui termini ad quem, vel sicut privatio ad habitum, vel sicut imperfectum ad perfectum, id est sicut potentia ad actum, vel sicut actus ad potentiam, quo pacto existentia reducitur ad prædicamentum essentiæ quam actuat; vel tandem sicut principium ad principiatum, quo pacto unitas ad quantitatem discretam, & punctum ad continuam reducitur. Certum autem & manifestum est quod ly poni in prædicamento tribus illis prioribus modis stare non potest cum Dei infinitate seu infinita perfectione, cum defectum & imperfectionem sonent & præ se ferant: ac proinde si posset Deus ex aliquo capite & modo aliquo poni in prædicamento reductivè, hoc esset tantum ex ratione principii: Jam sic est quod neque ex ratione principii potest Deus reductivè poni in aliquo prædicamento; siquidem quod ex ratione principii ad aliquod reducitur ge-

Nota.

nus, non se extendit, nec debet se extendere ultra illud; & ideo punctum ad genus quantitatis reducitur, quia taliter est ejus principium, quod ultra quantitatem continuam non se extendit, sicut nec unitas ultra quantitatem discretam, cujus est principium: Deus autem ex ratione principii ad nullum coarctatur prædicamentale genus; imò cum sit principium universale, supereminens, ac totius esse omnia excedit genera: Ergo Deus ad nullum genus, ac proinde nec ad prædicamentum substantiæ dicitur pertinere reductivè.

Instabis: Ex solutione datâ, non esset Deus in genere substantiæ per reductionem, sicut punctum est in genere quantitatis continuæ, & unitas in genere quantitatis discretæ: sed hoc est contra mentem sanctissimi præceptoris: Ergo & solutio data, *Probatur Minor*, hæc habet D. Thomas *quæst. 7. de potentia, art. 3. ad ultimum: Licet Deus non pertineat ad genus substantiæ, quasi in genere contentum, sicut species vel individuum, potest tamen dici quod sit in genere substantiæ per reductionem sicut principium, & sicut punctum est in genere quantitatis continuæ, & unitas in genere numeri.* Ergo quod non sit ita Deus in genere substantiæ per reductionem, est contra mentem sancti Doctoris.

Respondeo Negando minorem, ad cujus probationem dico, quod quamvis aliqui existiment D. Thomam in eo loco in ea fuisse sententiâ, eamque postea retractasse 1. *part. quæst. 3. art.* 5. ubi contrarium docet, melius tamen dicitur cum Cajetano ibi, utrumque locum conciliari ex Doctrina ejusdem sancti Doctoris *in 1. sentent. dist. 8. quæst. 9. art. 1. ad* 3. ubi sic habet: *Non oportet quod Deus sit in genere substantiæ sicut contentum, sed solum sicut principium habens in se omnem perfectionem generis, sicut unitas in numeris: sed tamen diversimodè, quia unitate non mensurantur nisi numeri, sed Deus est mensura non tantum substantialium perfectionum, sed & omnium quæ sunt in omnibus generibus, & ideo quamvis unitas contineatur sub uno genere determinato, non tamen Deus.* Hæc Divus Thomas, ex quibus manifestè patet, quod in loco ab adversariis citato comparaverit quidem Deum in ratione principii ad punctum & unitatem; cum hoc tamen subintellecto discrimine, quod illa sunt principia determinata unius tantum generis: Deus autem est quasi principium æquivocum & universalissimum omnium generum; & sic potius dicitur continere omnia genera, quam in aliquo illorum determinatè conti-

contineri; & hoc ultimum est quod negat D. Thomas in loco citato primæ partis, quodque nos in præsenti negamus propter Dei infinitatem.

Objicies 3. Christus absolutè loquendo ponitur in prædicamento substantiæ: sed Christus absolutè loquendo est Deus: Ergo Deus ponitur in prædicamento substantiæ. *Minor* est certissima. *Probatur Major:* Quod absolutè loquendo ponitur sub specie, non potest non poni absolutè loquendo sub genere: sed Christus absolutè loquendo ponitur sub specie humana; homo namque prædicatur de Christo prædicatione *in quid*, sicut & de cæteris hominibus: Ergo Christus absolutè loquendo ponitur in prædicamento.

Respondeo Concessâ majori & minori negando consequentiam, propterea quod variatur appellatio, proindeque sunt ibi quatuor termini. Cum enim hoc prædicatum *poni in prædicamento:* sit prædicatum secundæ intentionis significans secundam intentionem, sub qua aliquid collocatur in prædicamento, appellat per consequens supra significatum formale subjecti sive supra humanitatem Christi, non autem supra materiale sive suppositum; ac proinde variatur in dicta consequentia appellatio, in majori namque appellat supra significatum formale Christi quæ est humanitas, & in consequenti supra significatum quasi materiale; unde perinde se habet hæc consequentia, ac si in iis inferretur terminis: *Christus in quantum homo ponitur in prædicamento: sed Christus est Deus: Ergo Christus in quantum Deus ponitur in prædicamento.*

Instabis: Ideo ergo non valet ibi consequentia, quia ly *poni in prædicamento*, appellat supra significatum formale Christi, putà supra humanitatem: sed hoc est falsum: Ergo & falsum est quod non valeat præfata consequentia. *Probatur Minor:* super idem appellat hoc prædicatum *poni in prædicamento*, super quod appellat genus ejus generalissimum dum prædicatur: sed genus generalissimum prædicamenti substantiæ non appellat absolutè loquendo supra significatum formale subjecti: Ergo neque ly *poni in prædicamento*. *Major* est certa, cum de quocumque posito in prædicamento prædicetur genus generalissimum talis prædicamenti propriè absolutè & in quid. *Probatur Minor:* generalissimum prædicamenti substantiæ est substantia creata; sed hæc dum prædicatur non appellat tantum supra significatum formale subjecti; alias vera esset hæc prædicatio absolutè loquendo: *Christus est creatura seu substantia creata;* quod tamen negat Divus Thomas *tertia parte*,

parte, quæstione 16. articulo octavo. Ergo generalissimum prædicamenti substantiæ non appellat tantum supra significatum formale subjecti, dum prædicatur.

Respondeo Negando Minorem, cujus rationem insinuavi supra in responsione ad objectionem 3. dum scilicet dictum fuit quod ly *poni in prædicamento*, est prædicatum secundæ intentionis significans secundam intentionem sub qua aliquid in prædicamento collocatur. Ad probationem verò nego majorem: cujus ratio est quia fieri potest, ut de facto accidit in præsenti casu, quod genus generalissimum prædicamenti sit talis naturæ dum prædicatur, quod sit aptum natum convenire subjecto nedum ratione formæ, sed etiam ratione suppositi, ut patet in exemplo allato de substantia creata, quæ supponitur generalissimum prædicamenti substantiæ, ac proinde cum ly *poni in prædicamento* ex speciali ratione supra insinuata sit solum aptum natum convenire subjecto ratione formæ sive significati formalis, propterea fit, quod non semper super idem appellet hoc prædicatum, poni in prædicamento, super quod appellat genus ejus generalissimum, dum prædicatur.

Ad rationem autem in probationem hujus majoris adductam, putà quod de quocumque directè posito in prædicamento prædicatur genus generalissimum absolutè & sine addito, eam pariter negandam existimo, siquidem, ut jam dictum fuit, fieri potest quod in eodem prædicamento possint esse aliqua prædicata & inter illa ipsum genus generalissimum prædicamenti, quæ sint apta convenire subjecto, & ratione suppositi & ratione formæ, atque ita si alicui solum competant ratione formæ, licet id sufficiat ut illud propriè & absolutè ponatur in prædicamento, non tamen sufficit ut talia prædicata absolutè & sine addito de illo prædicentur, Unde licet de Christo absolutè prædicetur ly poni in prædicamento, non tamen de illo absolutè prædicatur generalissimum hujus prædicamenti, putà ipsa creata substantia, ut benè notat D. Thomas; Ex quo ulterius sequitur eos malè arguere & ratiocinati qui inferunt non poni Christum absolutè loquendo in prædicamento, quia generalissimum hujus prædicamenti, putà creata substantia de illo absolutè non prædicatur.

Nota.

Colliges Quod quando dixère Divus Augustinus *lib. 5. de Trinitat. cap. 9. &* 10. & Boëtius *lib. 1. de Trinitat. cap. 12.* quædam esse prædicamenta quæ propriè dicuntur de Deo, putà substantiam, relationem & actionem; Reliqua verò Metaphoricè solum, non propterea inferre licet ipsos sentiisse Deum in præ-

prædictis reponendum prædicamentis : solum enim intendunt Patres, quod deotet nomina communia analogicè Deo & creaturis , substantiæ videlicet, relationis & actionis, quæ propriè dicuntur de Deo, ad differentiam nominum qualitatis & quantitatis & aliorum prædicamentorum quæ non propriè dicuntur de Deo : non tamen intendunt quod Deus sit in prædicamento substantiæ, actionis & relationis : Quia in his ut ostendimus solum continentur creatæ substantiæ, & relationes & actiones creatæ ; non autem quæ cum illis analogicè solum conveniunt ; cùm omnia quæ in eodem collocantur prædicamento debeant univocè inter se convenire.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa præfatam difficultatem.

Respondeo Divum Thomam nostram ex instituto docuisse sententiam *primâ parte, quæstione quarta, per totum articulum quintum:* ubi inquirit ex professo utrum Deus sit in genere aliquo, seu, quod in idem redit sub aliquo prædicamentali genere collocetur : quem quidem articulum totum en tibi Amice Lector in conclusiones quinque ita redactum, ut nihil quod sit utile taceam, nihil quod sit necessarium prætermittam.

Prima : Deus non est in aliquo genere propriè ut species ; tum quia quod est in genere est posterius eo , quia genus secundum rationem est prius : at nihil est prius Deo vel re vel ratione : Ergo. Tum quia componeretur ex genere ut ex potentia, & ex differentia , ut ex actu : at in Deo non est potentia ; Ergo. Tum quia ejus genus esset ens : at ens ex Aristotele caret differentiis, subindeque nec est genus : Ergo. Tum denique quia essentia & esse Dei non essent idem, nam in essentia conveniret ratione generis, & differret in esse ratione differentiæ ; quare non est propriè in genere. Secunda : Deus non est in genere reductivè, quia quod reducitur ad genus aliquod non extenditur ultra illud , at Deus est causa totius entis : ergo. Tertia : Deus non est sub genere nec habet differentias, definitionem, nec demonstrationem nisi per effectus. Quarta : substantia ut est prædicamentum significat per se esse, quod tamen esse non sit idem cum essentia, ut est in Deo ; quare non est Deus sub hoc genere. Quinta : Deus non est mensura homogenea & proportionata, sed talis dicitur , prout res ei magis aut minus accedunt, & ideo nec est in genere mensurati.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA.

Quænam sint requisitæ conditiones, ut ponantur res in prædicamento.

RESpondeo Dicendum, quod cum prædicamentum, ut ex dictis colligitur, sit series seu coordinatio prædicabilium de aliquo, superiorum scilicet & inferiorum sub uno supremo genere, ideo tres inferuntur necessariæ conditiones, ut aliquid directè in prædicamento collocetur.

Prima est ut contineatur sub aliquo ex decem generibus supremis: ad quod necesse est primò quod sit ens reale; de ente enim rationis nullum supremum genus ex assignatis potest simpliciter enunciari seu prædicari, cum non possit dici absolutè & sine addito, chimera est substantia, sed tantum addendo, ficta; nec similiter universalitas est relatio, sed, cum hoc addito, rationis; & sic de aliis: cujus ratio est, quia ens rationis non est simpliciter ens, atque ita nec simpliciter relatio, aut quid simile ex decem generibus. Præterea autem necesse est ad hanc primam conditionem, quod sit ens reale creatum & finitum; ens enim increatum & infinitum, cum sit actus purissimus non includit aliquid potentiale, atque adeo nec continetur sub ullo genere quod potentialissimum est; cum illud ut actus purissimus non includat; de quo plura in quæstione præcedenti.

Secunda vero conditio quæ similiter ex præfata prædicamenti definitione colligitur, est quod illud quod in serie & coordinatione prædicamentali reponitur sit prædicabile & universale: ad quod etiam requiritur quod sit finitum, quod sit incomplexum, quod sit univocum, quod sit ens per se & completum. Ens enim infinitum ut est Deus habere nequit rationem universalis, nedum quia essentialis essentialissimè est singularis, sed etiam quia nequit concipi ut quid potentiale, ut dictum est, nec consequenter ut prædicabile de pluribus, quæ sint plura in nomine & ratione Dei, quod quidem ad rationem universalis requiritur, ex eo scilicet quod cum definiatur unum in multis sive relativum ad multa petit per consequens quod illa sint multa, secundum quod ab illo uno respiciuntur, & consequenter quod hæc sint multa sub illa etiam ratione quæ illud

Nota.

unum

unum participant: similiter debet esse incomplexum quid, univocum, ens per se, & ens completum; complexa namque æquivoca, analoga, entia per accidens excluduntur à ratione universalis, atque adeò & à prædicamentis, propterea quod defectum habent unitatis aut in modo significandi, vel concipiendi, aut in re ipsa significata. Excluduntur etiam partes, & entia incompleta; ex eo scilicet quod habeat universale utpote prædicabile rationem totius potentialis.

Tertia denique conditio est, quod sit universale seu prædicabile, non qualecumque, sed essentialem habens coordinationem & seriem cum aliis per modum superioris & inferioris: ad quod necesse est quod sit genus aut species; neque enim differentiæ talem habent coordinationem, sive inter se sive cum generibus aut speciebus, ut constat, & multò minus proprium & accidens. Unde tandem fit in linea recta prædicamenti sola genera & species collocari, & individuum tanquam basem & fundamentum: differentias vero, proprium & accidens solum indirectè & reductivè, in quantum limitantur ad illud, quod idem dicendum est de omnibus aliis quæ pertinent quomodocumque ad entia directè collocata, vel tanquam partes illorum, vel alio quovis modo. Notabis autem me ibi supra locutum fuisse de proprio & accidente in concreto sumptis, sub qua ratione constituunt quartum & quintum prædicabile: nam si sumantur in abstracto, ponuntur & poni debent in linea recta suorum prædicamentorum, cum ut sic possint habere rationem generum & specierum respectu suorum inferiorum.

DE PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

QUÆSTIO III.

Vtrum substantia corporea independenter à quantitate habeat partes actualiter & entitativè distinctas.

PRæmittendum primò. Pro declaratione & expositione hujus prædicamenti, quod categoria substantiæ est series generũ, specie-

ſpecierum atque individuorum, quæ ſub eodem ſupremo genere ſubſtantiæ diſponuntur. Atque iſta quidem individua vocavit Ariſtoteles *Primas ſubſtantias*, de quibus ſcilicet tanquam de ſubjectis, id eſt, inferioribus ſeu infra poſitis dicantur & prædicentur. Secundæ, ſeu univerſales ſubſtantiæ. Quo refertur commune illud ex modo loquendi Ariſtotelico ; *multa dicuntur de ſubjecto, quæ non ſunt in ſubjecto.* Nempe animal, vivens, &c. quæ ſunt ſubſtantiæ, ac proinde quæ non ſunt in ſubjecto inhæſionis dicuntur ſeu prædicantur de Petro, tanquam de inferiori ſibi ſubjecto, id eſt, infra poſito, in quo continentur; dividitur ergo ſubſtantia categorica, ſeu prout ponibilis in prædicamento, à Philoſopho, *in primam & ſecundam* , quæ quidem diviſio eſt optima , & data per membra oppoſita ; quia quamvis ſecunda ſubſtantia prædicetur de prima, ut homo vel animal de Petro ; ex quo videtur ibi membra diviſionis non opponi , cum unum prædicetur de altero ; nihilominus quia ſecunda ſubſtantia non habet ita prædicari de prima, niſi in particulari & pro materiali, non autem formaliter ut ſecunda ſubſtantia, qua de cauſa hæc eſt falſa, *prima ſubſtantia eſt ſecunda ſubſtantia*, id propterea ſufficit, ut prima & ſecunda ſubſtantia ſecundum quod formaliter ſunt membra hujus diviſionis opponantur formaliter.

Quotuplex ſit ſubſtantia categorica.

Optimè autem definiuntur ſeu deſcribuntur ab eodem Philoſopho præfatæ ſubſtantiæ ; & quidem quantum ad definitionem primæ, quia in illa ponitur per quod prima ſubſtantia differt ab omni alio : per id enim quod dicitur, *quod in ſubjecto non eſt*, differt ab accidente : & per id quod additur *quod de ſubjecto non dicitur*, differt à ſecundis ſubſtantiis, & etiam à ſubſtantiis incompletis, ut à differentiis ſubſtantialibus , quæ de ſubjecto dicuntur : ac proinde talis deſcriptio primæ ſubſtantiæ eſt optima. Optimè etiam deſcribuntur ſecundæ ſubſtantiæ, *quod ſint genera vel ſpecies, ſub quibus prima ſubſtantia continetur.* Per id enim diſtinguitur ſecunda ſubſtantia à prima , nec non & ab accidente , quia ſub nullo accidente continetur prima ſubſtantia, eſſentialiter tanquam ſub genere vel ſpecie : quare autem has ſubſtantias ſecundas potius quam primas appellaverit Ariſtoteles , cum tamen videantur eſſe magis ſubſtantiæ quam quæ dicuntur primæ, utpote quæ incorruptibiles ſunt & perpetuæ, cum ſint univerſales : reſpondeo adhuc quod cum inter alias acceptiones ſubſtantiæ teſte eodem Ariſtotele 5. *Metaph. textu* 5. ſubſtantia accipiatur & pro quidditate ſeu eſſentia rei ſubſtantialis , & etiam pro ſubſtantia ſeu ſub-

De definitionibus primæ & ſecundæ ſubſtantiæ.

subsistenti quod aliis substat, licet in prima acceptione universalia possint dici magis & prius substantiæ quam singularia, ut etiam notavit Aristoteles 8. *Metaph.* in secunda tamen acceptione quæ frequentior est, magis & prius singularia dicuntur substantiæ, quia pluribus substant quam universalia; siquidem substant ipsis etiam universalibus, & per prius substant accidentibus quam universalia, quæ ideo substant accidentibus, quia illis substant singularia: & in hac secunda acceptione accepit Aristoteles substantiam, cum singularia appellavit primas, & genera ac species secundas substantias.

Præmittendum secundò. Pro declaratione constitutivi substantiæ, quod quamvis substantia videatur dici à substando, non tamen propterea constituitur per ly substare aliis; aliud enim est ut plurimum à quo res accipit nomen, & aliud in quo ejus essentiale constitutivum consistit, & quidem in præsenti casu si constitueretur formaliter & essentialiter substantia per hoc, quod est aliis substare, deberet consequenter substantia definiri in ordine ad accidens, quia substans aliis est quasi respectivum ad ea, quibus substat: Jam sic est quod non debet definiri substantia in ordine ad accidens, ut deducitur ex Aristotele 7. *Metaph. cap. 1.* asserente quod substantia est prior definitione accidentis, hoc est independens in sua definitione ab accidentibus, ad differentiam ipsorum accidentium, quæ utpote entia incompleta in ordine ad substantiam definiuntur, & ab illa in sua definitione & essentia dependent. Non ergo consistit constitutivum substantiæ, in eo quod est aliis substare. Quare cum substantia dicat etiam subsistere in se & per se & independenter à quocumque alio, dicendum est substantiam constitui essentialiter talem, per *esse ens cui debetur esse per se*. Ita enim substantiam definit vel quasi definit [quia genera generalissima non sunt propriè definibilia] Divus Thomas *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1.* Quæ definitio consonat ei quam ipsius substantiæ tradidit Divus Damascenus *cap. 23. sua logicæ*, videlicet quod *substantia est res per se existens, nec indigens altero ad consistentiam*. Ex quibus definitionibus insinuatur, quod ly esse per se, ex multiplici acceptione, accipitur hic ut contra ponitur & distinguitur ab hoc, quod est esse in alio: & sicut esse in alio seu inhærentia in subjecto non est constitutivum accidentis, ut dicit actualem, sed aptitudinalem inhærentiam, seu cui debetur inhærentia; Ita similiter philosophandum est de con-

Per quid constituatur substantia in natura.

stitutivo substantiæ; nulli namque creato enti potest esse seu existere actuale esse essentiale. Jam verò pro quæsiti in titulo intelligentiâ supposito [ut infra probabimus] substantiam corpoream esse realiter distinctam à quantitate nec non & quod quantitas sit accidens extensivum substantiæ dico hunc esse sensum tituli, an scilicet substantia corporea independenter à quantitate actuali, & etiam si de facto [ut probabile est fieri posse] illam miraculosè non haberet, habeat distinctionem actualem partium substantialium seu entitativarum, ita ut una pars substantiæ non sit entitativè altera : an verò absque quantitate nullam prorsus habeat distinctionem actualem partium, sed solum radicalem & in potentia : quatenus scilicet est capax diversarum partium quantitatis, per quas solum ipsa substantia actualiter distinguatur in diversas partes, ad cujus celebris adeo difficultatis resolutionem.

Præmittendum ultimò, Pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii, respectu inferendæ conclusionis, puta quod *substantia corporea est ex se radix diversarum partium quantitatis*, quod *partes à quantitate habitæ conservari non possunt sine quantitate*; quod *substantia habet partes entitativè substantiales cum quantitate*. Ratio autem primi est quia substantia corporea est ex se radix ipsius quantitatis tanquam præcipuæ imò & primariæ ipsius corporis proprietatis : jam sic est quod non est quantitas sine pluralitate & distinctione partium; qua de causa divisibilitas, mensurabilitas & impenetrabilitas inter ejus annumerantur proprietates: Ergo substantia corporea habet ex se esse radix diversarum partium quantitatis, seu quod in idem redit diversæ quantitatis partialis.

Ratio verò secundi dicti est, quia partes quæ habentur à quantitate, habentur ab ea tanquam ejus effectus formalis, & tanquam à causa formali, cum habeantur ab ea ut intrinsecè communicata; jam sic est quod effectus formalis & à causa procedens formali aut quasi formali conservari non potest sine sua causa, cum sit effectus illius prout communicatæ: Ergo verissimum est & receptissimum & hoc secundum, quod scilicet partes à quantitate habitæ conservari non possunt sine quantitate.

Jam verò quantum ad tertium, puta quod substantia corporea habet partes entitativè substantiales cum quantitate, potest

potest hoc demonstrari ratiocinio. Cum destruitur substantia quæ est in pede verbi gratia, licet simul cum aliqua parte quantitatis destruatur, non destruitur tota substantia hominis ut patet; Ergo vel destruitur aliqua pars substantiæ hominis; vel solum substantia quæ erat sub quantitate pedis desinit esse sub illa absque aliquali seu partiali sui destructione; sicut cum corrumpitur pars aliqua corporis humani non corrumpitur pars aliqua animæ rationalis, quia anima non habet partes, sed solum hanc desinit informare partem quæ corrumpitur, & quam antea informabat. Jam sic est quod hoc secundum dici non potest; alias substantia corporea esset sub quantitate indivisibiliter, sicut anima in corpore: restat ergo quod cum destruitur aliqua pars integralis manus verbi gratia, vel pes, verè aliqua substantia partialis destruatur: ac proinde ante talem destructionem talis pars substantiæ erat actualiter substantialiter distincta ab altera parte substantiæ, quæ non destruitur, sicque verum est & receptissimum tertium illud, quod substantia corporea habet partes entitativè substantiales cum quantitate. His ergo tribus suppositis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit;

CONCLUSIO: *Substantia corporea antecedenter & independenter à quantitate actuali habet distinctas actualiter partes entitativas & substantiales.*

Probatur primò, Ex primo præmisso principio. *Substantia corporea est ex se radix diversarum partium quantitatis:* Ergo habet ex se & independenter à quantitate actuali partes entitativas actu distinctas. *Probatur consequentia*: esse radix diversæ quantitatis partialis arguit in substantia diversas actu partiales substantias: Ergo hoc ipso quod substantia corporea est ex se radix diversarum partium quantitatis habet & ex se, seu independenter à quantitate actuali partes entitativas actu distinctas. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: sicut se habet esse radix diversæ quantitatis totalis ad arguendum diversas actu totales substantias, sic etiam se habet esse radix diversæ quantitatis partialis ad arguendum diversas actu partiales substantias: sed esse radix diversæ quantitatis totalis arguit diversas actu totales substantias: Ergo & esse radix diversæ quantitatis partialis arguere debet in substantia diversas actu partiales substantias. *Major* patet ex ipsis terminis. *Probatur Minor*: dicitur & docetur communiter dum de principio individuationis, quod substantiæ duæ totales,

 sive

sive duorum individuorum distinguuntur actualiter, totaliter, substantialiter; Sed non per ipsam actualem quantitatem, [hæc enim utpote accidens solum tribuit illis distinctionem accidentalem:] Ergo per semetipsas distinguuntur quatenus radicaliter præhabent diversas quantitates tales: Ergo esse radix diversæ quantitatis totalis arguit diversas actu totales substantias: Ergo & esse radix diversæ quantitatis partialis arguere debet diversas actu substantias partiales: Ergo hoc ipso quod substantia est ex se radix diversarum partium quantitatis habet etiam ex se & independenter à quantitate actuali, partes entitativas actu distinctas.

Probatur secundò, Ex secundo præmisso principio. *Partes à quantitate habita conservari non possunt sine quantitate:* Ergo partes entitativæ substantiæ non habentur dependenter à quantitate. *Probatur consequentia*: possunt partes entitativæ substantiæ conservari distinctæ sine quantitate: Ergo hoc ipso quod partes à quantitate habitæ conservari non possunt sine quantitate, non habentur partes substantiæ dependenter à quantitate. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: casu quo annihilaret Deus quantitatem pedum & capitis, conservarentur partes substantiæ sine quantitate: atqui potest Deus annihilare quantitatem pedum & capitis: Ergo & possunt partes entitativæ substantiæ conservari sine quantitate. *Minor* supponitur certa, cum supponatur quantitas esse accidens realiter superadditum essentiæ ipsius substantiæ corporeæ. *Probatur Major*: casu quo annihilaret Deus quantitatem pedum & capitis, adhuc conservaretur eorum substantia: sed non conservaretur ut una indivisibilis substantia: Ergo conservaretur secundum distinctas partes sine quantitate. *Major* supponitur certa. *Probatur Minor*: pari modo conservaretur tunc eorum substantia, ac si annihilaretur eorum quantitas in iisdem ut separatis; ut per se patet: sed si annihilaretur quantitas in pede & capite separatis, non conservaretur eorum substantia ut una indivisibilis substantia, sed ut substantia multiplex ut similiter patet: Ergo casu quo annihilaret Deus quantitatem pedum & capitis, non conservaretur eorum substantia ut una indivisibilis substantia: Ergo casu quo annihilaret Deus quantitatem pedum & capitis, non conservaretur eorum substantia ut una indivisibilis substantia: Ergo casu quo annihilaret Deus quantitatem pedum & capitis, conservarentur substantiæ partes sine quantitate: Ergo possunt partes substantiæ conservari sine quantitate: Ergo ex præmisso illo principio, quod partes

partes à quantitate habitæ conservari non possunt sine quantitate, evidenter sequitur non haberi partes substantiæ entitativas à quantitate.

Probatur 3. Ex tertiò præmisso principio *Substantia habet partes entitativè substantiales cum quantitate:* Ergo & habet illas independenter à quantitate. *Probatur consequentia:* partes quas habet substantia cum quantitate, non habet illas per quantitatem: Ergo hoc ipso quod habet partes cum quantitate, habet & independenter à quantitate. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens:* per idem habentur partes, per quod habent distingui in quantum tales: Sed partes quas habet substantia non habent distingui in ratione partis per quantitatem: Ergo nec habentur in ratione partis per quantitatem. *Major* est evidens, tum quia pars hoc ipso quod talis habet distingui, tum quia distinctio sicut & unitas est passio entis, adeoque ab eodem petitur principio ly esse pars, & ly distingui in ratione partis. *Probatur Minor:* partes illæ substantiæ habent distingui etiam in ratione partis à partibus quantitatis: sed non habent à partibus quantitatis distingui per ipsam quantitatem: Ergo partes quas habet substantia non habent distingui etiam in quantum tales per quantitatem. *Major* est evidens, & supponitur certa. *Probatur Minor:* extremum distinctionis nusquam esse potest medium, seu id medio quo fit distinctio: sed ubi partes substantiæ à quantitatis partibus distinguuntur, ipsa quantitas est extremum distinctionis: Ergo non habent substantiæ partes distingui à quantitatis partibus per ipsam quantitatem: Ergo partes quas habet substantia non habent distingui etiam in ratione partis per ipsam quantitatem: Ergo partes quas habet substantia non habent esse partes per quantitatem: Ergo hoc ipso quod habet substantia partes entitativè substantiales cum quantitate, [quod est tertium præmissum principium] habet & illas independenter à quantitate.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Non potest substantia ex se & independenter à quantitate actuali habere effectum primarium quantitatis: sed habere substantiam partes entitativas est de primario effectu quantitatis actualis: Ergo non habet substantia ex se & independenter à quantitate actuali partes entitativas. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* primarius quantitatis esse-

Videantur alia fundamenta in solutionibus

effectus respectu substantiæ, vel est tribuere simpliciter partes, vel tribuere partes extensas: sed tribuere partes extensas non est de primario quantitatis effectu: Ergo de primario ejus effectu est tribuere partes simpliciter, sive entitativas. *Major* videtur certa, nec enim videtur aliud assignabile, quod esse possit effectus primarius quantitatis. *Probatur minor:* implicat reperiri quantitatem alicubi sine primario sui effectu, cum hic ipsam importet prout communicatam: sed de facto reperitur quantitas sine extensis partibus, ut patet in Corpore Christi Domini sub speciebus Sacramentalibus: Ergo tribuere partes extensas esse non potest de primario effectu quantitatis.

Respondeo Negando Minorem ad cujus probationem distinguo Minorem: sed tribuere partes extensas non est de primario quantitatis effectu, si sermo sit de partibus extensis in ordine ad locum, Concedo: Si autem sermo sit de partibus extensis in ordine ad totum, seu inter se ordinatis, Nego Minorem, & Consequentiam. Pro quo notandum est, & quidem seriò & diligenter, quod quantum ad hoc quod est habere partes, hæc tria cum ordine sunt distinguenda, adeo ut primum quod occurrit sit ly habere partes simpliciter, sive entitativas, quod quidem præcisè habetur per hoc, quod una pars non est alia: secundum verò quod sequitur est ly habere partes extensas in ordine ad totum, id est inter se ordinatas & positionem inter se habentes, ad quod non sufficit quod una pars non sit alia, sed præterea requiritur quod una pars substantiæ sit prior alia, & omnes illæ cum ordine positionis inter se comparentur ad totum: tertium denique & postremum quod sequitur est ly habere partes extensas in ordine ad locum, adeò ut non solum inter se ordinem & positionem servent, sed etiam per ordinem ad locum, per hoc scilicet quod una est localiter extra aliam.

Nota.

Jam Ergo dico effectum primarium quantitatis non esse quidem nec consistere in eo quod tribuantur partes extensæ in ordine ad locum, ut benè probat argumentum, sed hic est effectus tantummodo secundarius: Non tamen exinde sequitur, [ut male inferunt adversarii defectu annotatæ supra distinctionis triplicis] quod effectus primarius quantitatis debeat esse ly tribuere partes simpliciter, in quantum scilicet una non est entitativè alia, quia scilicet aliud occurrit quod assignari potest loco talis effectus primarii, ly scilicet

licet tribuere vel habere partes extensas in ordine ad totum sive inter se ordinatas & ordinem positionis servantes inter se.

Instabis: Gratis & sine fundamento adducitur præfata solutionis doctrina: Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*: ex præfata doctrinâ aliud est habere partes simpliciter, & aliud illas habere inter se ordinatas, sive extensas in ordine ad totum: sed gratis & sine fundamento sic distinguuntur illa duo: Ergo & sine fundamento adducitur præfata doctrina. *Probatur minor*: Si aliud esset habere partes simpliciter, & aliud illas habere inter se ordinatas comparativè ad totum, pars simpliciter ut pars non esset ordinata ad totum: Sed hoc est falsum, cum pars ut pars non sit, nisi in ordine ad totum: Ergo gratis & sine fundamento sic distinguuntur illa duo.

Respondeo Negando antecedens, imprimis namque fundamentum habet præfata doctrina in Divo Thoma, qui *opuscul.* 48. *tractatu de quantitate cap.* 4. habet, quod *positio uno modo dicitur ordo partium in loco, & sic est unum de prædicamentis, quod dicitur situs; alio modo positio est ordo partium in toto & sic positio est differentia quantitatis*: Hæc ille: Jam sic est quod ordo ille partium in toto non dicit tantum distinctionem & pluralitatem partium, qualem dicit ly habere partes simpliciter, tum quia partes ut inordinatæ adhuc plures & distinctæ sunt, quod tamen verum non esset si ordo ille partium in toto nihil plus diceret, quam ipsam distinctionem & pluralitatem partium; tum etiam quia ordo ille partium in toto, quem dicit Divus Thomas esse differentiam quantitatis est hoc ipso accidentale quid, cum tamen partes entitativæ substantiæ ita simpliciter prolatæ nihil dicant accidentale; quod quidem patet ex eo quod ita sumptæ simpliciter, habent condistingui ab ipsis partibus quantitatis, subindeque & ab omni accidentali; cum sit quantitas primum accidens ipsius substantiæ: Ergo non gratis, sed gravissimo cum fundamento adducta est præfata superioris solutionis doctrina. *Nota.*

Unde ad probationem Nego Minorem ad tertium verò Nego sequelam Majoris: aliud enim est esse partes inter se ordinatas comparativè ad totum, & aliud est esse ordinatas ad totum: esse namque ordinatas ad totum, cum hoc habeant partes, per hoc præcisè quod natæ sunt esse propter totum,

& istud habeant sive sint ordinatæ inter se; sive inordinatæ, id est sive sint in toto cum ordine, sive sint omnino confusæ, consequenter fit quod quamvis partes ut partes sint ordinatæ ad totum, non propterea sequitur, quod præcisè & simpliciter ut partes sunt debeant esse inter se ordinatæ comparativè ad totum, seu, quod in idem redit, debeant esse ordinatæ in toto.

Urgebis: Partes integrales hoc ipso quod tales, sunt inter se sive in toto ordinatæ, & non tantum ad totum: sed partes illæ entitativæ substantiæ ut sic sunt partes integrales: Ergo partes illæ entitativæ substantiæ hoc ipso quod tales sunt inter se sive in toto ordinatæ. *Probatur minor*: partes substantiæ vel sunt essentiales vel integrales; sed partes istæ entitativæ non supponunt pro partibus essentialibus ut supponitur, nec enim ullus unquam dubitavit habere substantiam partes essentiales puta materiam & formam indepedenter à quantitate: Ergo partes illæ entitativæ substantiæ sunt partes integrales.

Respondeo Concedendo Majorem, & Negando Minorem, si sermo sit, ut supponitur, esse de partibus propriè & actu integralibus: licet enim partes illæ entitativæ substantiæ sint aptæ natæ ad esse partes integrales, non tamen præcisè ut partes entitativæ sunt, sunt actu & propriè integrales, cum partes entitativæ sint per hoc præcisè quod una non est entitativè altera, quod tamen minimè sufficit ad hoc ut sint actu & propriè partes integrales: ad hoc enim requiritur præterea quod una talis sit entitatis in homine verbi gratia & prioritatis & ordinis, ut habeat esse caput, & sic de cæteris: Hoc enim de necessitate dicit pars quæ est actu & propriè integralis, Unde ad probationem Nego Majorem si nimirum sermo sit de partibus propriè & actu integralibus: Certum enim est, quod pars per hoc præcisè, quod est apta nata ad esse partem integralem non propterea per hoc præcise est actu & propriè pars integralis: Jam sic est, quod per hoc præcisè quod est apta nata ad esse partem integralem non est essentialis pars, cum pars essentialis fieri nusquam possit integralis: Ergo partes substantiæ non sunt tantum vel essentiales vel actu & propriè integrales, seu quod in idem redit, per hoc præcisè quod non sunt essentiales, non propterea sequitur, quod sint actu & propriè integrales. Unde notabis, quod quando proponi solet ab aliquibus præsens quæstio sub his terminis,

Nota.

an

an scilicet substantia partes habeat entitativas & integrales independenter à quantitate, notabis inquam, quod ibi partes integrales non sumuntur, aut certè, non debent sumi pro partibus actu & propriè integralibus, sed pro partibus quæ dicuntur integrales in quantum condistinctæ contra partes essentiales, seu, quod in idem redit pro partibus entitativis quæ sunt aptæ natæ ad esse partes integrales. *Nota*,

Objicies secundò Materia pro eo priori, in quo concipitur antecedere formam, rationem habet substantiæ corporeæ; sed pro tali priori non habet ex se sive independenter à quantitate actuali partes entitativas: Ergo substantia corporea non habet ex se & independenter à quantitate actuali partes entitativas. *Probatur minor*: omnis actualis distinctio debet ab actu aliquo provenire. Sed materia pro eo priori in quo concipitur antecedere formam nullum potest habere actum, cum forma substantialis sit primus ejus actus: Ergo pro tali priori non habet materia ex se & independenter à quantitate actuali partes actu entitativè distinctas.

Respondeo Negando Minorem, & quidem nedum, quia etiam pro tali priori verè includit existentem formam, & consequenter quantitatem naturaliter emanantem, propterea quod prioritas illa non est prioritas in quo & existentiæ, sed solum à quo & causalitatis; sed hanc præterea nego, quia pro tali priori intelligitur esse radix diversæ quantitatis partialis, seu diversarum partium quantitatis, sicut in tali priori adhuc intelliguntur materiæ aquæ & aëris, verbi gratia, esse radix diversæ quantitatis totalis, quatenus per dispositiones ab agente introductas sigillantur & fiunt capaces diversæ quantitatis totalis; ac proinde sicut ob id intelligitur una materia distincta ab altera actualiter & totaliter, ita similiter & in materia pro tali priori distingui debent etiam actualiter partes entitativæ & substantiales. Ut enim semper sistamus in paritate supra in prima probatione adducta non est potior ratio quod ad recipiendam diversam quantitatem totalem distinctam realiter ab altera quantitate totali debeat præsupponi substantia totalis distincta actualiter, totaliter ab altera substantia totali; adeò ut dici nequeat, quod distinctio actualis talium substantiarum totalium ab ipsis quantitatibus sit prout actualibus, sed necessariò ad talium quantitatum debeat præsupponi. Non inquam de hoc potior est ratio quam de isto, puta ad receptionem partium di- *Nota*,

distinctatum ejusdem quantitatis debeat præsupponi in substantia distinctio actualis substantialis entitativa partium ipsius substantiæ, adeò ut talis distinctio non sit per ipsas partes quantitatis in substantia actu receptas, sed potius per hoc quod ipsa substantia habeat esse radix hujusmodi partium.

Neganda est igitur præfata ista Minor; ad cujus probationem Nego Majorem: licet enim omnis dstinctio actualis formalis habeat pro formali principio actum aliquem, non tamen omnis distinctio actualis entitativa seu transcendentalis: talis enim cum etiam competat enti potentiali prout distinguitur ab actu, non habet per consequens, aut certè non debet habere ipsum actum pro sui principio, cum ipse etiam actus esse possit extremum distinctionis, seu à quo res dicitur distingui. Unde quantum ad præsens attinet dico ad hanc distinctionem non propterea requiri in materia aliquem actum, à quo scilicet provenire debeat distinctio illa, sed ipsamet materia per suammet entitatem, sicut sine aliquo actuali superaddito distinguitur realitèr actualiter à quolibet alio ente, ut à forma & ab ipsa quantitate; sic similiter sine aliquo actuali superaddito ad distinguendum per eamdemmet entitatem quatenus est radix diversarum partium quantitatis distinguitur in diversas partes substantiales & entitativas.

Instabis: Si in illo priori in quo concipitur materia antecedere formam & quantitatem, intelligerentur in ea distinctæ partes entitativæ, intelligeretur etiam in ea in tali priori compositio: sed compositio nulla potest in materia intelligi pro tali priori antecedenti formam: Ergo nec possunt in illa intelligi partes entitativæ. *Major* videtur certa: cum enim partes illæ non essent ab invicem divisæ & separatæ, faceret una compositionem cum altera. *Probatur Minor*: in omni compositione unum extremum comparatur ut actus, alterum verò ut potentia: sed in materia pro tali priori nihil est quod possit comparari ut actus, cum secundum se totam sit pura potentia: Ergo nulla potest intelligi compositio pro tali priori antecedenti formam.

Respondeo Negando Majorem: sicut enim partes ipsius quantitatis continuæ, quæ realiter non sunt divisæ nec separatæ non faciunt compositionem, ita ut pars una comparetur ut

actus

actus & pars altera ut potentia; propterea quod in partibus homogeneis non est major ratio quare pars una respectu alterius sit actus potius quam è converso, sed habent solum ad invicem unionem per modum continuationis: ita similiter philosophandum est in præsenti casu, & dicendum quod partes substantiæ & ipsius materiæ substantiales & entitativæ non habent facere compositionem, ita scilicet ut una comparetur ad alteram ut actus, altera verò ut potentia, sed habent solum uniri realiter substantialiter inter se ad modum partium homogenearum. Ex quo ulterius sequitur, & quod prima propria compositio materiæ est cum forma, & quod nullus in materia supponi debeat actus antecedenter ad formam.

Vrgebis: Ubicumque dantur partes unitæ non se habentes ad modum actus & potentiæ, ibi datur nexus aliquis seu modus unionis superadditus: sed nullus dari potest inter partes materiæ substantiales hujusmodi nexus: Ergo vel non dantur tales partes in materia, vel illæ non sunt unitæ, sed ad modum quantitatis discretæ una non est alteri copulata, quod est absurdum. *Major* supponitur certa: ideo namque ut uniantur partes quantitatis requiruntur (saltem secundum communiorem sententiam) inter illas aliqua indivisibilia seu puncta mediis quibus uniantur, quia non se habent partes illæ ad modum actus & potentiæ. *Probatur Minor*: si essent in materia substantiali aliqua indivisibilia per modum nexus deperderentur illa, cum ab agente naturali divideretur una pars materiæ ab altera: sed hoc dici non potest: Ergo nec dici potest quod dentur in materia nexus superadditi, mediis quibus uniantur partes. *Major* videtur certa & patet à simili in divisione quantitatis, in qua deperditur indivisibile, quo partes uniebantur. *Probatur Minor*: ad nullius actionem agentis naturalis potest desinere esse id quod est ingenerabile atque incorruptibile, cum tale quid sit solum producibile per creationem, & potens desinere esse per annihilationem: sed quidquid pertinet ad materiam videtur esse ingenerabile & incorruptibile, sicut ipsa materia; Ergo dici non potest quod indivisibilia quæ essent in materia per modum nexus deperderentur, cum ab agente naturali divideretur pars una materiæ ab altera.

Respondeo Negando minorem; in eâ enim quam defendimus sententiâ, quam quidem & ut veram habeo, ob rationum pro eâ militantium efficaciam, & menti sanctissimi Præceptoris

toris magis consonam, ut infra puto demonstrasse, in eâ inquam concedenda sunt indivisibilia substantiæ nec non & materiæ substantialis, ut mediis illis partes illius substantiales realiter uniantur; & hoc præsertim ut substantia sit subjectum omninò proportionatum quantitatis; adeò ut sicut in quantitate dantur partes & indivisibilia quantitatis, quibus uniantur; ita & in subjecto correspondeant partes substantiæ & indivisibilia substantiæ quibus uniantur. Unde ad argumentum neganda est minor, ad probationem verò concedo similiter majorem, puta quod ad separationem & divisionem partium substantiæ per actionem agentis naturalis debeant desinere esse indivisibilia illa substantialia quibus uniebantur; quin immò dicendum puto, quod etiam in utraque parte substantiali separatâ novum resultat indivisibile substantiale quo terminetur, sicut ad separationem partium quantitatis resultat in qualibet parte separata novum indivisibile quantitativum quo terminetur, ut Deo dante demonstrabimus suo loco. Hac ergo concessâ Majori Nego Minorem, quod scilicet dici non possit quod deperdantur indivisibilia illa substantialia per modum nexus ad actionem agentis naturalis dividentis & separantis.

Unde ad ultimum distinguo minorem: sed quidquid pertinet ad materiam videtur esse ingenerabile & incorruptibile, si pertineat ad materiam per modum materiæ, & ut materia Concedo: sin minus Nego: patet autem quod indivisibilia illa ad modum nexus ad materiam non pertinent, quasi ipsa sint materia & rationem habeant materiæ, adeoque nec debent propterea dici ingenerabilia & incorruptibilia. Ratio autem hujus distinctionis est, quia ingenerabilitas & incorruptibilitas ipsius materiæ ex eo provenit, quod est subjectum primum uniuscujusque, ex quo consequenter fit quod cum in generatione & corruptione debeat semper supponi sive manere subjectum, quod transeat à non esse vel ab esse formæ ad esse vel ad non esse ejusdem, ipsa per consequens materia utpote tale subjectum maneat semper ingenita & incorrupta: cum ergo non concludat hæc ratio pro illis indivisibilibus substantialibus quæ admittimus inter partes entitativas ipsius materiæ, consequenter fit talia indivisibilia adhuc educi posse ex potentia ipsius materiæ & sic ad actionem agentis naturalis posse definere esse, & alia indivisibilia substantialia in partibus materiæ separatis resultare, maxime cum sit adhuc in genere materiæ quid incompletum.

Nota.

Objicies 3. Hoc ipso quod est in substantia pluralitas partium

tium entitativarum, debet hoc ipso una esse extra aliam, si non localiter, saltem realiter: sed partem unam esse etiam realiter extra aliam à solâ provenit quantitate : Ergo & à sola provenit quantitate quod sit in substantia pluralitas partium. *Probatur Minor:* intantum habet pars una esse extra aliam realiter, inquantum non est alteri secundum se totam unita: sed hoc habet solum per quantitatem : Ergo & illud. *Probatur Minor:* ab eo habet pars una, quod non sit alteri se totâ unita, per quod habet quod solum secundum extremitatem uniatur : sed uniri solum secundum extremitatem à solâ provenit quantitate : Ergo & ab ea provenit quod pars una non sit alteri unita secundum se totam. *Probatur Minor:* ab eo habet pars quod solum secundum extremitatem sit unita, à quo provenit quod habeat extremitates : sed habere extremitates, à sola provenit quantitate : Ergo & ab eâ provenit, quod sit unita pars secundum extremitatem. *Probatur Minor:* extremitates sunt tantum tres, scilicet linea, superficies & punctum; sed hæc tria sunt de genere quantitatis : Ergo habere extremitates à solâ provenit quantitate.

Respondeo Negando Minorem, licet enim partem unam esse extra etiam realiter cum ordine & servata inter eas positione etiam in ordine ad totum sensu supra exposito, sit effectus ipsius quantitatis, immò & primarius effectus : nihilominus quod una pars sit extra aliam præcisè realiter loquendo, cum hoc præcisè dicat multiplicitatem & distinctionem in partibus, cum confusione in positione, hoc non provenit à quantitate ut scilicet actualiter habitâ, quod quidem evidenter & efficaciter meo judicio, hoc ostendo argumento, ut semper in eadem paritate sistamus. Sicut se habet totalis substantia ad totalem quantitatem, quantum ad hoc quod est esse totaliter realiter extra aliam substantiam; ita se habet pars una substantiæ ad partem quantitatis, quantum ad hoc quod est esse partialiter realiter extra aliam substantiæ partem; jam sic est, quod per hoc præcisè quod substantia est radix diversæ quantitatis totalis, est hoc ipso extra aliam substantiam totaliter realiter, nec in hoc ullatenùs pendet à quantitate actuali; ut supra diximus & ut conceditur : Ergo & per hoc præcisè quod est substantia radix diversarum partium quantitatis, [quod quidem supponitur habere ex se] habet etiam partes extra partes loquendo præcisè quoad realitatem.

Unde ad probationem Nego similiter Minorem, puta quod à solâ proveniat quantitate, quod pars una non sit alteri secundum

dum se totam, sive secundum totam sui realitatem unita; sicut enim quod una totalis substantia non sit alteri secundum totam realitatem unita, ab ipsa provenit substantia, inquantum radicaliter præhabet quantitatem, ita similiter dicendum est de substantia partiali. Ad tertium autem sicut & quartum Nego pariter Minorem. Ad ultimum autem dico tres tantum annumerari solere extremitates, lineam scilicet, superficiem, & punctum; quia illæ utpote quantitativæ sunt magis sensibiles; cum quo tamen stat quod si non sensum, sed rationem consulamus, admittere debere extremitates substantiales, sive indivisibilia substantialia, ut supra diximus, eo maximè, ut sicut in quantitate subjectatâ dantur partes & indivisibilia quantitativa quibus partes uniantur, ita & in subjecto correspondeant partes substantiæ & indivisibilia substantiæ, quibus præfatæ uniantur partes.

Instabis: Esse partes unitas quoad extremitates, est esse in toto non penetratas: sed non possunt partes independenter à quantitate actuali manere in toto non penetratæ; Ergo nec esse secundum extremitates unitæ. *Probatur Minor:* impenetrabilitas quæ est proprietas quantitatis haberi non potest sine quantitate; sed impenetrabilitas partium est proprietas quantitatis nedum quantum ad locum, sed etiam quantum ad totum, ut patet in corpore Christi Domini in Eucharistia, ub[i] partes sunt penetratæ quantum ad locum, & impenetrata quantum ad totum ratione scilicet quantitatis habitæ: Erg[o] non possunt partes independenter à quantitate actuali maner[e] in toto impenetratæ, sive non penetratæ.

Respondeo 1. Negando Majorem si propriè & in rigore lo[qu]amur de penetrabilitate & impenetrabilitate, cujus ratio es[t] quia cum penetrari aliqua duo, si propriè loquamur, nil aliud sit quam quod duo aliqua sint, & taliter sint, quod u[bi] unum, ibi & aliud; consequenter fit quod ly penetratio & im[]penetrabilitas non dicantur, nisi comparativè ad ubi, sive locum, non autem comparativè ad totum: qua de causa a[n]geli duo existentes in eodem loco non propterea dicimus [] penetrari ad invicem, propterea quod, cum non nisi æquivo[cè] & impropriissimè dicantur ubicati, & esse in loco, nec eti[am] propterea dici solent penetrati: posset ergo negari major, [] tamen omissâ Nego Minorem, si nimirum terminus ille pe[ne]trationis, sicut & impenetrati non sumantur omnino pro[priè] & rigorosè. Unde ad probationem distinguo minorem: partium impenetrabilitas est proprietas quantitatis, ned[um]

quantum ad locum, sed etiam quantum ad totum: si sermo sit de partium impenetrabilitate quæ tollit confusionem & ponit ordinem inter illas: Concedo, si autem sermo sit de impenetrabilitate quæ tollit solum unitatem & solum affert pluralitatem partium Nego, quod talis impenetrabilitas sit proprietas quantitatis, ideo namque in corpore sacratissimo Christi Domini in Eucharistia partes dicuntur impenetratæ, quia sunt ibi, nedum distinctæ prout distinctio opponitur unitati & affert pluralitatem, sed etiam prout distinctio opponitur confusioni & affert ordinem: ibi namque partes servant rationem capitis, colli &c. & consequenter ordinem servant prioris & posterioris; unde malè colligit arguens quamcumque partium impenetrabilitatem esse proprietatem quantitatis, & à sola provenire quantitate, quia impenetrabilitas partium in corpore Christi Domini in Eucharistia est proprietas sive effectus quantitatis: hæc siquidem talis est naturæ, quod excludit nedum unitatem sed etiam confusionem partium, quæque inducit nedum pluralitatem, sive distinctionem, ut pluralitatem dicit, sed etiam distinctionem ut dicit ordinem; cum tamen certum sit impenetrabilitatem quæ solum dicit pluralitatem sive distinctionem partium cum confusione & sine ordine esse aliam & alterius rationis, ut ex terminis patet.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa præsentem difficultatem.

Antequam ad quæsiti resolutionem procedam, hic unum prænotandum velim, illum scilicet terminum, *partes distincta*, sive *distinctionem partium*, posse dupliciter usurpari, uno modo secundum quod ly distinctio opponitur unitati omninò simplici, seu inquantum præcisè dicit pluralitatem: alio modo, ut opponitur confusioni; per distinctionem enim, & potest tolli unitas, quando fit multiplicitas & pluralitas; & potest tolli confusio, quando fit ordo: nam ea dicuntur confusa quæ sunt sine ordine, distincta autem, quæ ordinata & debitè collocata. Hoc autem prænotato jam pro quæsiti resolutione hoc alterum notandum est, quod ubi inquiritur an substantia corporea independenter à quantitate actuali habeat partes entitativas actu distinctas, non sumitur ibi distinctio in secundo sensu, ut scilicet opponitur confusioni partium & ordinem inducit, sed præcisè ut opponitur unitati & dicit multi-

multiplicitatem; unde quod in præsenti resolvendum superest, est an ita senserit divus Thomas, ita quod soli tribuat quantitati, quod distinctionem ponat inter partes substantiæ, prout distinctio opponitur confusioni & dicit ordinem; an vero etiam velit S. Doctor, quod distinctio partium prout opponitur unitati & dicit præcisè multiplicitatem proveniat etiam in substantiâ à quantitate, pro hujus ergo resolutione.

Dico: *Distinctio partium substantiæ quæ provenit à quantitate ut actu habita, non est*, ex D. Thoma, *nisi ea quæ opponitur confusioni partium & dicit ordinem; non autem ea quæ opponitur unitati & dicit præcisè multiplicitatem.*

Probatur 1. Ex his quæ habet sanctus Doctor, *in opuscul. 48. tractatu de quantitate cap. 4.* ubi sic discurrit: *Positio uno modo dicitur ordo partium in loco, & sic est unum de prædicamentis, quod dicitur situs: alio modo positio est ordo partium in toto, & sic positio est differentia quantitatis.* Hæc ille, ex quibus arguo sic, ea quæ à quantitate oritur partium distinctio, oritur ab eâ secundum propriam ejus differentiam: sed propria differentia quantitatis ex D. Thoma est ordo partium in toto: Ergo distinctio partium quæ provenit à quantitate, non est ex divo Thoma nisi ea quæ opponitur partium confusioni & dicit ordinem: atqui distinctio partium quæ solum opponitur unitati, dicitque solùm multiplicitatem, est alia ab ea quæ opponitur confusioni & dicit ordinem, ut patet ex terminis, & ut supponitur, & ex superioribus colligi potest: Ergo distinctio partium quæ solum opponitur unitati, dicitque solum multiplicitatem non provenit in substantia ex D. Thoma à quantitate, saltem ut actuali & actu habitâ.

Probatur 2. Ex his quæ habet idem S. Doctor *opusc. 70. q. 4. art. 2.* ubi scilicet habet quod individuatio rerum corporearum sumitur à materia prout signata quantitate, sive ut radicaliter præhabet hanc quantitatem. Unde sic arguo: quo modo est quantitas designativa & distinctiva materiæ quantum ad individuationem, sive distinctionem individuorum, pari modo est designativa & distinctiva quantum ad distinctionem partium; cum sola divisione actuali partes signatæ & distinctæ fiant plura individua, subindeque ad idem principium pertinere debeat signatio distincta partium & individuorum: atqui ex D. Thoma non est quantitas actu designativa & distinctiva materiæ quantum ad individuationem, sive distinctionem individuorum, nisi ut radicaliter habita; cum materia prout radicaliter præhabens hanc quantitatem sit apud D. Tho-

Thomam & Thomistas materia signata quantitate, quæ quidem materia ita signata est ex D. Thoma distinctiva individuorum: Ergo & ex eodem D. Thom. quantitatis partes ut radicaliter in substantia præhabitæ habent esse actu designativæ & distinctivæ substantiæ quoad partium distinctionem; atqui sunt & intelliguntur radicaliter in substantia, præhabitæ independenter à sui actuali receptione: Ergo ex divo Thoma sunt in substantia partes actu distinctæ independenter ab ipsa quantitate actu recepta.

Dices 1. Qui toties dicit & repetit substantiam corpoream remotâ quantitate manere indivisibilem, hic sentit haud dubiè nullas prorsus esse in substantia partes sine quantitate: atqui D. Thomas tum *4. contra gentes cap. 65.* tum *1. par. quæst. 50. artic. 2.* tum denique *quodlibeto 9. quæst. 4. art. 1.* hoc ita asserit, & quidem ex Philosopho: Ergo mens D. Thomæ est nullas prorsus esse in substantia partes sine quantitate.

Respondeo Distinguendo Majorem: qui toties dicit & repetit, &c. hic sentit haud dubiè nullas prorsus esse in substantia partes sine quantitate ut actualiter habitâ & receptâ, de qua procedit quæstio Nego; sine quantitate ut radicaliter præhabitâ Concedo; & concessâ Minori Distinguo similiter consequens. Quod autem sit hæc solutio juxta mentem D. Thomæ adeò ut solum intendat D. Thomas ex Aristotele in prædictis locis, quod substantia sine quantitate tam actuali, quam radicaliter in ipsa præhabita maneat omninò indivisibilis; non verò quod præhabens radicaliter quantitatem, antecedenter ad id quod actualiter habeat illam, immo etsi de facto non haberet illam, sit omninò indivisibilis, manifestè colligitur ex contextu testimoniorum quæ in argumento citantur. Etenim in primo adducto *ex 4. contra gentes* loquitur Divus Thomas de distinctione duorum individuorum materialium: sic enim habet. *Quia sola quantitas dimensiva de sui ratione habet, unde multiplicatio individuorum in eadem specie possit accidere: prima propterea radix hujusmodi multiplicationis ex dimensione esse videtur*; & paulò post: *nam remota quantitate substantia omnis indivisibilis est*. Hæc Divus Thomas in quibus manifestè loquitur de distinctione individuali & numericâ duorum individuorum substantialium intra eamdem speciem; atqui juxta veriorem & communem Thomistarum sententiam de principio distinctionis individualis non exigunt substantiæ materiales ad sui individuationem & distinctionem individualem quantitatem actualem, sed solum

quantitatem ut radicaliter in materia & substantia præhabitam: Ergo cum ibi & alibi dicit D. Thomas quod absque quantitate materia & substantia est indivisibilis, non intelligit absque quantitate actuali, sed absque quantitate etiam ut radicaliter præhabita. Unde sicut ex radicaliter præhabitâ diversâ quantitate totali distinguuntur ex D. Thoma actualiter, substantialiter, totaliter duæ substantiæ totales, ita & in eadem substantia totali ex radicaliter præhabitis diversis partibus quantitatis distinguuntur actualiter substantialiter entitativè diversæ entitates partiales substantiæ.

Dices 2. Omnes fere Thomistæ contendunt ex D. Thoma non esse in substantia distinctionem partium nisi dependenter à quantitate: Ergo saltem discedit à tam nobili Thomistarum caterva præfata nostra resolutio.

Respondeo 1. Thomistas illos qui ita contendunt non esse in substantia distinctionem partium nisi dependenter à quantitate assumere ly *distinctionem partium*, non prout opponitur unitati, & solum dicit multiplicitatem, sed prout opponitur distinctio confusioni & dicit ordinem partium, ut videre est in Joanne à S. Thoma qui hic citari solet ut nobis contrarius, quique hanc præmittit annotandam considerationem duplicem distinctionis partium, eaque annotatâ in nostro concludit sensu etiam ex ipso D. Thoma. Vel respondeo secundò, quod, quando contendunt illi Thomistæ quod non habet substantia distinctas partes absque quantitate, intelligendi sunt loqui non de quantitate actuali, sed de eadem etiam ut radicaliter habitâ, ut etiam colligi potest ex eodem Joanne à S. Thoma qui pro primo suæ sententiæ fundamento, hæc habet: *Quod si quantitas est designativa materiæ quantum ad individuationem, seu distinctionem individuorum, erit etiam & quantum ad distinctionem partium, quia sola divisione actuali partes signatæ & extensæ fiunt plura individua*: Hæc Joannes à S. Thoma: Ex quibus sequitur quod cum sentiat ille quod quantitas solum ut radicaliter præhabita sit de necessitate principium distinctionis individualis, sentiat per consequens, & intelligendus sit ita sentire de quantitate sic radicaliter præhabita quantum ad hoc quod est tribuere distinctionem partium.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA.

An rectè fuerint assignatæ à Philosopho proprietates substantiæ.

RESpondeo affirmativè. Pro quo prænotandum est sex assignasse Philosophum proprietates substantiæ, quarum prima est, *in subjecto non esse*: quo quidem intellecto de subjecto inhæsionis, communis est hæc proprietas omni substantiæ, sive incompletæ sive completæ. Secundam verò proprietatem assignat Philosophus in eo, quod *omnes substantiæ habeant convenire univocè*, omnia namque in universum prædicata prædicamenti substantiæ, sive significent naturas completas, ut genera & species, sive formas incompletas, ut differentiæ, prædicantur hæc omnia nomine & ratione de suis inferioribus, sive secundum nomen & rationem significatam, adeoque & conveniunt omnia illa univocè. Tertiam autem proprietatem ponit Philosophus in eo quod *omnis substantia videtur hoc aliquid significare*; sola tamen prima substantia significat hoc aliquid, & omnis alia substantia significat quale quid, cum omnis illa significet formam essentialem respectu primæ. Quartam assignat Philosophus proprietatem, in eo quod *substantiæ nihil est contrarium*: contraria enim, ut dicetur in postprædicamentis sunt sub eodem genere & ab eodem subjecto se mutuò expellunt; ac proinde cum substantia omnibus aliis substet, & ipsa (ut ex prima proprietate constat,) in nullo sit subjecto, non potest illa habere contrarium.

Pro quinta proprietate assignat Philosophus, *Non suscipere majus & minus*: Quia tamen substantia accepta ut substat aliis, dicitur secundum magis & minus, qua de causa dictum fuit supra primam substantiam esse sub hac ratione magis substantiam quam secundam, ideo dicendum est, quod præfata proprietas habet convenire substantiæ prout dicit essentiam cui debetur esse per se; cumque accidentia suscipiant magis & minus secundum quod magis & minus radicantur in subjecto, ideo cum substantia nulli insit subjecto, non habet per consequens unde possit suscipere magis & minus.

Ultimam denique substantiæ proprietatem assignat Philoso-

phus in eo, *Quod eadem numero sit susceptiva contrariorum*; Quæ quidem est proprietas substantiæ quarto modo, utpote omni, & soli, & semper substantiæ competens; quia ex eo quod substantia & præcipuè prima substantia est subjectum receptivum omnium accidentium, eadem per consequens numero substantia est susceptiva contrariorum; & homo v. g. & Petrus modo est albus, modo niger, modo calidus, modo frigidus, quod utique accidentibus minimè competit. Jam vero quod rectè sint assignatæ præfatæ proprietates ut probetur, juvat illas aliquibus objectionibus in contrariũ examinare. Unde

Dices 1. Adversus primam proprietatem quod & elementa & formæ substantiales sunt substantiæ: sed & elementa & formæ substantiales sunt in subjecto, elementa quidem in mixto; & formæ in materia: Ergo aliquæ substantiæ sunt in subjecto contra assertum primæ proprietatis.

Respondeo Negando minorem: elementa siquidem non sunt formaliter, sed solum virtualiter in mixto; & quamvis essent formaliter in illo, non tamen essent in illo tanquam in subjecto completo, cui inhærent, sed tanquam partes in composito quod componerent. Idem similiter dicendum de formis substantialibus: formæ namque non sunt in materia tanquam in subjecto completo & ut in subjecto inhæsionis, sed tanquam in comparte & subjecto informationis, cui dant esse, & ex quo & ipsâ formâ substantiali unum simpliciter resultat compositum. Proprium autem est substantiæ non esse in subjecto inhæsionis, ac proinde & non esse in subjecto completo, & cui non tribuat esse simpliciter.

Dices secundò, Contra secundam proprietatem, quod etiam aliis prædicamentis præter substantiam competit, quod ea quæ sunt in quolibet prædicamento, conveniant univocè, & superiora cujuslibet prædicamenti prædicentur nomine & ratione de inferioribus, ut in prædicamento qualitatis coloratum de albo, & utrumque de hoc albo. Et in prædicamento quantitatis, quantitas de continua, & utraque de linea: Non ergo id est proprium sive proprietas prædicamenti substantiæ.

Respondeo, Hoc solum convincere argumentum, quod hæc secunda proprietas non sit propria quarto modo substantiæ, non tamen probat quod non sit proprietas, seu quod non conveniat omni & semper substantiæ, non tamen soli.

Dices tertiò, Contra tertiam proprietatem, quod etiam in aliis prædicamentis dantur individua singularia, & genera & species quæ important formas essentiales talium individuorum:

rum; Ergo etiam in illis dantur aliqua, quæ significant hoc aliquid, scilicet individua, & aliqua quæ respectu talium individuorum significant quale quid, prædicta videlicet genera & species; ut dicetur in prædicamento qualitatis: hoc album significat hoc aliquid; & album & coloratum significant quale quid: Non ergo id est proprium prædicamenti substantiæ.

Respondeo, Quod etiam hæc tertia proprietas non est proprietas quarto modo ipsius prædicamenti substantiæ, sed aliis etiam competit prædicamentis, ut convincit argumentum; specialiori tamen modo competit prædicamento substantiæ; quia cum prima substantia sit & simpliciter ens, & primum & perfectissimum in genere substantiæ, illa simpliciter & magis propriè dicitur hoc aliquid: Individuum autem accidentis, sicut non est simpliciter sed secundum quid ens, ita nec simpliciter nec propriè habet dici hoc aliquid.

Dices 4. Adversus quartam proprietatem quod elementa, formæ substantiales & differentiæ substantiales sunt substantia: sed ex elementis unum est alteri contrarium, ut ignis aquæ, & aër terræ, ut docet Aristoteles 2. *de generat.* Item formæ substantiali ex eodem Philosopho 10. *physic.* contrariatur privatio; & differentiæ substantiales divisivæ ejusdem generis sibi invicem contrariantur; ut etiam colligitur ex eodem 10. *Metaph.* Ergo ly non habere contrarium esse non potest proprietas substantiæ,

Respondeo, Præmonendo & advertendo pro horum omnium solutione, quod contrarietas & contraria latè quidem sumpta accipiuntur pro quibuslibet quomodolibet oppositis & incompatibilibus, propriè autem & rigorosè pro his solum quæ sub eodem sunt genere, & ab eodem subjecto se mutuò expellunt: juxta quam secundam acceptionem dici solet quod non habere contrarium sit proprium substantiæ. Unde ad primum respondetur quod elementa nec sunt in subjecto, nec ratione sui, sed ratione suarum qualitatum se expellunt: unde nec unum propriè est alteri contrarium. Ad secundum verò de forma substantiali, ejusque privatione quod præterquam quod non sunt in subjecto, nec etiam sunt sub eodem genere, ac proinde non propriè ad invicem contrariantur. Ad tertium denique dico, quod differentiæ substantiales divisivæ generis non sunt in subjecto completo; nec idem animal potest transire de rationali in irrationale, sicut unum subjectum transit de uno contrario in alterum; & ita non sunt hujusmodi differentiæ propriè contrariæ. Imò quatenus inter illas una est

 per-

perfectior alterâ, minus perfecta quasi dicit privationem perfectionis, ut irrationale privationem rationalitatis, ac propterea differentiarum oppositio potius ad privativam reducitur quam ad contrariam.

Dices quintò, Contrà quintam proprietatem, quod & animæ intellectivæ & elementa sunt substantia: sed animæ intellectivæ suscipiunt magis & minus in sua perfectione, & una est perfectior altera ut videtur docere D.Thomas *1 part.quæst.85. art.7.* & similiter elementa habent ex Commentatore 3.*de cælo* suscipere magis & minus: ait enim quod elementa manent in mixto secundum esse remissum: Ergo non suscipere magis & minus non videtur esse proprietas substantiæ.

Respondeo dicendo, quod ly suscipere magis & minus, non est quod unum sit perfectius altero, sed quod idemmet possit intendi & remitti, sicut eademmet albedo quia magis nunc quam antea radicatur in subjecto, & sic intenditur eadem, ideò & dicitur suscipere magis & minus: Et in hoc sensu intelligitur Philosophus, cum ait proprium esse substantiæ non suscipere magis & minus; quia cum substantiæ non sint in subjecto non possunt ita intendi aut remitti. Unde quamvis anima rationalis ex se vel quia perfectius informat corpus sit perfectior altera, non tamen propterea habet suscipere magis & minus, quia non habet eadem anima modo esse perfectior, & modo imperfectior seipsâ. Ad aliud verò de elementis dico eam Commentatoris opinionem non posse sustineri, cùm revera elementa non maneant formaliter in mixto sed solum virtualiter ratione suarum qualitatum; unde & solum ratione earundem habent suscipere magis & minus, cum solum ratione illarum sint in remisso.

Dices ultimò, Contra ultimam proprietatem quæ scilicet asseritur esse proprietas quarto modo; quod suscipere contraria convenit aliis pluribus præter substantiam : Ergo id non est proprium quarto modo ipsius substantiæ. *Probatur Antecedens:* eadem numero oratio transit de vera in falsam, Petro enim v.g. sedente, hæc oratio est vera: Petrus sedet; & fit falsa eodem non sedente : similiter eademmet actio ad prædicamentum actionis pertinens transit de bona in malam moraliter, ut si illa perseverante prohibeatur ; denique ipsa etiam quantitas habet recipere accidentia contraria, non solum *ut quo*, sed etiam *ut quod* ut patet in quantitate panis & vini in Eucharistia: Ergo suscipere contraria aliis convenit præter substantiam.

Respon-

Respondeo, Negando Antecedens ; ad cujus primam probationem dico cum Aristotele in hoc capite , quod oratio non habet suscipere contraria per sui intrinsecam mutationem;sed si eadem numero oratio transit de vera in falsam , id solum fit per mutationem objecti , & per respectum ipsius orationis ad diversum objectum ; Cum tamen susceptivum contrariorum quale asserimus esse proprietatem substantiæ debeat esse per realem mutationem ipsius susceptivi. Eodem modo ad secundum respondetur , dicendo scilicet , quod cum eadem actio transit de bona in malam,id non fit cum reali mutatione ipsius actionis,sed præcisè per novum respectum ad legem jam talem actionem prohibentem. Tandem ad tertium concedo quidem suscipere quantitatem contraria,etiam ut quod, ut in exemplo allato ; quia tamen ita suscipere ut quod, hoc non habet quantitas ex natura sua,sed ex speciali modo per se existendi & divinitus communicato ; nec ei per consequens competit quod proprium est substantiæ cui scilicet competit,quod ex se & ex natura sua sit susceptiva contrariorum ut quod , sive tanquam subjectum quod.

COROLLARIUM.

Ubi de coordinatione prædicamenti substantiæ.

CUm prædicamentum nihil aliud sit, [ut dictum fuit supra] quam series & coordinatio prædicatorum superiorum & inferiorum sub uno supremo genere , ideo ad plenam hujus prædicamenti intelligentiam expedit exponere & declarare varia ejusdem genera & varias species : pro quo dico supremum hujus prædicamenti genus esse ipsam substantiam ; dividitur autem hæc in spiritualem & corporalem ; spiritualis dividitur in varias species Angelorum ; corporalis vero substantia dividitur in corruptibilem & in incorruptibilem. Incorruptibilis in varias dividitur species cœlorum & Planetarum ; corruptibilis autem dividitur in viventem & non viventem , non vivens in elementalem & mixtam,quarum quælibet varias habet species,vivens verò dividitur in animatam substantiam seu sensitivam ut animal,& inanimatam seu insensitivam ut plantam ; planta in varias dividitur species arborum & herbarum ; animal vero in rationale & irrationale, irrationale dividitur in varias species brutorum,& tandem rationale in individua , ut sunt Petrus & Paulus.

DE

DE PRÆDICAMENTO QUANTITATIS.

QUÆSTIO IV.

Vtrum quantitas sit accidens realiter distinctum à re quanta.

Per quid constituatur quantitas.

PRamittendum primò, Pro hujus prædicamenti, ejusque quidditatis intelligentiâ, quod cum petat & exigat quantitas ex propria quidditate replere locum, esse impenetrabilem, esse formaliter divisibilem, mensurabilem & similia; nec in ullo ex iis formaliter & actualiter sumpto ejus possit stare quidditas, cum quantitas corporis Christi in Eucharistia sine istis affectionibus seu connaturalibus modis formaliter & actualiter sumptis inveniatur, consequenter sit, quod ipsa quantitatis quidditas in eo poni debeat atque per id constituatur, quod est radix & fundamentum talium affectionum sive modorum connaturalium; Jam sic est quod radix unde provenit & exigitur ipsa localis extensio, divisibilitas, impenetrabilitas, mensurabilitas, & similia non aliud est quam ipsa partium ordinatio in ordine ad totum, sive ipsa partium distinctio per exclusionem confusionis ratione cujus habet in homine verbi gratia pars una quod sit caput, & collum altera, seu ratione cujus partes sunt inter se positionem habentes, adeo ut una sit in toto prior alterâ; cujus quidem ratio est, quia cum non possit aliquid locum replere, nisi per plures integrales partes; nec sit divisibile nisi in plures partes; nec sit mensurabile nisi cum similibus partibus, nec impenetrabile nisi has habendo partes extra partes, pro certo per consequens haberi debet, quod has habere partes sit horum omnium communis radix; Cumque sola partium distinctio & pluralitas cum confusione non possit esse hujusmodi radix; tum quia, ut dictum fuit in quæstione præcedenti hæc reperitur in substantia secundum se,

&

& seclusâ formaliter quantitate;tum quia distinctio partium cum confusione & secluso ordine prioritatis sive positionis in toto non habet unde exigat partem unam extra aliam extrahi,ut patet , quod tamen connaturaliter exigit præfata communis radix,ut consideranti patebit , restat per consequens quod præfata radix ac fundamentum repletionis loci sive localis extensionis, divisibilitatis, &c. sit ipsa partium ordinatio sive positio in ordine ad totum sensu supra exposito : sequitur ergo de primo ad ultimum quod præfata partium ordinatio & positio in ordine ad totum sit ipsa quantitatis quidditatis, & id per quod quidditativè constituitur ipsa quantitas. Quod quidem insinuat Divus Thomas *in Opuscul. quadragesimo octavo, tractatu de quantitate, capite 4.* ubi hæc habet : *Positio uno modo dicitur ordo partium in loco , & sic est unum de prædicamentis, quod dicitur situs : alio verò modo positio est ordo partium in toto, & sic positio est ipsa differentia quantitatis.* Hæc ille

Præmittendum secundò, Pro quæsiti & tituli declaratione, quod olim Nominales,& hodie plures Recentiores sentientes ex una parte nullas prorsus dari partes sine quantitate ; ex alia vero parte existimantes cujuscumque rei entitatem nihil aliud esse quam suas partes, dixere quantitatem non distingui realiter & ad modum accidentis realiter superadditi à re habente partes, sive substantia sit , sive accidens. Cæterum ad oppositum , quod videtur manifestari nobis in Sacratissimo Eucharistiæ Mysterio, in quo quidem manet quantitas quæ antea erat,ut oculis videmus, & palpamus manibus , nec tamen manet substantia panis,ut fides docet, respondent Nominales ipsam quantitatem substantiæ non manere,sed evanuisse cum ipsa substantia à qua erat realiter indistincta;&addunt quod ea quę manet quantitas , non est nisi quantitas qualitatum,cæterorumq; accidentium extensorum, ibiq; remanentium,quæ quidem si evanescerent, cum illis etiam eorum evanesceret quantitas , ab illis similiter realiter indistincta. Quidam vero alii volunt quidem distingui quantitatem à re quanta , sed tanquam modum non autem tanquam accidens superadditum ; unde cum modus separabilis non sit à re cujus est modus , concedit hæc opinio quod quantitas substantiæ panis in Eucharistiæ Sacramento cum ipsa substantia evanuit; additq; manere aliam quantitatem dimensivam. Hæc tamen secunda sententia vel cum superiori supra exposita con-

Exponitur difficultas propo-sita.

confunditur, vel certè ad nostram infra exponendam tandem reducitur: Quæro namque vel quantitas hæc dimensiva quæ remanet est modus alicujus accidentis ibidem permanentis, vel est res quædam sive realitas: si primum: Ergo tot erunt quantitates modales quot accidentia, quod est incidere in sententiam jam supra expositam & infra impugnandam: si autem quantitas illa dimensiva non est modus, sed res sive realitas, habemus intentum, quod scilicet quantitas est res sive accidens realiter superadditum, & non modus; subindeque & quod una tantum in pane Eucharistico reperitur quantitas dimensiva quæ est accidens ipsius substantiæ & ratione cujus cætera omnia dimensivè extenduntur; cum assignari non possit cujus alterius esse possit quantitas illa remanens quæ supponitur res & non modus.

Præmittendum ultimò. Pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *quantitas quæ communis est pluribus, realiter distinguitur ab unoquoque:* quod *duo specie distincta esse possunt æqualis quantitatis:* quod *nihil accidentale potest esse realiter idem cum re, cujus accidentale est.* Primò quidem verissimum est & receptissimum dictum illud, quod quantitas quæ communis est pluribus, adeo ut eadem quantitas plura extendat, realiter distinguitur ab unoquoque; alias si cum illis identificaretur, cum tunc plura illa essent eadem cum uno tertio, essent consequenter eadem inter se, & non realiter plura. Unde qui negant adversarii quantitatem realiter distingui à re quanta solent in unoquoque tot admittere quantitates, quot in eo reperiuntur quanta, adeo ut alia sit in pomo quantitas substantiæ, alia coloris, alia saporis, &c. nec volunt per unam communem quantitatem extendi posse plura illa.

Quantum verò ad secundum, puta quod duo specie distincta esse possunt æqualis quantitatis, præterquam quod patet ad oculum, ex eo propterea ostendi potest, quod æqualitas propriè loquendo vel est in longitudine, vel latitudine, vel corpulentia; cum ergo ex nullo repugnet capite quod equus & asinus, aër & ignis ejusdem sint longitudinis, latitudinis, aut corpulentiæ, nec etiam repugnat ea esse æqualia inter se, sive æqualis quantitatis.

Demum quantum ad tertium, puta quod nihil accidentale potest esse realiter idem cum re, cujus accidentale est, ex

eo

eò etiam evidenter colligitur, quod omne accidentale hoc ipso quod tale habet adesse vel abesse posse à re cujus accidentale est sine ejus corruptione, saltem in sui quidditate: Cum igitur idem non possit ita à seipso abesse, fieri non potest quod aliquid accidentale sit realiter idem cum re cujus accidentale est. His ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concedendis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *Quantitas est accidens distinctum realiter à re quanta.*

Probatur primò Ex primo præmisso principio: *Quantitas, quæ communis est pluribus realiter distinguitur ab unoquoque:* Ergo est quantitas distinctum realiter accidens à re quanta. *Probatur consequentia:* quantitas panis Eucharistici: verbi gratia communis est omnibus illius accidentibus: Ergo hoc ipso quod quantitas communis pluribus realiter distinguitur ab unoquoque, datur quantitas realiter distincta à re quantâ. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens,* ibi datur quantitas communis pluribus, ubi non habent plura plures quantitates: sed plura illa Eucharistici panis accidentia plures non habent quantitates: ergo quantitas Panis Eucharistici communis est omnibus illius accidentibus. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* quam negant hic adversarii. Quantitas illa de qua est sermo est ea, quam experimur resistere naturaliter penetrationi: sed plura illa accidentia Panis Eucharistici v. g. habere non possunt plures hujusmodi quantitates: Ergo nec plures habere possunt quantitates, de quibus loquimur in præsenti. *Prob. Min.* accidentia illa & ante & post consecrationem sunt in eodem loco; sed si plures haberent quantitates resistentes naturaliter penetrationi, esse non possent ante consecrationem, sive ante interventum miraculi in eodem loco; aliàs daretur naturaliter penetratio quantitatum: Ergo plura illa Eucharistici Panis accidentia plures habere non possunt quantitates naturaliter resistentes penetrationi: Ergo nec plures habere possunt quantitates, de quibus est in præsenti sermo: Ergo quantitas Panis Eucharistici, v. g. communis est omnibus illius accidentibus: Ergo hoc ipso quod quantitas communis pluribus realiter distinguitur ab unoquoque [quod est primum præmissum principium] datur hoc ipso quantitas realiter distincta à re quanta.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *Duo specie distincta esse possunt æqualis quantitatis:* Ergo non est quantitas

realiter indiſtincta à re quanta. *Probatur conſequentia*, ſi eſſet quantitas realiter indiſtincta à re quanta duo ſpecie diſtincta eſſe non poſſent æqualis quantitatis: Ergo hoc ipſo quod eſſe poſſunt æqualis quantitatis, non eſt quantitas realiter indiſtincta à re quanta. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, quæ æqualis ſunt quantitatis ſolo differunt numero in quantitate: ſed ſi quantitas eſſet indiſtincta realiter à re quantâ, non poſſent duo diſtincta ſpecie ſolo differre numero in quantitate: Ergo nec poſſent eſſe æqualis quantitatis. *Major* eſt certiſſima: quæ enim æqualis ſunt quantitatis, cum non poſſint in quantitate magis aſſimilari & convenire, in eâ conſequenter non differunt niſi minimâ differentia & diſtinctione, ſubindeque & ſolum numerica. *Probatur minor*, non poſſunt duo aliqua differre ſolo numero in eodem realiter in quo differunt ſpecie: ſed ſi quantitas eſſet indiſtincta realiter à re quanta, duo diſtincta ſpecie differrent realiter ſpecificè in quantitate, ut patet cum differrent in eo quod eſſet idem realiter cum quantitate: Ergo ſi quantitas eſſet indiſtincta realiter à re quantâ, non poſſent duo diſtincta ſpecie ſolo differre numero in quantitate: Ergo hoc ipſo, quod duo ſpecie diſtincta ſolo differunt numero in quantitate, non eſt quantitas realiter indiſtincta à re quanta: Ergo hoc ipſo quod duo ſpecie diſtincta eſſe poſſunt æqualis quantitatis non eſt quantitas realiter indiſtincta à re quanta: Ergo hoc ipſo quod duo ſpecie diſtincta eſſe poſſunt æqualis quantitatis [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] non eſt hoc ipſo quantitas indiſtincta realiter à re quanta.

Probatur tertiò Ex tertio præmiſſo principio. *Nihil accidentale poteſt eſſe realiter idem cum re, cujus accidentale eſt:* Ergo non poteſt quantitas eſſe idem realiter cum re quanta. *Probatur conſequentia*. Res hoc ipſo quod quanta dicit accidentale quid: Ergo hoc ipſo quod nihil accidentale poteſt eſſe realiter idem cum re, cujus accidentale eſt, non poteſt quantitas eſſe idem realiter cum re quanta. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*. Res hoc ipſo quod quanta dicit extenſionem partium, puta vel in loco vel in toto: ſed hujuſmodi extenſio partium eſt quid accidentale: Ergo res hoc ipſo quod quanta dicit accidentale quid, *Major* conceditur. *Probatur Minor*: extenſio partium eſt unio earundem penès extremitates tantum; aliàs ſi ſe totis unirentur, penetrativè unirentur, & non extenſivè ſive quantitativè: ſed unio partium penes extremitates tantum eſt quid accidentale: Ergo & extenſio

sio partium. *Major* est evidens, *Probatur Minor.* Unio penès extremitates tantum reperitur in duobus contiguis æquè ac in continuis: sed unio contiguorum non est nisi accidentalis, ut per se patet; cùm ex sola exurgat approximatione quæ est accidentale quid: Ergo unio penès extremitates est quid accidentale: Ergo extensio partium est quid accidentale: Ergo res hoc ipso quod quanta involvit aliquid accidentale: Ergo hoc ipso quod nihil accidentale est idem realiter cum re cujus accidentale est; (quod est tertium præmissum principium) non potest hoc ipso quantitas esse idem realiter cum re quanta.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, Si ex aliquo capite probari posset distinctio illa quantitatis à substantia, probaretur maximè ex Eucharistiæ Sacramento: Sed Eucharistiæ Sacramentum vel nihil probat quantum ad hanc distinctionem, vel nimis probat: Ergo non est dicendum distingui quantitatem à substantia sive à re quanta. *Probatur Minor*, Si probaretur ex Eucharistiæ Sacramento distinctio aliqua quantitatis à suo subjecto, probaretur distinctio separationis: sed non potest quantitas distingui separabiliter à suo subjecto: Ergo vel nihil probat Eucharistiæ Sacramentum quantum ad præfatam distinctionem, vel nimis probat. *Major* supponitur certa, *Probatur minor*, Non potest quantitas in eo poni statu, in quo ei conveniat definitio substantiæ: sed hoc ipso quod separata manet à subjecto habet quod ei competat definitio substantiæ cum hoc ipso habeat esse per se, & non in alio: Ergo non potest quantitas distingui separabiliter à suo subjecto.

Videantur alia concludentia fundamenta in solutionibus objectionum.

Respondeo Negando Minorem verè namque deducitur ex Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento realis distinctio quantitatis à suo subjecto, sive à re quanta, dicendo scilicet, quod cum in eo reperiatur communis quædam quantitas, qua scilicet extenduntur omnia accidentia panis; cum dici non possit quod quodlibet accidens suam habet indistinctam quantitatem, alias darentur naturaliter in eodem loco plures quantitates naturaliter resistentes penetrationi, evidenter sequitur ibidem reperiri quantitatem realiter distinctam à re quanta, cum non possit unum quid esse idem realiter cum pluribus ab invicem realiter distinctis, qualia sunt cætera illa accidentia panis Eucharistici. Neganda ergo est illa minor, quod scili-

cet Eucharistiæ Sacramentum vel nihil probet quantum ad præfatam quantitatis distinctionem, vel nimis probet: ad hujus verò probationem nego similiter minorem ad tertium autem in quo sita est vis argumenti nego etiam minorem, puta quod hoc ipso quod quantitas manet à subjecto separata habeat quod ei competat definitio substantiæ.

Pro quo notandum est cum Avicenna in sua Metaphysica quod cum omnia particularia uniantur & aduneentur in definitione generis vel speciei, cum tamen genus vel species non sint secundum unum esse seu existere in omnibus particularibus, propterea fit quod esse seu existere poni non possit in definitione alicujus generis aut speciei: ex qua quidem doctrina quæ verissima est colligo post D. Thomam, quod hæc non est vera definitio substantiæ: *substantia est id quod per se est:* nec vera hæc definitio accidentis: *accidens est id id quod est in alio*; sed sunt definitiones solum circumlocutio veræ descriptionis, quæ talis intelligitur: *Substantia est res cujus naturæ debetur esse per se; seu non in alio:* & *accidens est res, cujus naturæ debetur esse in alio*: Jam sic est quod quamvis quantitas separata maneat à subjecto, ex miraculo & habeat consequenter esse per se & non in alio, non tamen propterea de quantitate illa verificatur, etiam pro hoc statu separationis, quod sit res cujus naturæ debetur esse per se, cum præfatum statum non habeat ex natura & connaturaliter, sed ex miraculo: Ergo quantumvis separata maneat quantitas & distinguatur separabiliter à suo subjecto, in Eucharistiæ Sacramento, non propterea sequitur quod ei conveniat ibi definitio substantiæ, nec propterea egreditur naturam & terminos essentiales accidentis; quia adhuc natura ejus remanet talis; ut ei debeatur esse in alio.

Nota.

Instabis: Si posset quantitas separari ab omni subjecto, posset similiter & qualitas; sed non potest qualitas v. g. albedo separari ab omni subjecto: Ergo nec similiter quantitas. Major videtur evidens ex paritate rationis habet enim qualitas essentiam suam condistinctam ab essentiâ subjecti, sicut & in hoc casu quantitas, adeoque videtur esse pari modo Philosophandum de una ac de altera quoad præfatam separabilitatem. *Probmin.* Magis remotum est à natura albedinis esse sine omni subjecto, quam esse in subjecto spirituali; cum esse in subjecto spirituali qualitati conveniat spirituali, quæ est ad minus ejusdem prædicamẽti cum albedine, cum è contra esse sine omni subjecto sit substantię quę aliud constituit prędicamentum: sed non

po

potest albedo etiã divinitus esse in subjecto spirituali v.g. in Angelo: Ergo multo minus potest esse separata ab omni subjecto.

Respondeo Negando majorem, sive majoris paritatem, cujus quidem disparitatis ratio est, quia ad separationem alicujus à suo subjecto non tantùm requiritur quod habeat naturam sive essentiam specificam condistinctam à natura subjecti: sed præterea requiritur quod secundum suum esse individuale, sive secundum quod est hæc natura sit à subjecto independens, cùm pro statu separationis non tantum sit natura: sed etiam hæc natura, habeatque suum esse individuale, & non tantum esse specificum : jam sic est quod sola quantitas hoc habet, quod scilicet secundum quod est hæc natura, sive secundum esse suum individuale sit vel esse possit à subjecto independens, adeò ut à seipsa & ex seipsa habeat principium individuationis, non autem hoc habet qualitas: non ergo sequitur quod debeat posse qualitas ab omni separari subjecto, ex eo quod potest hoc quantitas.

Jam verò quod possit quãtitas esse à subjecto independens in sui individuatione, non autem qualitas, ratio est quia quantitas non solũ individuatur ex subjecto sicut alia individuantur accidentia, sed habet etiam individuari & fieri hæc & illa quantitas ex sola distinctione situs; cujus quidem signum est, quia possibile est imaginari duas lineas separatas & ejusdem speciei solo diversas numero secundum diversum situm; ac proinde cum situs sit de ratione ipsius quantitatis dimensivæ, quæ definiri solet *positionem habens*, consequenter fit quod habeat quantitas à seipsâ, & non tantum ex subjecto quod sit hæc & individua ac individualiter distincta: at vero qualitas v.g. albedo, licet secundum rationem albedinis, secundum quam speciem sortitur possit subsistere independenter à subjecto, nihilominus secundum quod est hæc individua albedo ab alia albedine individualiter distincta est omninò à subjecto dependens, cujus signum est, quia impossibile est plures imaginari albedines ejusdem speciei sine subjecto, quod sit vel substantia vel quantitas, ut consideranti patebit: non ergo pari modo Philosophandum est de quantitate atq; de qualitate quantum ad hoc quod est separari posse à subjecto: cum omni secluso subjecto adhuc stare possit hæc individua quantitas, nequaquam verò hæc numerò qualitas individualiter ab alia distincta.

Urgebis: Magis inseparabilis est quantitas à substantiâ, quam substantia ab accidente; sed fieri non potest quod substantia separata maneant ab omni accidente: Ergo multo minus

fieri

fieri poteſt quod maneat quantitas ſeparata ab omni ſubjecto ſive ſubſtantia *Major* videtur certa, *Probatur minor.* Omnis & quælibet creata ſubſtantia eſt eſſentialiter creatura; ſed creaturæ ut tali ineſt relatio ad Creatorem quæ eſt accidens: Ergo fieri non poteſt quod creata ſubſtantia ſeparata manet ab omni accidente.

Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: magis inſeparabilis eſt quantitas à ſubſtantia quam ſubſtantia ab accidente, ſi non ſit ſermo de accidente habito in ſubſtantia ex comparatione ad Deum: Concedo majorem; ſi autem ſermo ſit de accidente quod habet ſubſtantia ex comparatione ad Deum, nego majorem, & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam, pro quo notandum eſt quod cum ex hoc ipſo quod ſubſtantia creata comparatur ad Deum, conſequatur & ad ipſam & in ipſa aliquod accidens relativum, puta relatio creationis, vel ſervitutis, vel alia ſimilis ratio, ideo fit quod ſicut fieri non poteſt etiam divinitus, quod creatura non dependeat à Deo, & ad ipſum comparetur, ita nec fieri poteſt quod ſit creata ſubſtantia ſine hujuſmodi accidentibus quæ ipſam conſequuntur ex comparatione ad Deum: at exinde nihil propterea argui poteſt, nec inferri contra præfatam doctrinam de ſeparatione quantitatis à ſubſtantiâ propterea quod non habet quantitas quod ſit dependens à ſubjecto, aut quod illud exigat ex eo capite ex quo comparatur ad Deum: Jam ſic eſt, quod inſeparabilitas ſubſtantiæ ab omni accidente non ex alio provenit capite, quam ex comparatione ad Deum: Ergo quod ſit ſubſtantia inſeparabilis à relatione illa accidentali non propterea arguit, quod ſit quantitas inſeparabilis à ſubſtantia, ſive ab omni ſubjecto.

Vrgebis Iterum: Poſſibili poſito in actu nullum ſequitur impoſſibile; ſed poſita ſeparatione illa quantitatis à ſubſtantia in actu unum ſequitur impoſſibile: Ergo non eſt poſſibilis ſeparatio illa. *Probatur Minor.* Moveri aliquid localiter ſive extenſione eſt impoſſibile; ſed facta ſeparatione quantitatis à ſubſtantia hoc ſequeretur: Ergo hâc ſeparatione poſita ſequeretur impoſſibile. *Major* eſt certa; ſicut enim impoſſibile eſt eſſe aliquid in loco & eſſe inextenſum, propterea quod locus eſt eſſentialiter ſuperficies corporis ambientis, ita & impoſſibile eſt moveri tale quid localiter. *Probatur Minor.* Non poteſt aliquid localiter extenſum confluere ad punctum indiviſibile niſi per localem motum; ſed ſublata quantitate à ſubſtantia, confluerent tunc partes ſubſtantiæ inextenſæ ad punctum

ctum

ctum indivisibile, cum non amplius manerent extensæ, sive locum occuparent: Ergo sublata quantitate à substantia moveretur aliquid localiter sine extensione.

Respondeo Negando minorem primi, & secundi, & tertii argumenti, puta & quod posita in actu separatione illa quantitatis à substantia, unum propterea sequatur impossibile, & quod sequatur moveri aliquid localiter sine extensione; & quod sequatur confluere partes substantiæ ad punctum indivisibile, ideo namque sublata quantitate à substantia deberet ejus partes confluere ad punctum, quia manerent tunc localiter inextensæ, nec essent in loco occupativè: jam sic est quod ex eo quod caret aliquod corporeum locali extensione, non propterea confluit, aut confluere debet ad punctum, ut evidentissimè patet in Eucharistiæ Sacramento, ubi partes substantiæ corporis Christi non existunt extensæ in ordine ad locum, nec tamen propterea conceditur fluere illas ad punctum ob rationem supra in argumento allatam, sed ibi existunt quasi indivisibiliter, hoc est sine extensione locali: ita ut tota substantia corporis Christi sit præsens omnibus speciebus Sacramentalibus, & cuilibet parti illarum: non ergo, ex eo quod à substantia removeatur quantitas, sequitur propterea quod debeat substantia illa confluere ad punctum, nec per consequens quod aliquid moveatur tunc localiter sine locali extensione. Unde dico, quod casu quo remota esset & separata quantitas à substantia maneret tunc substãtia in universo ut pars illius, indivisibiliter quidem, quia careret ordinatione partium quæ est ratio prima divisibilitatis, non tamen ad punctum confluerer, cum per aliud dicatur existere indivisibiliter quam per reductionem ad punctum, puta per carentiam ordinationis partium, sive omnis divisibilitatis, in quo quidem etiam differret à corpore Christi in Eucharistia, quod quamvis dicatur existere quasi indivisibiliter ob carentiam extensionis localis, quæ est ratio proximior divisibilitatis, non tamen est ibi simpliciter indivisibile, cum habeat ibi cum quantitate nedum distinctionem, sed etiam ordinationem partium, quæ est ratio prima divisibilitatis.

Objicies 2. Quod realiter distinguitur ab aliquo distinguitur à fortiori & essentialiter: sed quantitas non distinguitur essentialiter à re sive à substantia quanta: Ergo neque distinguitur realiter. *Probatur Minor*. Quod ingreditur conceptum essentialem alicujus, non distinguitur ab illo essentialiter: sed quantitas ingreditur conceptum essentialem substantiæ quantæ: Ergo ab ea non distinguitur essentialiter. *Probatur minor*. Sub-

ſtantia quanta eſt ex conceptu ſuo eſſentiali ens mobile, ſed nihil eſt mobile, niſi quantum: Ergo ingreditur quantitas conceptum eſſentialem ſubſtantiæ quantæ.

Reſp. Negando minorem primi, & ſecundi argumenti: ad tertium vero diſtinguo majorem: ſic ſubſtantia quanta eſt ex conceptu ſuo eſſentiali ens mobile, ſumendo ly mobile radicaliter: concedo: ſumendo ly mobile proximè nego; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Mobile igitur ſumi poteſt vel radicaliter, & tunc ſupponit pro ipſis principiis eſſentialibus Phyſicis, puta materia & forma ex quibus tanquam ex radice provenit motus; vel ſumi poteſt mobile, prout eſt tale proximè; licet ergo ſumptũ ly mobile radicaliter ſit de cõceptu eſſentiali ſubſtantiæ corporeæ, quę propterea intelligẽda venit per ly ens mobile in quantum mobile, hoc eſt per ens habens principia eſſẽtialia ex quibus oritur motus; mobile tamẽ ſumptum proximè minimè ingreditur conceptũ eſſentialem ſubſtãtię corporeę, ſed potius ad eam ſequitur & cõſequitur per modum paſſionis & proprietatis, tũ quia eſſe proximè mobile ſupponit ens quod dicitur tale eſſe per principia eſſentialia Phyſica, materiam ſcilicet & formam eſſentialiter conſtitutum, ſicut & movens ſupponit ens quod dicitur tale prius in actu & in ſeipſo conſtitutum; tùm quia mobile mobilitate proxima habet per ſe primo reſpicere motum, & ab eo ſpecificari, quod quidem convenire non poteſt ſubſtantiæ, aliàs ſpecificaretur ſubſtantia ab accidente, ſubindeq; & eſſet incompletũ ens ſicut accidens, quod propterea dicitur incompletũ, quia reſpicit per ſe primo tanquam ſui completivum & ſpecificativũ aliquid extraneum ſive alterius prædicamenti putà ſubſtantiam; tùm denìq; quia eſſe proximè mobile ſupponit id quod dicitur tale eſſe in loco; atqui eſſe aliquid in loco ſupponit tale quid jam eſſentialiter eſſe, cum prius ſit eſſe quã alicubi eſſe: ergo mobile mobilitate proxima non eſt de conceptu eſſentiali ſubſtantię corporeę, ſed habet ſe ad modum paſſionis & proprietatis ad illam eſſentialiter conſtitutam conſequentis.

Inſtabis: Paſſio ſive proprietas non diſtinguitur eſſentialiter ab eo cujus eſt paſſio: ergo quantumvis mobilitas illa proxima & conſequenter quantitas ſit paſſio ſubſtantiæ quantæ, non propterea diſtinguitur ab ea eſſentialiter, nec conſequenter realiter. *Probatur antecedens*, ſi paſſio diſtingueretur eſſentialiter ab eo cujus eſt paſſio, ſecluſo omni eo quod non eſt idem eſſentialiter cum homine, v.g. in eo non reperiretur paſſio; ſed ſecluſo omni eo quod non eſt idem eſſentialiter cum homine

adhuc

adhuc in eo reperitur passio v.g. risibilitas: Ergo passio non distinguitur essentialiter ab eo cujus est passio: *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, secluso omni eo quod non est idem essentialiter cum homine, adhuc verum est dicere quod potest Deus dare actum ridendi homini, non autem lapidi; sed hoc verum non est nisi quia homo ille risibilis est, non autem lapis: Ergo secluso omni eo quod non est idem essentialiter cum homine, adhuc in eo reperitur passio, seu risibilitas.

Respondeo Negando antecedens in entibus namque realibus passio sive proprietas realiter distinguitur ab eo cujus est passio, sive ab essentia; cum hac realiter immultiplicata multiplicetur realiter proprietas, ut patet in anima, ejusq; propriis potentiis; ex quo ulterius infero, quod ipsum etiam risibile realiter distinguitur ab homine, cum non conveniat homini nisi mediante aliquo realiter distincto, in quantum scilicet posse ridere præsupponit posse admirari, & posse admirari præsupponit posse cognoscere sive intellectum, qui quidem est potentia realiter distincta ab anima, ut jam dictum fuit. Neque valet quod respondent hic aliqui, quod potentia nihil addit entitatis supra essentiam, sed solum addit respectum quemdam, adeò ut intellectus in quantum est potentia dicat in recto ipsammet essentiam animæ cum respectu, ex quo inferunt quod solum propter multiplicationem istorum respectuum manente unitate essentiæ, dicamus potentias multiplicari, non vero essentiam. *Nota*.

Non inquam valet hæc responsio: vel enim potentiæ dicunt nudam essentiam animæ, vel nudum & solum respectum; vel essentiam cum respectu: Primum autem dici non potest; cum concedatur multiplicari potentias, non multiplicata essentia: Sed nec secundum dici potest; cum potentia sit principium agendi; nullus autem respectus sit talis, quin imò sequitur actionem & innascitur ex actione, ut dicit Aristoteles 5. *Metaph. cap. de Relatione*. Demum nec tertium dici potest quod scilicet potentia dicat essentiam cum respectu, nam præterquam quod tunc potentia esset ens per accidens, & in nullo poneretur prædicamento, cum includeret naturas diversorum prædicamentorum, sequeretur præterea quod committeretur nugatio, quando diceretur: anima est intellectualis sive intellectiva, quia tunc sensus esset: anima est anima cum respectu ad intellectionem, quod quidem, ut patet, absurdum est.

Negandum ergo est præfatum antecedens, ad cujus probationem Nego minorem: etenim secluso omni eo, quod non est idē essentialiter cum homine, homo non est risibilis per poten-

tiam proximam & formalem ridendi, de qua est quæstio, cum hæc sola constituat risibile per modum passionis seu proprietatis, licet pro tunc dicatur risibilis per potentiam remotam, radicalem, & subjectivam ipsius risibilitatis quæ dicitur passio. Unde ad ultimum distinguo Minorem sic: sed hoc verum non est, nisi quia homo ille risibilis est non autem lapis, risibilitate quæ sit passio & proprietas Nego; nisi quia homo ille est risibilis, id est nisi quia est in potentia remota, radicali & subjectiva actus ridendi, Concedo: sed exinde nihil ad intentum, cum adhuc stet quod secluso omni eo quod non est idem essentialiter cum homine, risibilitas quæ est passio non competat homini, & sic quod non sit idem essentialiter cum homine.

Urgebis: Si conferret Deus nudæ essentiæ actum secundum passionis, v.g. nudæ essentiæ hominis actum ridendi, illa haud dubiè diceretur formaliter ridens: sed quamdiu essentia est in potentia solum remota & radicali ridendi, non autem formali & proxima, dici non potest formaliter agens seu ridens: Ergo essentia nuda hominis non est tantum in potentia remota radicali & subjectiva, sed etiam formali & proxima; proindeque & identificat sibi essentialiter risibilitatem prout est passio; & sic similiter de aliis proprietatibus.

Respondeo Negando antecedens, sicut enim si poneret Deus actum videndi in lapide, non propterea sequeretur quod lapis diceretur videns, propterea quod cum non haberet potentiam videndi, qua esset capax visionis, non haberet per consequens actum illum visionis per modum actus, sed ad modum tantummodo qualitatis: ita in proposito si poneret Deus vel actum ridendi, vel actum intelligendi in nuda essentia hominis, non propterea diceretur homo intelligens, vel aliud simile agens, propterea quod non haberet actum illum homo per modum actus sed solum ad modum qualitatis ex eo scilicet quod careret in hoc casu potentia formali & proxima, quæ est ratio suscipiendi actum in ipsa essentia tanquam in potentia subjectiva, ratio inquam suscipiendi actum per modum actus. *Nota.*

Objicies 3. Omne quod habet partes extra partes dicitur quantum: sed potest Deus facere quod habeat substantia partes extra partes per seipsam & non per aliud superadditum: Ergo potest Deus facere substantiam seipsa quantam, & non per aliud. *Probatur Minor*, hoc ipso quod habet substantia partes sine informatione quantitatis, habet hoc ipso partes extra partes per seipsam: sed potest Deus facere quod substantia non informata quantitate habeat partes extra partes: Ergo & potest

test facere quod habeat partes extra partes per seipsam. *Major* conceditur. *Probatur Minor*, casu quo servaret Deus quantitatem in manu mea, destructa ejus informatione, substantia tunc non informata quantitate servaret partes extra partes: sed potest Deus servare quantitatem in manu mea destructa ejus informatione: Ergo & potest Deus facere quod substantia non informata quantitate habeat partes extra partes. *Major* videtur certa. *Probatur Minor*. Potest servare Deus actum primum destructo actu secundo: sed quantitas se habet ad præfatam informationem manus meæ, sicut actus primus ad actum secundum: Ergo potest Deus servare quantitatem in manu mea, destructa ejus informatione.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti; sicut enim non potest Deus facere parietem esse dealbatum, quamdiu non est informatus albedine; quin imo hoc implicat in terminis cum esse dealbatum, & sic de cæteris denominationibus formalibus, nihil aliud sit, nec aliud sonet, quam esse affectum & informatum albedine: ita similiter nec potest Deus facere quod habeat substantia partes extra partes, sive esse extensam non informatâ quantitate; cum esse ita formaliter extensum sit effectus formalis, qui quidem non est nec poni potest nisi ex positione formæ sub ratione formæ, subindeque & sub ratione informantis. Unde ad tertium Nego Majorem, puta quod casu, quo destrueret Deus in manu mea actum illum informationis, quo supponitur substantia manus informari à quantitate, haberet & servaret tunc substantia manus partes extra partes; sicut enim (ut in eadem sistamus paritate) sicut inquam substantia corporis Christi Domini in Eucharistia, licet habeat præsentem sibi albedinem hostiæ, minimè tamen dicitur nec denominatur dealbata, propterea quod non habet albedinem quæ dealbat ut informantem, nec consequenter sub ratione formæ tribuentis effectum suum formalem dealbationis: sic similiter Philosophandum est in præsenti, & dicendum, quod cum extensio partium non sit minus proprius & formalis effectus quantitatis, quam dealbatio ipsius albedinis, cujus signum est, quia hujusmodi extensio involvitur in quantitatis definitione, utpote quæ definiri solet *positionem habens*, ut notavimus supra cum D. Thoma, consequenter fit quod hoc ipso quod non haberet substantia manus quantitatem ut informantem, nec etiam habere posset partes extensas seu partes extra partes.

Nota.

Instabis: Ubicumque datur extensa quantitas datur & aliquid

quid correspondens secundum totum toti quantitati, & secundum partes partibus quantitatis: sed in præfato casu servaretur in manu mea extensa quantitas: Ergo & ibi servandum esset aliquid toti correspondens quantitati secundum totum, & secundum partes partibus quantitatis; sed tale quid non aliud est assignabile in hoc casu præter ipsam substantiam manus: Ergo in præfato casu, in quo scilicet servaretur quantitas manus non informans corresponderet substantia manus toti quantitati secundum totum, & secundum partes partibus quantitatis; atqui hoc est habere partes extra partes: Ergo in præfato illo casu haberet adhuc substantia manus partes extra partes.

Respondeo Concedendo quidem majorem si loqueremur de facto; illam tamen negando loquendo, ut in præsenti loquimur de possibili, licet igitur de facto & regulariter loquendo verum sit quod ubicumque datur extensa quantitas, debeat & ibi aliquid dari quod ibi toti corespondeat quantitati secundum totum, & secundum partes partibus quantitatis; & ideo videmus quod in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento ubi annihilata est substantia panis, quæ ita correspondebat quantitati, adhuc remanent accidentia quæ media quantitate extenduntur, quæque ei modo præfato correspondent & coexistunt, nihilominus loquendo de possibili, & secundum quod a Deo fieri potest non implicat reperiri quantitatem alicubi, absque eo quod aliquid ibi reperiatur, quod ei præfato correspondeat modo; cujus ratio est quia [ut notavimus supra ex D. Thoma] hoc inter materialia proprium est peculiare quantitati, quod possit à seipsa individuari & individualiter distingui ab alia, ex eo scilicet quod ex vario situ, sive ex varia positione partium distinguitur sufficienter, quæ quidem positio est de ipsius ratione, utpote quæ definiri solet *positionem habens*; cum ergo non implicet poni alicubi quantitatem sine ullo subjecto ex ratione sua specifica ut conceditur, nec etiam ex ratione sua individuali; ideo nec etiam implicat reperiri alicubi quantitatem absque eo quod aliquid ibi reperiatur quod debeat ei correspondere & coexistere; licet verum sit & concedendum quod loquendo de facto & regulariter ubicumque reperitur quantitas, reperiatur & extensivum subjectum ei correspondens, propterea quod loquendo regulariter & de facto, non est alicubi quantitas nisi ad modum proprietatis resultantis, subindeque & nisi ad modum formæ informantis, quæ consequenter alicui tribuit effectum formalem extensi.

Qua-

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Resp. D. Thom. favere haud dubiè nostræ sententiæ, quod quidem imprimis colligo *ex 1. p. q. 28. art. 3.* ubi definit quantitatem per hoc quod sit mensura substantiæ: unde sic arguo.

Mensura simpliciter loquendo est aliud realiter à mensurato, cum inter mensuram & mensuratum detur relatio realis, tertii scilicet generis: sed definiens D. Thomas quantitatem dicit, simpliciter loquendo, quod sit mensura substantiæ: Ergo sentit D. Thomas quod quantitas qua substantia est quanta, sit aliud realiter à substantia.

Hoc idem secundò colligo, *ex quodlibeto 7. art. 10.* ubi habet sanctus Doctor *in argumento sed contra*, quod *propter hoc fieri potest quod in Sacramento altaris quantitas sit sine substantia, quia quantitas per essentiam à substantia differt*: ex quo sic arguo.

Hoc ipso quod de quantitate indefinitè sumptâ verificatur quod per essentiam differt à substantiâ, hoc ipso etiam verificatur de omni quantitate quod accidens sit realiter superadditum ipsi substantiæ: cum propositio indefinita in materia essentiali & necessaria æquivaleat universali: sed dicens Divus Thomas quod quantitas per essentiam differt à substantia, de quantitate loquitur indefinitè sumptâ: Ergo sentit Divus Thomas quod omnis quantitas sit accidens realiter superadditum ipsi substantiæ.

Tertio hoc idem colligo hoc argumento: idem haud dubiè sentit Divus Thomas de distinctione quantitatis à substantia, quod sentiit Aristoteles: sed sentiit Aristoteles distingui quantitatem à substantiâ entitativè & plusquam formaliter; cum 1. *physic. textu 15. & textu 13.* absolutè & sine addito asserat substantiam & quantitatem esse duo & multa: Ergo & hoc idem sentit D. Thomas Aristotelis fidelissimus assecla, sed & mirificus illustrator, de quo scilicet meritò canitur.

Unus sol toti pandit sua lumina mundo:
Solem aufer, mundus mox tenebrosus erit.
Unus Aristotelis monstrat penetralia Thomas:
Thomam aufer, mutus restat Aristoteles.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA
DE QUANTITATE CONTINUA.

An scilicet divisio quantitatis continuæ in lineam, superficiem, & corpus sit essentialis, seu generis in species, & adæquata.

RESpondeo Affirmativè, adeo ut linea, superficies, & corpus sint & veræ & omnes species quantitatis continuæ. Ratio autem primæ partis est, quia diversæ in genere quantitatis proprietates non nisi ex diversis resultant speciebus: jam sic est, quod linea, superficies & corpus diversas habent in ratione quantitatis proprietates; linea namque est brevis aut longa; superficies lata aut stricta; corpus vero altum & profundum: Ergo linea superficies & corpus debent diversas essentialiter species constituere in genere quantitatis, an vero species illæ sint atomæ seu infimæ, vel subalternæ & in alias divisibiles species, dicendum puto eas esse species atomas. Quamvis enim quælibet illarum sit divisibilis, hoc tamen solum est ratione figuræ, ut linea in rectam & curvam; superficies in quadratam & circularem; & corpus in curvum & pyramidale: Unde cum figura sit accidens quantitatis ad genus qualitatis, non quantitatis pertinens, tales propterea divisiones non erunt essentiales, sed potius subjecti in accidentia.

Jam vero quod præfata divisio in lineam, superficiem & corpus sit nedum essentialis, sed etiam adæquata, adeo ut omnes species quantitatis continuæ ad tres præfatas reducantur, ex hoc ostenditur, quod cum ratio formalis & essentialis quantitatis in extensione partium consistat, solum etiam penes diversam partium extensionem debent species quantitatis essentialiter cōstitui & distingui: jam sic est, quod locus, motus, & tempus de quibus solum dubitari potest non addunt specialem extensionem, sed habet locus eamdem formaliter extensionem superficiei; motus vero non habet extensionem formaliter distinctam ab extensione spatii, sicut nec tempus: non ergo cōstituunt illa tria diversas quātitatis species ab enumeratis. Quod autem locus eamdem prorsus habeat extensionem quam habet super-

superficies, ex eo patet, quod cum non contineat locatum, nisi ratione suæ superficiei concavæ, propterea fit quod accidentalis sit ei formaliter, ut locus est extensio seu divisibilitas quam habet secundum profunditatem ut corpus est, & solum ei conveniat formaliter ut loco extensio & divisibilitas secundum longitudinem & latitudinem, quæ est propria extensio superficiei, similiter ideo tempus extensum est & quantum, quia quantus & extensus est motus cujus est numerus; & ideo motus est extensus & quantus, quia quantum & extensum est spatium, quod per motum pertransitur: Ergo verum quod prius.

Dices 1. Contra primam partem quæsiti, quod cum impenetrabilitas sit passio quantitatis, nulla potest esse quantitas continua permanens quæ non sit cum altera quantitate impenetrabilis: jam sic est, quod si duo corpora perfectè plana conjungantur, superficies terminativæ utriusque corporis ad invicem penetrantur, cum se tangant secundum se totas; & idem dic de linea continuante partes superficiei: non ergo linea & superficies sunt veræ species quantitatis continuæ permanentis.

Respondeo, Quod cum superficies sit divisibilis secundum latitudinem, & ea solum ratione sit quantitas & quanta; sitque indivisibilis secundum profunditatem, & secundum eam rationem non sit quantitas, sed solum continuativum vel terminativum corporis quanti: inde fit, quod obstaret quidem quantitati superficiei, & illius extensioni & divisibilitati, si illius partes secundum latitudinem secundum quam est quanta & extensa ad invicem penetrarentur, & secundum se totas se tangerent, & idem de linea si priores partes ipsius lineæ tangerent secundum se totas posteriores ejusdem partes, quia id esset non habere partes nec extensionem aliquam etiam secundum longitudinem: earum tamen quantitati minimè obstat, quod tangat linea secundum se totam partes superficiei quas continuat, & superficies unius corporis plani superficiem alterius, cum ex ea parte qua ita se tangunt, extensæ non sint & quantæ, sed indivisibiles, adeoque & cum hoc stet quod ex ea parte qua extensæ sunt & divisibiles se minimè tangant secundum se totas.

Vrgebis: In quantitate non solum aliquæ illius partes non debent penetrari cum aliis ejusdem quantitatis partibus, sed nec una quantitas debet penetrari cum altera realiter & numero distincta, ut patet in corpore quanto: sed una superficies non potest aliam superficiem, sive superficiem alterius corporis

 tan-

tangere, quin eam tangat secundum se totam, subindeque & cum ea penetretur: Ergo quantumvis partes superficiei non ita se tangant, adhuc tamen id obstat quantitati superficiei.

Respondeo, Negando Majorem, si sermo sit de omni quantitate, sive de quantitate quæ secundum aliquam tantum rationem est divisibilis; ei enim sufficit quod eâ ratione qua divisibilis est & extensa, partes illius secundum quas est divisibi is, non se tangant ad invicem secundum se totas. Unde est hoc speciale corpori quanto, quia scilicet est species quantitatis ex omni parte divisibilis, & secundum nullam dimensionem indivisibilis, hoc inquam est ei speciale quod non solum partes illius ad invicem non penetrentur, sed quod nec ipsum corpus cum altero corpore penetrari possit, aut illud secundum se totum tangere, quia, ut jam dictum fuit, sub nulla ratione talia corpora sunt indivisibilia, ut possint secundum se tota ad invicem se tangere.

Dices 2. Contra secundam partem ejusdem quæsiti quantum ad id quod spectat ad locum, quod non possunt multiplicari & diversificari proprietates, non multiplicatâ & diversificatâ essentia specificè; sed ratio mensuræ quæ est proprietas quantitatis multiplicatur & diversificatur in loco & superficie: Ergo locus & superficies sunt alia & alia species quantitatis. *Probatur Minor;* superficies ex sua ratione formali est tantum mensura subjecti in quo est, subindeque & intrinseca; sed locus sub ratione formali loci addit esse mensuram extrinsecam locati, cum formaliter ut talis addat supra superficiem continere locatum: Ergo vera Minor.

Respondeo, Quod licet proprietates, quæ sine respectu & ordine ad aliquid extrinsecum alicui naturæ conveniunt, non possint specificè multiplicari non multiplicatâ & diversificatâ essentiâ; proprietates tamen quæ alicui competunt cum ordine ad aliquid extrinsecum possunt multiplicari immultiplicatâ formaliter quoad intrinseca & essentialia ejus essentia; cum hujusmodi proprietates non tam commensurentur ei cui competunt, quam extrinseco, in ordine ad quod ei competunt: quia ergo in loco esse mensuram extrinsecam corporis contenti seu locati est aliquid competens superficiei, prout ordinem dicit ad extrinsecum, puta locatum, bene potest invariat[â] essentia quantitatis, & extensione partium, competere diver[sa] ratio mensuræ ipsi superficiei sumptæ & secundum se, & se[-] cundum quod continet locatum; & ideo Aristoteles quia i[n] *hoc capite de quantitate*, de ea loquitur ut est mensura, etia[m] cu[m]

enumeravit locum ut distinctam speciem à superficie: quia vero *in 5. libro Metaphysicæ*. de quantitate loquitur secundum sua essentialia, & consequenter in ratione extensionis, cum locus, ut diximus non habeat distinctam extensionem ab extensione superficiei, nec etiam ibi locum constituit Aristoteles speciem quantitatis distinctam à superficie.

Dices 3. Contra eamdem secundam quæsiti partem, quantum ad id quod spectat ad tempus & motum extensio quantitatis continuæ in partibus, continuatione, & continuativis earum consistit: sed motus & tempus distinctas formaliter habent partes, continuationem & continuativa ab iis quæ habet spatium seu corpus quod per motum pertransitur: Ergo & distincta constituere debent speciem quantitatis. *Probatur Minor*: partes corporis sunt permanentes, & ejus continuativa sunt superficies similiter permanentes: atqui partes motus & temporis sunt transeuntes; & continuativa motus sunt mutata esse, continuativa autem temporis sunt instantia, quæ etiam transeunt; Ergo distinctæ sunt partes sicut & distincta continuativa motus & temporis à partibus ipsius corporis, & ab ejus continuativis.

Respondeo, Hoc quidem convincere argumentum, quod partes & continuativa motus & temporis distinguantur materialiter & entitativè à partibus & continuativis corporis; cum his realiter permanentibus, illa realiter transeant & desinant esse: nihilominus distinctio hæc non propterea facit distinctionem formalem extensionis, cujus ratio est, quia hac stante distinctione adhuc verificatur, quod tantam & non majorem extensionem transeuntem habet motus & tempus, quantam habet extensionem permanentem corpus super quod fit motus; adeo ut extensio & magnitudo motus & consequenter temporis extensioni & magnitudini corporis commensuretur super quod fit, & insuper utraque sit extensio continua, partium videlicet quæ copulantur aliquo termino communi: dicendum ergo, quod differentia illa partium quantitatis & illius extensionis penes permanentiam vel non permanentiam est omnino materialis & accidentalis quantitati; ac proinde quod insufficiens est ad constituendum species essentialiter distinctas quantitatis. Unde divisio illa quantitatis continuæ in permanentem & transeuntem non est generis in species, sed est subjecti in accidentia.

Vrgebis: Non solum datur motus localis qui sit propriè motus & extensus, & cujus tempus sit numerus secundum prius & poste-

posterius.sed alii motus ut alteratio &c. tales sunt : atqui isti motus habere non possunt extensionem corporis super quod fiat motus, nec esse quanta per accidens sive per aliud, puta per quantitatem & extensionem corporis super quod fiat motus : Ergo tales saltem motus constituent specialem & distinctam speciem quantitatis.

Respondeo. Negando Minorem; omnis namque motus successivus qui quidem solus quantus est & extensus, non habet esse quantus nisi per accidens, id est per aliud diversimode tamen; nam motus localis de quo ut magis noto locuti sunt Aristoteles & D.Thom. quantus est, ut dictum fuit supra & extensus, quia est quantum & extensum spatium per quod fit talis motus, ac proinde nec habet ut dicimus extensionem formaliter distinctam ab illo, alii vero motus, ut motus alterationis & augmentationis non habent esse quanti & extensi, nisi propter quantitatem, extensionem & latitudinem suorum terminorum, ac per consequens nec habent extensionem formaliter distinctam ab eorumdem extensione: quod si aliquis detur motus successivus ad acquisitionem termini indivisibilis, id erit propter resistentiam contrarii successivè in tempore vincendam; atque ita extensio talis motus commensurabitur extensioni contrarii resistentis, non autem indivisibilitati termini; sicque in omni assignabili motu assignabile etiam est aliquid ad cujus extensionem dicatur & sit ille extensus seu quantus.

QUÆSTIO V.

An quantitas discreta, sive numerus sit unum ens per se.

PRæmittendum primò. Distingui communiter numerum in numerum numerantem, & numerum numeratum. Numerus numerans dicitur ille qui est ratio numerandi in intellectu, ut duo, tria, quatuor &c. quæ quidem sunt rationes quibus omnem materiam numeramus : hic tamen numerus unitatem non habet nisi rationis, cum non sit nisi in ratione seu intellectu numerante; numerus vero numeratus sunt res ipsæ.

seu

seu materia quæ isti numerationi subjicitur; & potest iste etiam numerus dupliciter sumi, vel generaliter pro omni multitudine quomodocumque numerabili ab intellectu, subindeque & pro ea etiam quæ in rebus spiritualibus invenitur: vel sumi potest specialiter pro multitudine quantitativa, quæ quidem ratione quantitatis specialem habet rationem mensuræ in numerando, ut explicabimus, quæque ex speciali etiam ratione est numerus; cum alia è contra non tam sint numerus quam multitudo, propterea quod quæ faciunt numerum propriè & in rigore loquendo sòlo differunt numero, cum talia ex eo quod faciunt numerum differant, nec nisi numero differre possint ex eo præcisè quod faciunt numerum; ac proinde cum sola quantitas hoc per se habeat, quod faciat differre numericè, adeo ut multitudo quæ oritur ex divisione quantitatis continuæ non sit conflata nisi ex solo numero differentibus, ideo talis multitudo quantitativa ex speciali ratione dicitur numerus, subindeque meritò apposui in titulo an quantitas discreta, sive numerus, confundens quantitatem discretam cum ipso numero, utpote quæ specialiter habet quod sit numerus, cum tamen alia non tam sint numerus quam multitudo numerata. Porrò de hoc tantum quantitativo numero procedit in præsenti & procedere solet quæstio, dum scilicet de numero inquiritur, utrum sit unum ens per se; pro certo namque supponitur quod multitudo numerata aliorum quæ non sunt quantitate differentia, puta essentiarum, angelorum, spiritualium &c. dici non possit unum ens per se; talis namque multitudo vel est sine ordine aliquo, & sic cum speciem non sumat ab aliquo uno, sed sit præcisè collectio plurium non potest per consequens dici unum per se, vel dicit ordinem quemdam, qualem dicit exercitus, civitas; & tunc cum ordo ille sit ordo tantum relativus, est adhuc insufficiens ad hanc constituendam multitudinem unum per se, cum relatio formaliter versetur inter plura extrema ut plura sunt, & unitas ordinis sumatur potius à pluralitate, quando tantum est relativa, de numero ergo quantitativo procedere debet quæsitum, cum de eo inquiritur an sit unum per se; nec immerito: unitas enim ordinis quantitativi seu extensionis in numero non est solum unitas relationis, sed distinctio quantitatum divisarum sub una ultima unitate, sub qua cæteræ ordinantur & clauduntur, prout inducentes in ipsa extensione seu quantitate discreta novum quemdam mensurandi modum, quo scilicet mensurari potest quantitas continua per ipsam ennumerationem partium quantitatis discretæ,

quæ

quæ quidem mensuræ & mensurandi ratio non videtur stare posse in ente quod non est unum per se, ut ostendemus infra.

Præmittendum 2. Pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *per se reponi sub certo genere non convenit nisi enti per se*; quod *unum per se ad differentiam entis per accidens sumit speciem ab uno*; quod *una in re & à parte rei forma esse non potest nisi unius per se*. Primò quidem receptissima est prima illa propositio, quod scilicet per se reponi sub certo genere non conveniat nisi enti per se: cujus ratio est quia cum non reponatur aliquid sub certo genere nisi ratione certæ cujusdam differentiæ contrahentis & determinantis genus ad tale quid, consequenter fit, quod hoc ipso quod aliquid per se reponitur sub certo genere, habet etiam per se & certum genus & certam differentiam: jam sic est, quod hoc non convenit nisi enti per se, cum hoc ipso sit ens verè definibile & consequenter habens essentiam verè unam, quæ verè scibilis est utpote medium ad demonstrandas proprietates quas tunc verè habet: verùm ergo & receptissimum primum illud dictum, puta quod per se reponi sub certo genere non conveniat nisi enti per se. Jam verò quantum ad secundum, puta quod unum per se ad differentiam entis per accidens speciem sumat ab uno, insinuat & explicat Divus Thomas 7. *Metaph. lect. ultimâ* super textum 60. ubi rationem reddens distinguendi inter compositionem ex multis quæ facit unum simpliciter, & quæ facit unum secundum quid; *hujus*, inquit, *diversitatis ratio est: quia compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo uno, quod est vel forma, ut patet in corpore mixto, vel compositio ut patet in domo, vel ordo ut patet in syllaba & numero, & tunc oportet quod totum compositum sit unum simpliciter: quandoque verò compositum speciem sortitur ab ipsa multitudine partium collectarum ut patet in acervo, populo & aliis hujusmodi: & in talibus totum compositum non est unum simpliciter seu per se, sed solum secundum quid.* Hæc Divus Thom. ex quibus evidenter colligitur ens per se ad differentiam entis per accidens speciem sortiri ab uno.

Tandem quod receptissimum sit & verissimum tertium illud, puta quod una in re & à parte rei forma esse non possit nisi unius per se, patet evidenter, tum ex propositione superiori, quia scilicet tunc illud ad quod talis pertinet forma speciem sortitur ab uno, nimirum ab una forma, tum etiam quia

cum

cum forma quæ talis est in re & à parte rei habeat etiam in re suum effectum formalem, & effectus formalis unius formæ non sit nisi unum esse formale, ut patet ex terminis, propterea fit quod illud, quod habet in re & à parte rei formam unam, unum etiam tantum habeat esse formale & essentiale, subindeque & unius sit essentiæ, & unum ens per se. Qua de causa qui ibi negant numerum esse unum per se, solent etiam negare habere numerum formam in re & à parte rei, sed hanc pura ultimam unitatem habere solum numerum ut assignabilem ab intellectu. His ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concessis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione fit

CONCLUSIO: *Quantitas discreta, sive quantitativus numerus est unum ens per se.*

Probatur primò, Ex primo præmisso principio. *Quod per se reponitur sub certo genere est unum ens per se*; Ergo quantitativus numerus, non potest non esse unum per se. *Probatur consequentia*: numerus quantitativus per se reponitur sub genere quantitatis; Ergo hoc ipso quod id quod ita sub certo reponitur genere est ens per se, non potest quantitativus numerus non esse unum ens per se. *Probatur antecedens*: quantitativus numerus, ut commensurabilis est quantitati continuæ, reponitur hoc ipso sub quantitatis genere; sed per se habet quantitativus numerus, quod sit commensurabilis quantitati continuæ: Ergo per se reponitur sub quantitatis genere. *Major* est evidens: nec enim potest esse commensuratio nisi inter ea, quæ sunt ad minus ejusdem generis in eo in quo commensurantur. *Probatur Minor*: exhaurire & adæquare numerum ipsam quantitatem continuam per ipsam partium numerationem, est esse numerum commensurabilem ipsi quantitati continuæ: sed habet per se quantitativus numerus exhaurire & adæquare quantitatem continuam per ipsam partium numerationem: Ergo & per se habet quod sit commensurabilis quantitati continuæ. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: ideo habet numerus exhaurire per ipsam partium numerationem quantitatem continuam, quia habet causari ex continui divisione sed habet per se & per se exigit quantitativus numerus causari ex continui divisione, cum in hoc dicatur quantitativus numerus: Ergo & habet per se quantitativus numerus exhaurire & adæquare per partium numerationem quantitatem continuam: Ergo per se habet quantitativus numerus quod sit commensurabilis quantitati continuæ:

Ergo

Ergo per se reponitur quantitativus numerus sub quantitatis genere: Ergo hoc ipso quod id, quod per se reponitur sub certo genere est unum ens per se [quod est primum præmissum principium,] est hoc ipso quantitativus numerus unum per se.

Probatur secundò, Ex secundo præmisso principio, *Vnum per se ad differentiam entis per accidens speciem sumit ab uno*: Ergo quantitativus numerus est unum ens per se. *Probatur consequentia*: id à quo speciem sumit quantitativus numerus est simpliciter unum; Ergo hoc ipso quod unum per se speciem sumit ab uno, est hoc ipso quantitativus numerus unum per se. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: unitas ordinis quantitativa est unitas simpliciter; sed speciem sumit quantitativus numerus ab unitate ordinis quantitativa; Ergo id à quo speciem sumit quantitativus numerus est unum simpliciter. Minor est evidens: non enim exurgit quantitativus numerus, nisi ex pluribus unitatibus quantitativis prout clauduntur & ordinantur sub una ultima unitate, & induunt simul & semel specialem rationem mensuræ, in quo consistit unitas ordinis quantitativa. *Probatur Major*: ratio mensuræ, quantumcumque mensuret modo discreto est una simpliciter; sed unitas ordinis quantitativa induit hujusmodi rationem mensuræ: Ergo unitas ordinis quantitativa est unitas simpliciter. *Minor* est certa; dicit enim unitas ordinis quantitativa exhaurire seu adæquate modo discreto, sive partium numeratione ipsam quantitatem continuam. *Probatur Major*: indivisibilitas est signum unitatis simpliciter; sed ratio mensuræ, quantumcumque mensuret modo discreto indivisibilis est sub ratione mensuræ; cum ipsa discretio seu divisio non cadat supra rationem mensuræ, quæ una tantum supponitur, sicut & unum mensurarum, sed supra ipsas partes seu partiales quantitates, ex quibus una exurgit mensura: Ergo ratio mensuræ, quantumcumque mensuret modo discreto est una simpliciter: Ergo unitas ordinis quantitativa quæ talem induit rationem mensuræ est unitas simpliciter: Ergo id à quo speciem sumit quantitativus numerus est unum simpliciter. Ergo hoc ipso quod ens per se ad differentiam entis per accidens speciem sumit ab uno [quod est secundum præmissum principium] est hoc ipso quantitativus numerus unum ens per se.

Probatur tertiò, Ex tertio præmisso principio, *Vna in re & à parte rei forma esse non potest nisi unius per se*: Ergo quantitativus numerus est unum ens per se, *Probatur consequentia*: assigna-

assignabilis est in re & à parte rei forma quantitativi numeri: Ergo hoc ipso quod una in re forma esse non potest nisi unius per se, est hoc ipso quantitativus numerus unum per se. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* forma dicitur talis ex effectu formali: sed datur à parte rei effectus formalis formæ quantitativi numeri: Ergo in re & à parte rei assignabilis est ipsius forma. *Probatur Minor*: effectus formalis formæ quantitativi numeri est ejus claudere & terminare unitates ut induentes specialem rationem mensuræ: hoc enim posito, formaliter ponitur & ipse quantitativus numerus, sicut ablato tollitur; sed in re & à parte rei habetur talis effectus; nec enim quaternarius numerus transit à parte rei ultra quartam unitatem, aliàs quaternarius non esset: Ergo datur à parte rei effectus formalis formæ quantitativi numeri: Ergo in re & à parte rei datur & ipsa forma quantitativi numeri: ergo hoc ipso quod una in re & à parte rei forma esse non potest nisi unius per se [quod est tertium præmissum principium,] est hoc ipso quantitativus numerus unum per se.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò Non potest quantitativus numerus esse unum ens per se, & non distingui realiter à rebus numeratis, sed de facto non distinguitur realiter quantitativus numerus à rebus seu quantitatibus numeratis: Ergo nec potest quantitativus numerus esse unum ens per se. *Major* est evidens, cum enim res sive quantitates numeratæ sint ut tales plura entia, non unum ens; consequenter fit quod si non distinguatur quantitativus numerus à rebus numeratis, quod esse non possit per se: *Probatur Minor*: quod se habet ad res numeratas ut ens rationis, seu ens per animam ad ens reale, non distinguitur ab illis realiter; sed numerus ita se habet ad res seu quantitates numeratas: Ergo quantitativus numerus non habet realiter distingui à rebus seu quantitatibus numeratis. *Major* est evidens: nec enim ens rationis distingui potest realiter, cum distinctio sicut & unitas sit passio entis, & consequenter talis sit distinctio quale est ens quod distinguitur. *Probatur minor*: nullum reale accidens, seu extra animam habet plurificari & augeri per solam comparationem aliquorum ad aliqua, cum comparatio sit opus animæ seu intra animam; sed augetur & plurificatur numerus per solam comparationem aliquorum ad aliqua: ut si unum comparetur ad unum, dicitur dualitas, si ad duos

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectionum.

duos comparetur, dicitur tunc ternarius numerus: Ergo numerus non potest se habere ad res seu quantitates numeratas ut accidens reale & extra animam, sed solum ut ens per animam ad ens reale.

Respondeo Negando Minorem, quod quidem, prætérquam quod sufficienter colligitur ex dictis supra, potest ulterius insinuari, & quidem medio irrefragabiliter concludente pro distinctione solius quantitativi numeri, dicendo scilicet quod in numeris quantitativis secundum divisionem de facto devenitur ad ultimum, quia ad unitatem devenitur; sed in rebus seu quantitatibus annumeratis non potest deveniri ad ultimum ratione quantitatis, pro qua supponunt res numeratæ; alias tunc continuum esset ultimatè divisum, quod est impossibile: Ergo non potest numerus non distingui realiter à rebus numeratis, loquendo de numero quantitativo: ad probationem verò in qua dicitur, se habere quantitativum numerum ad res numeratas tanquam ad ens rationis seu per animam ad ens reale, Nego similiter Minorem, pro cujus falsitate demonstranda, hoc argumentum à Lectore notandum velim & ponderandum. Nulla potentia quæ prior est naturaliter altera potest ab effectu potentiæ posterioris dependere tanquam ab objecto, ut per se patet, alias esset prior simul & posterior: sed potentia sensitiva est prior naturaliter potentia intellectiva; cum potentia intellectiva ab ipsa dependeat, ut habetur primò posteriorum: Ergo potentia sensitiva non dependet ab effectu potentiæ intellectivæ tanquam ab objecto: Sed ens rationis & per animam est quasi effectus potentiæ intellectivæ, numerus vero quantitativus est de objecto potentiæ sensitivæ, cum sit sensibile commune, ut dicitur secundò de anima; & cujus signum est, quod circa numerum decipitur sensus; videmus enim quod aliquando in una re videntur duæ; Ergo numerus ille quantitativus esse non potest ens rationis, nec se habere ad res seu quantitates numeratas ut ens per animam ad ens reale.

Nota.

Nota.

Unde ad tertium Nego etiam Minorem, quod scilicet per solam comparationem aliquorum ad aliqua augeatur & plurificetur numerus quantitativus, ut evidenter colligi potest ex ratione supra adductâ, & annotata in qua ostensum fuit numerum quantitativum prævium esse ad effectum potentiæ intellectivæ; ad quod addo, quod ad id non potest sola sufficere comparatio intellectus, ad quod requiritur realis alicujus divisio: jam sic est quod ut exurgat vel plurificetur quantitativus

Nota.

nu-

numerus, requiritur realis alicujus divisio, quantitatis scilicet continuæ; cum numerus quantitativus seu quantitas discreta habeat ut talis esse mensura quantitatis continuæ, seu exhaurire & adæquare quantitatem continuam per ipsam partium numerationem, quod quidem non ita haberet, nisi simul haberet causari ex divisione quantitatis continuæ: Ergo falsum est plurificari & augeri quantitativum numerum ex sola comparatione aliquorum ad aliqua, subindeque & falsum quod se habeat ad res numeratas ut ens rationis ad ens reale, vel quod sit realiter indistinctus à rebus numeratis.

Instabis: Res sive quantitates numeratæ sunt formaliter numeratæ per numerum: Ergo non est numerus realiter distinctus à quantitatibus numeratis: *Probatur consequentia*: causa formalis non differt realiter à suo formali effectu; cum sit formalis effectus ipsamet forma communicata; sed hoc ipso quod res seu quantitates numeratæ sunt formaliter numeratæ per numerum, est ipsæ numerus formalis causa rerum numeratarum, ut patet ex terminis: Ergo hoc ipso quod res seu quantitates numeratæ sunt formaliter numeratæ per numerum non est hoc ipso numerus realiter distinctus à quātitatibus numeratis.

Respondeo Negando consequentiam, ad cujus probationem distinguo Majorem: causa formalis non differt realiter à suo formali effectu quantum ad id quod importat effectus formalis in recto, Concedo: non differt ab effectu suo formali quantum ad id quod importat talis effectus in obliquo Nego; vel, quod in idem redit, non distinguitur ab effectu suo formali, prout effectus supponit præcisè pro eo quod à causa ponitur, Concedo; prout effectus involvit & id in quo ponitur Nego & concessa minori distinguo similiter consequens. Pro quo dico quod sicut albedo quæ dicitur causa formalis respectu hominis albi non habet distingui ab effectu suo formali, sive ab homine albo pro effectu quem ponit in homine, cum effectus sumptus pro eo quod ponit & secundum id quod dicit in recto sit ipsa albedo; cum quo tamen stat quod adhuc realiter distinguatur ab homine in quo affectum ponit, & qui importatur in obliquo à tali effectu formali, cum sit id cui communicatur albedo: ita similiter Philosophandum in præsenti, & dicendum quod quamvis numerus non distinguatur à rebus numeratis pro effectu suo seu quantum ad effectum quem in ipsis ponit, cum sit talis effectus in recto sumptus ipsemet numerus, ex quo dicuntur formaliter numeratæ, hoc tamen non impedit, quin ab ipsis rebus seu quantitatibus quæ sunt

subjectum talis numeri adhuc realiter distinguatur quod est distingui à suo effectu formali, non quidem quantum ad effectum quem ponit, sed quantum ad id in quo ponit effectum; sive non quidem quantum ad id quod importat effectus in recto, bene tamen quantum ad id quod importat in obliquo seu quantum ad ipsas quantitates denominatas per numerum.

Objicies secundò, Par est ratio quantum ad esse unum per se de numero quantitativo seu quantitativorum, ac de quocumque alio numero, puta essentiarum vel angelorum: sed numerus essentiarum vel angelorum non habet esse unum ens per se, ut supponitur ex præmissis: Ergo neque quantitativus numerus. *Probatur Major:* in tantum quantitativus numerus est unum ens per se, in quantum realiter distinguitur à quantitatibus numeratis, quæ ut tales sunt plura entia; sed par est ratio de distinctione numeri essentiarum verbi gratia, ab essentiis numeratis, ac de distinctione quantitativi numeri à quantitatibus numeratis: Ergo & par est ratio de uno & altero quantum ad esse unum per se. *Probatur Minor:* non minus dicuntur essentiæ numeratæ per numerum, quam quantitates; sed quia quantitates sunt numeratæ per numerum, dicitur quantitativus numerus distingui à quantitatibus numeratis; cum ly *per* causalitatem denotet, & consequenter distinctionem inter ea inter quæ exercetur; Ergo par est ratio de distinctione numeri essentiarum, & quantitatum.

Respondeo Negando paritatem Majoris: etenim quantitativus numerus, ex eo quod quantitativus est, sive causatus ex divisione quantitatis continuæ, induit hoc ipso rationem mensuræ respectu quantitatis continuæ, in quantum scilicet habet hoc ipso per partium numerationem exhaurire ipsam quantitatem continuam; ex quo quidem evidenter infertur esse quantitativum numerum sub genere quantitatis, subindeque & ens per se; tum quia ut dictum fuit supra in probanda conclusione non potest esse commensuratio nisi inter ea, quæ sunt ad minus ejusdem generis in eo, in quo commensurantur; tum quia hoc ipso quod habet ita mensurare & exhaurire quantitatem continuam per partium numerationem, habet talem facere aggregationem, ut fit in ea propriè & rigorosè loquendo *additio unius ad aliud*, subindeque & extensio, quæ quidem est de genere quantitatis: Jam sic est quod illa ratio & doctrina non currit in alio numero qui non est quantitativus, qualis est numerus essentiarum vel Angelorum ut per se patet; Ergo quamvis ex parte numeri numeranti

rantis numeremus & Angelos & essentias sicut quantitates, non tamen est par ratio de uno & de altero, quantum ad esse unum ens per se. Unde.

Ad probationem Nego Minorem, quod scilicet sit par ratio de distinctione numeri essentiarum verbi gratia ab essentiis numeratis, ac de distinctione quantitativi numeri à quantitatibus numeratis; tum quia quantitativus numerus habet distingui à quantitatibus numeratis ex ipsâ ratione mensuræ quam induit, quæque peculiaris est ipsi quantitativo numero; in quantum scilicet ipsæ quantitates partiales numeratæ hoc ipso quod tales divisæ & divisibiles sunt, cum tamen ipse numerus sub ratione mensuræ, quamtumcumque mensuret modo discreto, est omnino indivisibilis, cum ipsa discretio sive divisio non cadat supra rationem mensuræ, quæ una tantum supponitur sicut & unum mensurarum, sed cadat potius supra ipsas partes seu partiales quantitates, ex quibus una exurgit mensura; tum quia ipse quantitativus numerus habet quod cadat sub objecto potentiæ sensitivæ; cujus quidem signum in eo supra insinuavimus, quod circa quantitativum numerum decipitur sensus, dum scilicet in re una videntur aliquando duæ adeoque & habet quod antecedat ipsam intellectus operationem sub ratione numeri: Jam sic est quod ideo non distinguitur numerus in aliis rebus, puta essentiis vel Angelis, quia non habet esse talis nisi per actum intellectus comparantem & ordinantem plures Angelos sub uno ultimo, tanquam sub una ultima unitate, quæ claudat multitudinem: non ergo par est ratio quantum ad distinctionem à numeratis, de numero essentiarum vel Angelorum, ac de quantitativo numero.

Unde ad ultimum Nego minorem præcisè, sumptam, & ut sonat in terminis. Non enim per hoc præcisè distinguitur quantitativus numerus à quantitatibus numeratis, quia hæc numerantur per numerum; cum etiam sex transcendentia numerentur per senatium numerum, nec tamen propterea ab eo realiter distinguantur cum se habeant ad illum ut transcendentaliter superius ad inferius, inter quæ esse non potest essentialis nec consequenter realis distinctio; non ergo præcisè per hoc distinguimus quantitativum numerum à quantitatibus numeratis, quia per illum numerantur, sed quia numerantur per illum ut induentem rationem mensuræ respectu quantitatis continuæ, & consequenter per illum ut indivisibile & quid unum sub tali ratione, cum tamen ipsæ quantitates numeratæ divisibiles sint

& divisæ; vel etiam quia numerantur per illum antecedenter ad actum intellectus, ut dictum fuit supra, ex quo fit quod ille non sit tantum ens rationis, nec consequenter, quod solum ratione distinguatur, sed realiter: quæ quidem duo, cum applicati non possint supra numerandi modum, quo numerantur aliæ res puta essentiæ vel Angeli per numerum, sequitur per consequens non posse ex numerandi modo concludi rationem parem de numero quantitativo, ac de quovis alio numero, quantum ad præfatam distinctionem numeri à rebus numeratis.

Instabis: Non minus exurgit quantitativus numerus ex mera pluralitate, quam quivis alius numerus; sed quia alii numeri verbi gratia essentiarum ex mera exurgunt pluralitate, habent excludere unum per se: Ergo & excludit quantitativus numerus unum sive unitatem per se, sicut & alii numeri. *Minor* per se patet. *Probatur Major*: solâ divisione quantitatis exurgit quantitativus numerus; sed divisio facit ex propria ratione pluralitatem: Ergo ex sola pluralitate exurgit quantitativus numerus. *Minor* per se patet. *Probatur Major*: sola divisione quantitatis exurgit multitudo in quantitatibus; sed multitudo in quantitatibus est ipse quantitativus numerus: Ergo sola divisione quantitatis, omnia alia seclusa forma exurgit quantitativus numerus.

Respondeo Negando Majorem; cujus quidem falsitas abundè colligitur ex dictis supra: ad probationem verò Nego Majorem: licet enim quantitativus numerus exurgat & constituatur efficienter ex ipsa divisione activa quantitatis continuę; & secum afferat divisionem passivam; Hæc tamen passiva divisio seu multiplicitas quantitatum adhuc solum materialiter se habet ad ipsam rationem formalem quantitativi numeri, non autem formaliter & constitutivè; cujus ratio est quia hujusmodi divisio solum facit solutionem continui, unde & potest in infinitum fieri, vel sine termino; jam sic est quod petit numerus quantitativus ex propria quidditate, quod determinatè fiat divisio & sub certa mensura; cum sub ratione quantitativi numeri partes ordinet sub certa & determinata mensura, induatque rationem specialis mensurę quantitativæ: Ergo non ex sola divisione nec consequenter ex mera pluralitate exurgit & constituitur quantitativus numerus.

Unde ad tertium Nego Minorem, quod scilicet multitudo in quantitatibus præcisè sumpta sit ipse quantitativus numerus: multitudo namque ut talis abstrahit à finita vel infinita, sive

Nota.

sive æquè reperitur sine fine & termino, ac dum certum habet terminum & est sub certo sive determinata]: Jam sic est quod non ita abstrahit nec abstrahere potest quantitativus numerus, ut per se patet, & ut colligitur ex ratione in hac solutione supra expositâ; falsum est igitur quod multitudo in quantitatibus sit hoc ipso & præcisè sumpta ipse quantitativus numerus. Porrò ex hac solutione notandum velim notabile discrimen quod reperitur inter quantitativum numerum, & quemvis alium numerum, puta essentiarum vel Angelorum: talis namque numerus essentiarum cum non induat rationem certæ alicujus & determinatæ mensuræ, ratione cujus exigat esse sub certo termino determinatus, propterea fit quod quantum est ex se sit tantummodo multitudo, non autem numerus cum non petat ex se certas & determinatas partes ordinatas sub una ultima unitate, adeò ut non nisi per intellectum numerantem habeat esse certus atque determinatus numerus; ex quo ulterius sequitur esse non posse talem numerum reale quoddam accidens quod sit unum per se: ècontra vero cum oppositum dici debeat de ipso quantitativo numero ob rationem oppositam, eo quod scilicet habeat & exigat induere specialem rationem mensuræ, sequitur etiam & sequi debet, esse hujusmodi quantitativum numerum unum ens per se ad differentiam cujusvis alterius numeri.

Objicies tertiò: Si esset quantitativus numerus unum ens per se, esset unum unitate accidentis: sed non potest esse unum per se unitate accidentis: Ergo nec esse potest unum per se. *Major* per se patet, cum sit hoc ipso numerus ille de genere quantitatis quæ est accidens *Probatur minor:* unum per se accidens esse non potest in pluribus numero subjectis, etiam partialibus: sed numerus est in pluribus numero subjectis: Ergo non potest esse numerus unum per se unitate accidentis. *Minor* per se patet *Probatur Major*, impossibile est, aliquid esse entitativè divisum à seipso; sed si unum accidens esset in pluribus numero subjectis, esset tunc entitativè divisum à seipso; cum sit accidens secundum entitatem in subjectis, & subjecta tunc supponantur divisa: Ergo non potest unum per se accidens esse in pluribus numero subjectis, etiam partialibus.

Resp. Negando minorem, est enim numerus species quantitatis; cum veram habeat extensionem, & divisibilitatem & verè ei competat descriptio quantitatis, cum sit *divisibilis in ea quæ insunt*; habeatque specialem extensionem & essentialiter distinctam ab omni alia quantitate, utpotè cujus partes non copulantur aliquo termino communi, sicut partes quãtitatis

continuæ; ad probationem vero distinguo majorem: unum per se accidens non potest esse in pluribus numero subjectis, si sit unum unitate formæ Concedo: si autem sit per se unum unitate vel compositionis vel ordinis Nego; & concessa minori distinguo similiter consequens; pro quo notandum est, & quidem ex D. Thoma 7. *Metaph. lect. ult.* quod cum ea sint per se simpliciter, seu per se unum quæ sumunt speciem ab uno, ad differentiam eorum quæ solum sunt unum secundum quid, ut acervus, quæ non ab uno speciem sumunt, sed à multitudine partium collectarum; & ex eodem D. Thoma ibidem sortiantur ab uno, quæ sortiuntur vel ab una forma, vel ab una compositione, vel ab uno ordine, consequenter fit, quod inter entia quæ sunt unum per se alia sint quæ talia dicuntur ab unitate formæ, ut corpus mixtum; alia ab unitate compositionis, ut domus, & alia ab unitate ordinis, ut sillaba & numerus: Jam sic est quod unum unitate ordinis plura petit partialia subjecta, cum ex horum ordinatione exurgat: Ergo quamvis inintelligibile sit quod unum per se accidens, quod est unum unitate formæ, v. g. una albedo esse possit in pluribus numero subjectis etiam partialibus, non tamen idem dicendum de numero qui est unum unitate ordinis; tùm quia non est unum sicut albedo unitate simplicitatis, sed unitate ordinatæ aggregationis, in qua quidem plura involvuntur partialia subjecta; tùm quia sicut albedo non est hæc, nec consequenter una nisi quia est in hoc singulari subjecto, ita nec est numerus hic nec consequenter unus nisi quia est in his pluribus quæ ordinat subjectis.

Nota. Addo quod ex quo non omnia entia per se eandem unitatem & perseitatem habere debent; sed majorem & maximam habet Deus, quia est simplicissimus & actus purus, ac proinde est magis unus & per se, quam Angelus; & Angelus majorem unitatem & perseitatem habet quam composita substantialia materialia; & hæc majorem quam quantitas continua; & infimam unitatem ac perseitatem habet quantitas discreta, sive quantitativus numerus, cujus partes non copulantur aliquo termino communi, habent tamen unitatem & perseitatem ordinis, propterea fit, minus requiri ad unitatem quantitatis discretæ, ejusq; perseitatem, quam ad perseitatem & unitatem quantitatis continuæ vel alterius accidentis quod unum dicitur unitate formæ; ac proinde cum ad unitatem & perseitatem istius requiratur unitas & singularitas subjecti, sequitur per consequens stare posse unitatem & perseitatem quantitatis discretæ cum pluralitate partialium subjectorum.

Nota. (margin, line 6)

In-

Instabis: Ideo ergo quantitativus numerus est unum per se, quia speciem sumit ab uno ordine; sed speciem sumere ab uno ordine non sufficit ad unitatem per se: Ergo non est ex præfata doctrina quantitativus numerus unum per se. *Probatur Minor.* Numerus qui quantitativus non est habet hanc unitatem ordinis; cum habeat suas partes numeratas & consequenter ordinatas sub una ultima unitate; sed numerus qui quantitativus non est, non propterea est unum per se, ut supponitur: ergo speciem sumere ab uno ordine non sufficit ad unitatem per se.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas abundè colligitur ex præfata solutione; ad probationem verò distinguo majorem: Numerus qui quantitativus non est, habet hanc unitatem ordinis eo modo quo habet numerus quantitativus, ita ut hanc habeat per se & à parte rei Nego Majorem; habet hanc unitatem ordinis longe diverso modo, per aliud scilicet. & beneficio intellectus numerantis Concedo; & concessa minori Nego consequentiam; pro quo dico quod, cum solus quantitativus numerus utpotè causatus ex divisione continui habet per se, & hoc ipso quod talis rationem mensuræ specialis, exhauriendo scilicet & adæquando per partium numerationem ipsam quantitatem continuam, consequenter fit, quod cum ad hujusmodi rationem mensuræ per se etiam requiratur quod sint partes sub certo termino seu sub unâ ultimâ unitate ordinatæ & determinatæ, solus etiam quantitativus numerus habeat per se hanc unitatem ordinis, adeoque & ille solus speciem sortiatur ab uno; unde ulterius sequitur quod solus quantitativus numerus habeat esse unum per se; non autem alii qui quantitativi non sunt, utpote qui non induentes præfatam rationem mensuræ non habent etiam per se & à parte rei hanc unitatem ordinis, sed tantum beneficio intellectus, unde nec speciem sortiuntur ab uno, sed potius à multitudine partium collectarum, quæ quidem multitudo, cum deinde terminat actum intellectus comparantem, ordinantem & numerantem induit hoc ipso rationem numeri,

Nota

Objicies Ultimò: Omne ens per se petit à parte rei determinatam formam, & non illam tantum, quæ pro libito potest ei tribui ab intellectu: sed numerus etiam quantitativus non habet determinatam formam: Ergo nec esse potest ens per se. *Major* per se patet. *Probatur minor*, ultima unitas, ut pluries testatur D. Th. est forma numeri; sed quod sit ultima, habet ab intellectu accipiente illam ut ultimam; ut per se patet: Ergo non habet numerus à parte rei determinatam formam, sed il-

Jam tantum, quæ ei pro libito tribuitur ab intellectu.

Respondeo Distinguendo Majorem: omne ens per se petit determinatam formam à parte rei, loquendo de forma formaliter sumpta, sive sub ratione & officio formæ Concedo: loquendo de forma materialiter sumptâ, sive sub ratione materialiter & per accidens se habente ad officium formæ, & ad formalem effectum: Nego; & sub eadem distinctione Minoris nego consequentiam. Pro cujus intelligentia notandum est, & quidem serió & diligenter, quod forma numeri quæ est & supponitur esse unitas ultima, sumi potest dupliciter, & formaliter sive sub ratione & officio formæ, & materialiter, sive sub ratione materialiter se habente ad rationem & officium formæ, nec conducente ad formalem effectum: dicitur autem forma numeri seu unitas ultima sumi formaliter & sub officio formæ, quando scilicet sumitur sub ratione ultimantis & terminantis: sumitur verò materialiter, & sub ratione materialiter se habente ad officium formæ & ad formalem effectum, quando sumitur pro eo cui competit ratio hæc ultimantis & terminantis numerum: cum enim semper sit constitutus formaliter numerus, modo sit ultimatus & terminatus, subindeque & modo sit ratio ultimans & terminans; consequenter sit quod sive huic sive alteri unitati competat esse ultimans & terminans, hoc se habeat materialiter ad formam numeri sub officio formæ, nec conducat ad effectum formalem tribuendum; ac proinde modo sit forma numeri sive unitas ultima determinata & à parte rei quantum ad rationem ultimantis & terminantis, sit sufficienter determinata ad constituendum numerum unum per se, quamvis quantum ad id, sive ad unitatem hanc cui competere debet ly ultimans & terminans non sit à parte rei determinata, sed designari debeat ab intellectu.

Jam sic est, quod de facto res sic se habet; datur enim in re ultima unitas quantum ad rationem ultimandi & terminandi unitates; nec enim quaternarius transit ultra quatuor unitates à parte rei; unde sicut in circulo, verbi gratia qui est finitæ & determinatæ quantitatis necessariò datur à parte rei ratio principii, medii, & finis determinata, alias non esset quantitas à parte rei finita & determinata, quamvis ex parte ejus cui competit hujusmodi ratio principij, medii & finis, non sit à parte rei & ex natura rei designatum & determinatum, sed in qualibet parte rei designari possit; ita similiter dicendum & Philosophandum in præsenti, dicendo scilicet

quod

quod quamvis ex parte ejus unitatis, cui competit ratio ultimantis & terminantis, non sit hoc à parte rei determinatum & designatum, cum in qualibet parte seu unitate designari possit; cum hoc tamen stat quod ipsa ratio ultimans & terminans de facto detur à parte rei: ac proinde sicut datur unitas fluvii in re, licet materialiter aqua non sit eadem, sed modo ista, modo illa, ex eo scilicet quod adhuc fluat sub eadem habitudine & successione ad alveum, sic similiter & datur unus in re numerus, quia quamvis diversæ unitates possint succedere per designationem intellectus in eadem ratione ultimæ, & sic variari materialiter; semper tamen servatur eadem ratio ultimans & terminans, cum semper habeatur quod non transit quaternarius numerus ultra quartam unitatem, & sic manet semper eadem forma formaliter invariata sub ratione & officio formæ.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo Favere omnino Doctorem sanctum præfatæ sententiæ: quod quidem ex tribus præcipuè locis evidenter colligo, primus est *in septim. Metaphysic. lect. ultima super textum sexagesimum*, ubi reddens rationem distinguendi inter compositionem ex multis quæ facit unum simpliciter, & quæ facit unum secundum quid hæc habet: *Hujus*, inquit, *diversitatis ratio est, quia compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo uno, quod est forma, ut patet in corpore mixto; vel compositio ut patet in domo; vel ordo ut patet in sillaba & numero, & tunc oportet quod totum compositum sit unum simpliciter. Quandoque verò compositum speciem sortitur ab ipsa multitudine partium collectarum ut patet in acervo & populo & aliis hujusmodi, & in talibus totum compositum non est unum simpliciter, sed secundum quid.* Hæc D. Thomas, ex quibus sic arguere licet.

Quod est unum simpliciter ad differentiam unius tantum secundum quid, est unum per se, cum esse non possit ut tale ens per accidens, utpote quod est unum tantum secundum quid: sed quod speciem sortitur ab uno, quod est vel forma, vel compositio, vel ordo est ex Divo Thoma unum simpliciter, ad differentiam unius solum secundum quid: Ergo ex Divo Thoma quod speciem sortitur ab uno quod est vel forma, vel compositio, vel ordo est unum per se: Jam

sic

sic est quod ex eodem Divo Thoma sortitur numerus speciem ab uno quod est ordo: Ergo numerus est ex Divo Thoma unum per se. Sed non potest de alio numero à quantitativo illud verificari, ut supra demonstravimus: Ergo quantitativus numerus est unum ens per se ex D. Thoma.

Secundò vero hoc idem colligo *ex septim. Metaphysica lect.* 13. ubi hæc habet sanctus Doctus: *Dualitas non est duæ unitates, sed aliquid ex duabus unitatibus compositum; aliter numerus non esset ens per se & verè, sed per accidens; sicut quæ coacervantur:* Hæc ille: ex quibus non licet arguere, cum nihil clarius in favorem præfatæ sententiæ afferri possit.

Tertio tandem colligo ex his quæ habet sanctus Doctor 8. *Metaphys. lect. 3.* ubi sic loquitur: *Est unum per se numerus, in quantum ultima unitas dat numero speciem & unitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia & forma, per formam est aliquid unum, & unitatem & speciem sortitur.* Hæc ille, quibus similiter nihil evidentius afferri potest, cum & expressè dicat, esse numerum unum per se; & rationem assignet unde sit unum.

Dices Contra præfata testimonia, quod illa proferuntur de omni numero, sive de numero absolutè & generaliter sumpto non autem tantum de numero quantitativo, ut patet ex verbis citatis: Ergo si colligeretur ex iis unitas & perseitas de qua procedit quæstio, colligeretur etiam pro omni numero, & non tantum pro numero quantitativo: atqui non licet ex iis colligere pro omni numero unitatem & perseitatem de qua in præsenti quæsitum est: Ergo neque ex iis colligere licet præfatam unitatem & perseitatem pro numero quantitativo.

Respondeo Negando antecedens, cujus quidem negati ratio est quia quoties sermonem habet Divus Thomas de numero simpliciter dicto non nisi de numero quantitativo intelligendus venit. Quod autem res ita sit ex duobus aut tribus colligo ego; primo quidem ex eo quod in omnibus ferè locis, ubi asserit Divus Thomas esse numerum unum per se, asserit etiam esse speciem quantitatis, ut *in 5. Metaphys. lect.* 15. & 4. *Metaphys. lect. 2. & quæstione nona, de potentia, articulo septimo, & in 1. distinct. 24. quæstione prima, articulo tertio, &c.* Iam sic est quod si per numerum ita simpliciter dictum alium intelligeret quam quantitativum non posset de numero quem asserit unum per se asserere, quod esset species quantitatis: Ergo verum quod supra. Secundo id colligo ex his

quæ

quæ habet *quodlibeto decimo, articulo primo*, ubi habet quod unum quod est principium numeri, superaddit enti aliquid de genere mensuræ: & similiter numerus cujus est principium non invenitur nisi in rebus habentibus dimensionem seu quantitatem, quia inquit talis numerus causatur ex divisione continui: Iam sic est quod numerus qui est unum per se, non alius est, quam ille qui induit rationem mensuræ, imò & ideo est unum per se quia induit rationem mensuræ: Ergo dum dicit Divus Thomas esse numerum unum per se, non nisi de quantitativo numero intelligendus venit; ex quibus ulterius sequitur, quod quando dicit Sanctus Doctor, 1. *parte quæstione 30. articul.* 1. quod numerus abstractus & absolutus non est nisi in intellectu, non nisi de numero numerante loqui potest qui extra omne subjectum accipitur; tandem hoc idem colligi potest ex his quæ supra diximus, ubi scilicet dictum & ostensum fuit, omnem alium numerum præter quantitativum non tam esse numerum quam multitudinem, sive esse tantum multitudinem, simpliciter loquendo & à parte rei, nec esse numerum nisi beneficio intellectus eorum ordinantis & comparantis unitates sub una ultima; ac proinde dum de numero simpliciter dicto loquutus est Divus Thomas in præfatis testimoniis, non nisi de numero quantitativo intelligendus venit.

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum proprietates quantitatis rectè à Philosopho assignentur.

RESpondeo affirmativè, adeò ut verum sit dicere quod proprietas est quantitatis, quod *quantitati nihil sit contrarium*: Item quod proprietas sit quantitatis, quod *non suscipiat magis & minus*; Tertio denique quod proprietas sit quantitatis, & quidem quarto modo, omni scilicet, semper & soli quantitati competens, quod *secundum quantitatem aliquid dicatur æquale vel inæquale*: quas quidem tres quantitatis proprietates assignavit Philosophus in secunda parte hujus capitis de quatitate, Quia vero veritas hujus resolutoriæ

re-

respofionis abundè, nec aliter melius, quam eas proprietates aliquibus objectionibus examinando comprobabitur, ideo

Dices primò, adversus primam assignatam proprietatem, quod adversus illam sibimet obiicit Philosophus, quod magnum & parvum videntur esse species quantitatis; atqui magnum contrariatur paruo: Ergo non rectè dicitur quod quantitati nihil sit contrarium. *Probatur Minor*, motus augmentationis & diminutionis dicuntur motus contrarii: Ergo ad contrarios terminos terminantur: sed augmentatio terminatur ad magnitudinem, & diminutio ad parvitatem: Ergo magnum & paruum sibi ad invicem contrariantur.

Respondeo ex eodem Philosopho in eodem capite negando quod magnum & paruum sint species quantitatis; cum enim de formali significent excessum unius ad alterum, potius formaliter pertinent ad relationem, quam ad quantitatem; vel secundò respondeo ex eodem Philosopho ibidem, quod quidquid sit ad magnum & paruum formaliter sint species quantitatis, propriè tamen magnum & paruum ad invicem non contrariantur, quia contraria ab eodem subjecto se mutuò expellunt; magnum autem & parvum in eodem compatiuntur subjecto; cum hoc idem quod est magnum respectu unius possit esse parvum simul respectu alterius: non ergo magnum & parvum propriè contrariantur, aliàs idem esset sibi contrarium, cum idem possit esse simul respectu diversorum magnum & parvum; unde ad probationem dico augmentationem & diminutionem dici motus contrarios contrarietate latè sumptâ, prout sunt oppositi & incompossibiles; eodemque modo non autem propriè possunt eorum termini dici contrarii.

Dices secundò, contra eandem à Philosopho assignatam proprietatem, quod etiam sibi contra illam objicit Aristoteles, quod locus est species quantitatis: sed loco verbi gratia sursum aliquid est contrarium putâ deorsum: Ergo jam quantitati aliquid est contrarium, contra præfatam proprietatem. *Probatur Minor*, contraria sunt quæ maximè distant, & ex quorum comparatione per majorem vel minorem accessum ad illa, alia opponuntur: sed sursum & deorsum, ut convexum primi cœli & centrum terræ maximè distant, & alia dicuntur esse sursum vel deorsum, quatenus magis accedunt ad centrum terræ vel ad convexum primi cœli: Ergo sursum & de-

deorsum in prædictis locis ad invicem contrariantur.

Respondeo negando minorem sumptam scilicet ut sumi debet, adeo ut loco prout est species quantitatis aliquid sit contrarium; locus enim prout ad quantitatem pertinet dicit solum esse superficiem continentem locatum, sub qua ratione nihil est ei contrarium: quod autem habeat locus distantiam determinatam ad polos mundi, & ut sic ei competat esse sursum, vel deorsum, hoc non habet locus prout ad quantitatem pertinet, sed prout reducitur ad ubi; unde quamvis sursum & deorsum contrarientur, non propterea sequitur loco prout ad quantitatem pertinet contrariari aliquid, benè quidem ut pertinet ad prædicamentum ubi.

Dices tertiò, adversus secundam proprietatem, quod per rarefactionem eadem quantitas fit major: Ergo non rectè fuit assignata secunda illa proprietas, quod scilicet non suscipiat quantitas magis & minus.

Respondeo negando consequentiam ut enim aliquod accidens suscipiat magis & minus, debet suscipere per id, quod in eadem parte subjecti magis aut minus radicetur, ac per majorem vel minorem expulsionem contrarii: Quantitas autem in rarefactione fit major & magis longa, non per id quod magis radicetur in eadem parte subjecti, aut magis expellat suum contrarium, cum nullum habeat, sed per hoc solum quod extendatur ad novam partem subjecti, quod quidem non sufficit ut propriè dicatur suscipere magis & minus. Unde ad id quod afferri solet in contrarium ex Divo Thoma *prima secunda quæstione quinquagesima secunda, articulo secundo, ad primum,* ubi dicit, quod quantitas habet augmentum, sicut aliæ formæ accidentales per modum intensionis ejus in subjecto; non propterea intendit Divus Thomas habere quantitatem propriè intensionis augmentum; cum ex eodem intensio fit solum per majorem radicationem in subjecto, quod quidem quantitati non competit, ut diximus in rarefactione; sed solum intendit sanctus Doctor assimilari augmentum quantitatis in rarefactione, assimilari, inquam, augmento intentionis in eo quod fit sine additione novæ quantitatis, sicut intentio fit sine additione novæ qualitatis.

Dices quartò, adversus tertiam proprietatem quod alia præter quantitatem dicuntur æqualia vel inæqualia, ut differentiæ substantiales dicuntur inæquales in perfectione, & duæ qualitates inæqualiter intensæ, ut duæ albedines di-

dicuntur quidem similes, non tamen æquales sed inæquales nisi habeant eosdem intentionis gradus: Ergo non est proprium quarto modo quantitati, quod secundum illam aliqua dicantur æqualia vel inæqualia; addes quod æquale & inæquale pertinent ad relationem: nihil enim dicitur æquale aut inæquale nisi per respectum ad alterum; proindeque æqualitas, vel inæqualitas dici non potest proprietas quantitatis.

Respondeo Quod cum æquale vel inæquale propriè non dicatur de aliquo, nisi quatenus æquali vel inæquali mensura mensuratur; & mensura proprie solum reperiatur in quantitate, in illa solum reperitur propriè æquale & inæquale: in aliis autem solum impropriè & per similitudinem ad quantitatem, quod quidem inconveniens non est; cum solum sit proprium quantitatis, quod secundum illam aliquid dicatur propriè æquale vel inæquale: ad id autem quod additur dico, quod licet æquale & inæquale formaliter sint relativa, fundamentum tamen proximum talis respectus est quantitas, & sic proprium est quantitatis quod sit fundamentum relationis æqualitatis vel inæqualitatis propriæ. Unde una sola & quælibet quantitas quantum est ex se habet talem rationem fundamenti, licet ut de facto talis detur respectus æqualitatis vel inæqualitatis, dari debeant duæ quantitates, quæ dicantur æquales vel inæquales.

Coordinatio Prædicamenti quantitatis.

Ita coordinatur Prædicamentum quantitatis, ut scilicet supremum genus sit quantitas, quæ in duas dividitur species, puta continuam, & discretam: dividitur autem quantitas continua in mensurantem intrinsecè, & mensurantem extrinsecè: intrinsecè mensurans est illa, quæ positionem habet in continuo, & dividitur hæc in tres species, lineam scilicet, superficiem & corpus; quarum quælibet est species infima extrinsecè verò mensurans dividitur in permanentem, ut est locus, & successivam ut tempus. Discreta verò quantitas juxta modum Aristotelis in Logica dividitur in numerum & orationem vocalem: dividitur autem numerus per omnes species numerorum; quælibet enim unitas alteri addita facit diversam speciem numeri, ut binarius, ternarius, &c. oratio verò in varias species & combinationes metri & harmoniæ secundum longitudinem & brevitatem prolationis dividitur, quæ tamen

sunt

sunt magis artificiosæ quantitates quàm naturales. Notandum tamen est quod oratio considerata ut est in prolatione, ut de facto in præsenti consideratur, cum ut sic habeat extensionem seu extensas partes, considerata inquam prout est in prolatione potest tripliciter considerari: vel prout movet auditũ & sic est in tertia specie qualitatis, sicut & alia objecta sensuum: vel prout comparatur ad tempus mensurans hujusmodi prolationem, & sic oratio est quantitas continua; vel prout una pars succedit alteri discreta & separata, & sic est quantitas discreta, atque sub hac ratione & isto modo coordinatur in hoc prædicamento.

DE PRÆDICAMENTO QUALITATIS.

QUÆSTIO VI.

De variis speciebus qualitatis, ejusque proprietatibus.

Quia graviora, quæ tractari solent à Philosophis de qualitate ac difficiliora, tractari solent vel in Physica ubi de alteratione sive intensione, nec non & dum de potentiarum distinctione; vel etiam in Metaphysica ubi de unitate habituum sive specifica sive numerica; adeò ut quæ Logicis tractanda relinquuntur non magni sint ponderis & solâ indigeant expositione, ideo quæ in hoc exponendo prædicamento dicenda occurrunt, quæsitis aliquibus breviter resolvemus. Unde

Quæres 1. Quid sit qualitas, & an rectè à Philosopho definiatur.

Respondeo Rectè definiisse sive descripsisse Philosophum qualitatem, definiendo illam & in concreto & in abstracto; & dicendo quod *qualitas est secundum quam quales esse dicimur: qualia autem sunt ea quæ secundum qualitates denominativè dicuntur; aut quomodolibet aliter ab illis.* Ratio autem hujus est, quia per primam definitionem definitur qualitas per suum

suum proprium effectum, scilicet per qualificare subjectum, hoc est determinare & modificare illud, quod quidem propriè, simpliciter, & absolutè solum competit qualitati: alia enim accidentia non determinant neque modificant substantiam simpliciter, & solum in ordine ad illam, sed in ordine ad aliquid extrinsecum, ut consideranti patebit. Similiter licet qualitas secundum se sit notior, quam suum concretum, scilicet quale; quoad nos tamen notius est ipsum concretum, in quo agnoscimus ipsius qualitatis effectum; & ita rectè qualitatem per suum concretum, videlicet quod sit *qua quales esse dicimur*, definit seu descripsit Philosophus, pro majori tamen hujus intelligentiâ placet descriptionem illam aliquibus objectionibus breviter examinare. Unde

Dices 1. quod illa descriptio non est notior definito, cum ad cognoscendum quid sit *quale* oporteat primò scire quid sit qualitas, & tamen in ea definiatur qualitas per quale: Ergo non est admittenda talis descriptio.

Respondeo negando Antecedens: quale enim quoad nos notius est ipsa qualitate; & sic rectè potest qualitas per effectum, qui in concreto magis nobis innotescit, aliqualiter describi.

Dices 2. quod in hac descriptione seu definitione committitur circulus, cum definiatur qualitas per *quale*; & *quale* per qualitatem: sed circulus saltem in definitione rerum absolutarum non est admittendus: Ergo nec admittenda est hujusmodi descriptio qualitatis.

Respondeo quod licet non possit omninò vitari in hujusmodi definitionibus circulus, quia non datur definitio per simpliciter priora, sed per effectum notiorem quoad nos: hic tamen qui ibi admittitur circulus non est vitiosus, quia non est omninò uniformis, nec consequenter omninò circulus; qualitas enim quæ secundum se non habet definitionem, quia non habet, ut pote supremum genus, aliquid simpliciter prius seipsâ, definitur quoad nos per quale, quia illud est nobis notius; & quale secundum se definitur per qualitatem.

Dices 3. quod in præfata descriptione seu definitione ipsum ingreditur definitum definitionem, cum definitionem qualis ipsa ingrediatur qualitas: Ergo deficiens est vitiosa præfata definitio.

Respondeo, negando antecedens: cum enim, quando definitur quale per qualitatem, definitum sit quid concretum, qualitas autem quæ in definitione hujus concreti ingreditur sit quid abstractum, consequenter fit quod ibi sufficienter diffe-

rat

rat definitio à definito, ut definitum non ingrediatur suam definitionem.

Restat igitur rectè à philosopho describi qualitatem, ut etiā ipse testatur S. Thomas *opusculo 48. tractatu 4. cap. 1.* qui tamen eam adhuc congruentius explicat *1. p. q. 28. art. 2.* dicens, quod *qualitas dicitur dispositio substantiæ* : cui consonat id quod asserit idem S. Doctor *1. 2. q. 49. art. 2.* quod *qualitas importat quemdam modum substantiæ* : in quo quidem utroque testimonio intendit D. Thomas quod qualitas modum & dispositionem præbet substantiæ ; quia cum teste philosopho *5. Metaph. lect. 20.* apud D. Thomam dispositio sit ordo habentis partes, ad qualitatem pertinet ordinare partes substantiæ, non quidem partes materiales [eas enim illas extendendo ordinat quantitas] sed partes virtutis & perfectionis : omnes enim illæ sive in ordine ad ipsam naturam, sive in ordine ad operationem ordinantur & disponuntur in debitâ commensuratione per qualitatem. De his tamen ut plenior habeatur notitia videantur quæ dicta sunt in quæsitis sequentibus, igitur.

Quæres 2. utrum rectè dividatur qualitas in quatuor species ab Aristotele assignatas puta in habitum & dispositionem, in potentiam, & impotentiam, in passionem & patibilem qualitatem ; & in formam & figuram.

Respondeo affirmativè. Etenim ratio qualitatis in eo sita est quod sit modus substantiæ, ut etiam colligitur ex D. Thoma, *1. 2. q. 49. art. 2.* Modus autem iste potest sumi vel in ordine ad naturam subjecti, vel in ordine ad ejus actionem. vel in ordine ad ejus quantitatem; jam sic est quod si sit modus in ordine ad naturam subjecti, qualitas modificat subjectum bene vel male disponendo, & sic constituit speciem primam qualitatis, habitum scil. & dispositionem : si verò modificet subjectum in ordine ad operationem, vel pertinet ad principium operationis, & sic constituit secundam speciem, naturalem scilicet potentiam vel impotentiam ; vel pertinet ad terminum actionis, & tunc constituit tertiam speciem, scil. passionem & patibilem qualitatem. Si deniq; subjectū perficiat & modificet quoad ejus quantitatē, quartam constituit speciem; formam videl. & figurā, quę est terminus & modus quantitatis. Ergo sufficienter & adæquatè dividitur qualitas in quatuor prędictas species, ac illę rectò ordine assignantur, siquidē prius ęst considerare substantiam secundū se; & deinde principium operationis; postea ter-

minum ejusdem actionis; ac denique terminum & modum illius quantitatis. Pro Majori tamen hujus quæsiti intelligentiâ

Dices 1. quod omnis qualitas est dispositio; cum omnis sit modus & determinatio subjecti, ut ex D. Thoma supra explicuimus: non ergo rectè assignatur particularis qualitatis species, quæ sit dispositio. Sed ad hoc

Respondeo quod quamvis omnis qualitas cujuscumque speciei sit dispositio subjecti; nihilominus dispositio ut pertinet ad primam speciem, dicit dispositionem subjecti in ordine ad propriam naturam: cùm tamen aliæ qualitates subjectum disponant non secundum se, sed sub ratione principii vel termini operationis, vel etiam ut sunt terminus illius quantitatis, ut disponunt forma & figura; ac proinde præfata dispositio quæ primam constituit speciem non propterea coincidit cum dispositione ut est communis omni qualitati, licet ob penuriam vocum idem nomen pro utraque (æquivocè tamen vel quasi æquivocè) usurpetur.

Dices 2. quod habitus non solùm ad qualitatem, sed ad alia pertinet prædicamenta, cum habitus dicatur ab habendo, & dicamur habere quantitatem, habere relationem, habere vestem & similia quæ ad alia pertinent prædicamenta: Ergo non rectè coarctatur habitus ad prædicamentum qualitatis, nec rectè per consequens inter ipsius species collocatur.

Respondeo & quidem ex D. Thoma 1.2. *q. 49. art.* 2. quod licet habitus dicatur ab habere, adhuc tamen tripliciter accipitur & accipi potest, primo prout idem est quod habitio qua una res aliam habet, inter quas nihil mediat nisi sola relatio habitionis, ut habere servum, habere relationem, habere quantitatem, vel habere pecuniam, & hoc modo habitus non est speciale prædicamentum, vel ultimum postprædicamentum. Secundo verò modo accipitur habitus pro habitione qua una res aliam habet inter quas tamen mediat aliquid quasi per modum actionis aut passionis, licet non sit vera actio; sicut esse vestitum, vel calceatum non dicit simpliciter & præcisè habere vestem modo præfato: sed habere illam vestitam; & hoc modo habitus est ultimum prædicamentum. Tertiò denique modo accipitur habitus pro qualitate, quæ male vel bene subjectum secundum suam naturam disponit, & hoc modo pertinet solum ad qualitatem & ad primam illius speciem, adeoque & falsum est quod ita sumptus habitus ad alia pertineat prædicamenta.

Nota.

Quæres 3. in quo consistant & per quid distinguantur præfatæ quatuor species qualitatis.

Respondeo primò pro expositione hujus speciei, quod prima species qualitatis ut communis habitui & dispositioni, & ut condistincta ab aliis qualitatis speciebus consistit in hoc, quod sit bene vel male subjectum secundum suam naturam per se disponens. Dixi per se; quia cum unumquodque sit propter suam operationem, aliqui propterea habitus qui primo & per se ordinantur, ut subjectum secundum suam naturam bene vel malè disponant, secundario etiam ordinantur ad operationem. Dixi etiam, quod hujusmodi species qualitatis ordinantur ad bene vel malè disponendum subjectum, quia sicut per habitum scientiæ & virtutis bene disponitur subjectum; ita & per habitum vitii aut erroris disponitur male. Iam ergo quod in præfata ratione consistat hæc prima species qualitatis ex hoc ostenditur quod idem est formale constitutivum alicujus, seu ratio in qua formaliter consistit, & distinctivum ejus ab aliis: Iam sic est quod per prædictam rationem distinguitur hæc prima species ab aliis speciebus qualitatis: imprimis namque per id distinguitur à secunda specie, quæ non dicit male vel bene disponere subjectum, sed esse principium operationis: similiter per id etiam distinguitur à tertia specie, quæ solum dicit esse terminum alicujus actionis, vel objectum alicujus sensus, etiam abstrahendo ab eo, quod male vel bene disponat subjectum: cumque omninò per accidens sit formæ aut figuræ quæ est quarta species qualitatis, quæ bene vel malè disponat subjectum, per hoc idem per consequens distinguitur formaliter prima hæc species à quartâ specie: Ergo & per hoc idem constitui debet, ac proindè & in hoc consistit formalis ratio primæ speciei.

Iam verò si pro completâ hujus intelligentiâ inquiratur ulterius, quomodo & per quid distinguantur duo præfata membra hujus speciei, habitus scilicet & dispositio: Respondeo distingui essentialiter per hoc quod habitus ex natura suâ & à suis attentis causis est difficilè mobilis à subjecto: cum è contra dispositio ex naturâ sua, & juxta exigentiam suarum causarum est à subjecto suo facilè mobilis. Ratio autem hujus dicti seu dictæ distinctionis est, quia cum differentia hæc sit per se exacta à propriis causis habitus & dispositionis, esse non potest accidentalis tantum differentia, sed per se & essentialis. Unde cum ex accidenti & ex parte subjecti habitus habeat aliquando modum dispositionis, ita ut sit à sub-

ita,ut fit à subjecto facile mobilis; & è contra cum dispositio habet aliquando modum habitus,adeo ut sit difficilè mobilis à subjecto,ut cum propter tenacitatem alicujus intellectus opinio est difficile ab illo mobilis;& similiter, cum sanitas & ægritudo ex aliquo accidenti est difficile mobilis,cum hæc differentia proveniat ex accidenti,sive ex aliquo accidentali, non propterea tollit naturam & differentiam essentialem dispositionis & habitus:sicque cum habitus scientificus juxta exigentiam propriæ causæ videlicet demonstrationis,debeat esse difficilè mobilis,etiam si ob conditionem subjecti, vel ob aliam causam accidentalem fiat vel sit facilè mobilis,ac proinde modum habeat dispositionis semper tamen retinet essentiam habitus; & similiter quia opinio ex sua natura, & juxta causarum exigentiam,rationis videlicet probabilis, est facilè mobilis à subjecto,etiamsi per accidens ob tenacitatem alicujus intellectus,vel ex alio accidenti fiat difficilè mobilis, habeatque per consequens modum habitus, semper tamen retinet essentiam dispositionis.

Resp. 2. Pro expositione secundæ speciei,quæ est & dicitur potentia vel impotentia,quod consistit formaliter hæc qualitas in hoc,quod sit principium alicujus operationis, vel ad modum operationis; ita tamen quod nomine principii non veniat intelligendum radicale,utpote quod substantia est, sed proximum quod est qualitas. Dixi autem quod debet esse principium alicujus operationis,vel ad modum operationis, quia potentia ad magis vel minus resistendum, ut durum vel molle, media duritie,vel mollitudine non est principium propriæ operationis,cum resistentia non sit propriè operatio,sed ad modum operationis se habens. Distinguitur autem in hac secunda specie potentia & impotentia: ita tamen ut nomine impotentiæ non intelligatur privatio potentiæ,sed potentia debilis, quæ condistinguitur à potentia simpliciter dicta, quod hæc potens est exire ad actum in suo genere perfectum, ut potentia visiva in juvene; vel potentia generativa in habente proportionatum temperamentum ad generationem; cum è contra potentia debilis quæ hic dicitur impotentia non est potens elicere actum perfectum sui generis, ut potentia visiva in sene, vel potentia ad generationem in non habente proportionatum temperamentum,ut in frigidis,qui propterea appellari solent impotentes. Ex quo fit quod cum potentia & impotentia differant solum penes perfectum & imperfectum, solum etiam differant accidentaliter.

Resp.

Resp. 3. Pro tertia exponenda specie, quæ est passio & patibilis qualitas, quod passio hic ex multiplici ejus acceptione accipitur pro qualitate, quæ est terminus actionis alicujus alterativæ; & differt passio à patibili qualitate, quòd passio significat qualitatem ex facili & transeunte alteratione resultantem, ut pallor ex metu, & rubor ex verecundia, quæ proinde qualitates sunt facilè mobiles à subjecto, econtra verò patibilis qualitas qualitatem significat ex permanenti alteratione resultantem, ut naturalis color pallidus, aut rubeus, quæ proinde qualitates sunt difficilè mobiles à subjecto. Neque urget quod opponunt hic aliqui, dicendo scilicet, quòd qualitates multæ in hac specie constituuntur, ut calor & frigus, quæ tamen ad primam qualitatis speciem pertinent, ac proinde quod in hoc assignata tertia hac specie, videntur qualitatis species confundi: sed ad hoc facile respondetur quod tales qualitates, quæ ad primam pertinent speciem, ad hanc tertiam pertinent ut sunt termini alterationis, abstrahendo ab eo, quod bene vel male disponant subjectum; cum tamen ad primam pertineant speciem qualitatis formaliter ut sunt dispositiones convenientes vel disconvenientes subjecto; & ita calor prout est terminus alterationis & objectum sensus ad hanc tertiam pertinet speciem, pertinet verò ad primam speciem qualitatis prout est calor febris v. g. utpote qui est tunc subjecto disconveniens, & se habet ut malè afficiens suum subjectum.

Resp. denique pro quarta exponenda specie qualitatis forma scil. & figura, quod cum forma possit accipi & pro forma substantiali, & pro quolibet accidente quatenus est subjecti forma, neutro tamen modo accipitur in præsenti, prout scil. quartam constituit speciem qualitatis, sed accipitur prout est modus & terminus & dispositio quantitatis. Quamvis autem in hoc conveniant in præsenti forma & figura, quod utraque sit modus, dispositio & terminus quantitatis, differunt tamen, & quidem ex D. Th. 7. *Physicorum lect.* 5. quod forma significat dispositionem & certum terminum quantitatis, sed in artificialibus, unde solemus dicere forma domus, forma turris, cathedræ: figura verò extenditur ad omnem alium significandum quantitatis modum & certum terminum.

Quæres ultimò, Utrum rectè assignentur à Philosopho proprietatis qualitates.

Respondeo affirmativè, prænotando assignasse Philosophum in secunda hujus capitis parte triplicem qualitatis proprietatem. Prima, inquit, est habere contrarium; & addit

 non

non esse id proprium quarto modo, quia licet soli conveniat qualitati, non tamen omni; flavo enim aut fusco nihil est contrarium: Secunda verò proprietas est, suscipere magis & minus; & ait Philosophus, quod neque id habet esse proprium quarto modo, quia licet conveniat soli, non tamen omni convenit qualitati: sanitas enim secundum aliquos non suscipit magis & minus, & secundum omnes triangulus & circulus non suscipiunt magis & minus, nec unus circulus est magis circulus quam alter, nec ipsemet potest modo esse magis vel minus circulus quam postea vel antea, & tamen reducuntur & circulus & triangulus ad quartam speciem qualitatis: ultima denique quam assignat Philosophus proprietas, & quidem quarto modo competens est, quod secundum qualitatem aliqua dicantur similia aut dissimilia. Iam verò quod rectè fuerint hujusmodi proprietates assignatæ, non aliter melius, quam aliqua adversus eas obiiciendo poterit comprobari. Unde

Dices 1. adversus primam proprietatem quod habere contrarium aliis convenit à qualitate: non ergo id soli competit qualitati ut ait philosophus. Probatur antecedens, hic non accipitur contrarietas pro contrarietate propriâ, sed in magis lata acceptione, ut scilicet comprehendit etiam oppositionem privativam & relativam; quia acceptâ contrarietate propriè, prout solum versatur inter ea quæ ab eodem subjecto se mutuo expellunt, solum competit duabus primis qualitatibus, quæ sunt caliditas & frigiditas, & sic malè apponeret philosophus exemplum in albedine & nigredine: jam sic est quod acceptâ contrarietate in magis latâ acceptione aliis competit quam qualitati, ut per se patet: Ergo habere contrarium aliis etiam convenit à qualitate.

Respondeo negando antecedens: accipitur enim hic contrarietas propriè, & non in magis latâ acceptione, unde ad probationem, dico quod contrarietas propria prout dicit maximam distantiam sub eodem genere, & mutuo se ab eodem subjecto expellere primo & per se competit quatuor primis qualitatibus calori videlicet & frigiditati, humiditati & siccitati; sed ratione illarum convenit etiam aliis, ut ignis ratione caloris contrariatur aquæ; & sic ratione primarum qualitatum; secundario convenit contrarietas secundis etiam qualitatibus, atque ita ea ratione album propriè contrariatur nigro, non tamen propriè contrariantur flavum & fuscum ut bene notat philosophus; siquidem ad propriam contrarietatem non sufficit quod aliqua se mutuò expellant, sed requiritur etiam quod sub eodem

dem

dem genere maximè distent, qualiter in genere coloris distant colores extremi, album & nigrum, non autem colores medii, ut flavum & fuscum.

Dices 2. Adversus secundam proprietatem, quod aliquod accidens suscipere magis & minus nihil aliud est, quam magis aut minus radicari in subjecto; jam sic est quod omni convenit accidenti magis aut minus radicari in subjecto; cum omni conveniat esse in subjecto: Ergo & omni convenit suscipere magis & minus, ac proinde id soli non convenit qualitati.

Respondeo Negando minorem: magis enim aut minus radicari aliquod accidens in subjecto convenit maximè ratione activitatis ipsius accidentis, quatenus est à subjecto expulsivum sui contrarii; atque ita cum hæc activitas solis conveniat primis qualitatibus, & ratione illarum secundis, non verò aliis accidentibus; ideo fit quod licet illa sint in subjecto, non tamen ut magis aut minus radicata, ac proinde quod nec suscipiant magis aut minus.

Dices 3. Adversus tertiam proprietatem quod etiam secundum alia præter qualitatem, aliqua dicuntur similia vel dissimilia: duæ enim substantiæ ejusdem speciei dicuntur esse similes & pater dicitur generare sibi similem, & relatio paternitatis & filiationis dicuntur esse dissimiles, & sic de cæteris: Ergo secundum alia præter qualitatem dicuntur aliqua similia vel dissimilia.

Respondeo Negando antecedens in sensu mox exponendo. Unde dico quod quando supra dictum est quod proprium est qualitati, quod secundum illam dicantur aliqua similia vel dissimilia, hoc ita venire intelligendum; ita ut omnia quæ dicuntur similia vel dissimilia, vel dicantur talia ratione qualitatis, vel ratione alicujus habentis se in illis ad modum qualitatis: atque ita si duo homines dicuntur similes, est ratione unitatis differentiatum, quæ in illis se habent ad modum qualitatis; & sic manet semper quod proprium sit quantitatis reddere similia aut dissimilia.

Coordinatio prædicamenti qualitatis.

Hæc est coordinatio prædicamenti qualitatis, ita ut genus generalissimum quod est qualitas dividatur in quatuor genera immediatè, quæ sunt habitus & dispositio; potentia & impotentia; passio & patibilis qualitas; & forma & figura: porrò unumquodque istorum generum in varias dividitur spe-

species. Habitus enim dividi potest in operativum, & non operativum. Non operativus in corporalem, ut pulchritudo, sanitas, & in spiritualem ut gratia: operativus similiter in sensibilem dividi potest, & spiritualem: sensibilis in varios dividitur habitus appetitus sensitivi, ut sunt temperantia, fortitudo &c. spiritualis verò in intellectualem dividitur & moralem. Intellectualis in quinque species, scilicet sapientiam, scientiam, habitum primorum principiorum, prudentiam & artem: moralis dividitur in bonum & malum. Malus, si verè est habitus per omnia multiplicatur genera vitiorum, & bonus per omnia genera virtutum moralium, ut justitia, religio, pietas, &c.

Quantum verò ad coordinationem sive divisionem potentiæ, dividitur hæc in activam & passivam: activa in corpoream & in incorpoream: sub corporea sunt vitales & non vitales: sub vitalibus sensitivæ, vegetativæ &c. sub vegetativis nutritiva, generativa &c. sub sensitivis verò sensus interiores & exteriores, & appetitus sensitivus; at verò sub potentia activa incorporea reponuntur voluntas & intellectus, & reductivè supernaturalis potentia, quæ est character: reducunt etiam aliqui ad hoc genus species impressas, quia potentiam complent cognoscitivam; quantum denique ad alias species in quas alia dividuntur genera, puta passio & patibilis qualitas, & forma & figura, cum earum enumeratio aut notitia non sit multum necessaria, quin immò ex nimietate sua magis officiant quam proficiant, ob confusionem quam parerent, eas propterea ex consulto omittemus, hoc unum notando quod sub his duobus generibus reponuntur tantum corporales qualitates; quia tertia species, puta passio & patibilis qualitas ex alteratione causatur, vel alterationem causat primo & per se; forma autem & figura ex quantitatis terminatione resultant.

CAPUT

CAPUT

DE PRÆDICAMENTO RELATIONIS.

QUÆSTIO VII.

Vtrum prædicamentalis relatio realiter distinguatur à fundamento.

PRæmittendum primò Pro habenda natura & quidditate relationis prædicamentalis accidentium genus esse duplex: alia enim subjecto inhærent, illique suum effectum formalem tribuunt sine ordine ad aliud; unde & vocantur *absoluta*, quasi ab alio soluta: sic albedo in lapide illum absolutè efficit album, lux lucidum, calor calidum, quantitas quantum &c. Verùm alterius generis est accidens, quod in subjecto non existit nisi ipsum ad aliud ordinando seu referendo; & hoc est quod dicitur prædicamentalis relatio, de qua controvertitur in præsenti, quæque propterea definiri solet *accidens cujus totum esse est se habere ad terminum* cum re ipsa & de facto totum esse ultimatum talis relationis sit in ordine ad terminum, propterea quod ipsum etiam subjectũ non afficit, nisi ut illud referat, seu faciat referri ad terminum; sic similitudo albedini inexistens, illam facit alteri similem & prædicamentaliter relatam, sic paternitas in homine generante facit illum esse alicujus patrem & constituit illum prædicamẽtaliter relativum; & ita baculus per relationem æqualitatis est alteri æqualis, ac prædicamentaliter relatus.

De quidditate relationis.

Porrò hinc facilè colligitur differentia quæ intercedit inter relationem prædicamentalem & transcendentalem, quæque in his præcipuè duobus sita videtur: primo quidem in eo quod relationes prædicamentales, quamvis habeant suum esse in ordine ad subjectum, in quantum sunt accidentia realia; per relativa tamen nomina quibus significantur, nullus earum explicatur ordo ad subjectum, sed præcisè ordo & respectus earumdem

Per quid differãt relatio prædicamentalis &

transcendentalibus.

dem ad terminum; in quo propterea differunt à relativis transcendentalibus, quæ quidem non solum dicunt aliquid aliud præter ordinem ad terminum, sed & illud aliud per ipsorum nomina significatur & explicatur. Explicatur hoc in exemplo: licet enim creatura verbi gratia quæ dicitur relativa transcendentaliter dicat respectum transcentalem ad creatorem, per hoc tamen nomen, *Creatura* non significatur formaliter talis respectus, sed certa quædam entitas seu quidditas positiva, quę quidem adæquatè explicari non potest nisi per ordinem ad creatorem; & ita creatura dicitur relativum transcendentale, quia includit respectum & non tamen per tale nomen significata exprimit illum. Pater autem qui dicitur relativum prædicamentale; licet reveta sit animal, & sit causa filii, & dicat respectum ad filium tanquam ad terminum, nihilominus per hoc nomen, pater, non significatur formaliter, nisi ut dicens talem respectum; & ita totum esse patris ut significatur hoc nomine *pater* est in ordine ad filium tanquam ad terminum, ac ac proinde pater, ut hoc nomine *pater* significatur, est relativum prædicamentale.

Alia verò differentia quæ similiter reperitur inter hæc duo relativa consistit in hoc, quod licet relativa prædicamentalia ordinem dicant ad subjectum, non tamen ut aliud esse tribuant subjecto, quam facere illud referri ad terminũ ad differentiam relativorum transcendentalium, quæ non solum afficiunt subjectum [si sint accidentia realia] ut ipsum subjectum faciant referri ad terminum, sed principaliter ut aliud esse absolutũ ipsi subjecto faciant referri ad terminum, sed principaliter ut aliud esse absolutum ipsi subjecto tribuant: quod patet in scientia v. g. quæ ut hoc nomine significatur, dicitur relativum transcendentale: non enim habet præcisè subjectum afficere, ut illud referri faciat, sed principaliter ut in eo ponat perfectionem quamdam absolutam, puta qualitatem & habitum, quæ tamen perfectio & qualitas, cum talis naturæ, quod ad eam consequatur habitudo quædam seu respectus ad aliud puta ad scibile, dicitur propterea relativum transcendentale, seu, quod in idem redit, relativum secundum dici, ut enim ostendam infra idem prorsus est relatio transcendentalis & secundum dici; sicut & idem est relatio prædicamentalis & secundum esse.

Præmittendum secundò Contra veteres aliquos Philosophos qui nolebant, existere relationes formaliter in rebus, nisi per per operationem intellectus comparativam unius extremi cum alio, præmittendum inquam esse omnino admittendas

das relationes in rebus citra illam mentis operationem. Enim verò impossibile est de aliquo contradictoria verificari de novo prædicata sine adventu novæ alicujus realitatis, vel formalitaris realis. Iam sic est quod de eodem verbi gratia albo, cum aliud album non existit, verificatur non simile [quia non datur simile, nisi detur cui illud sit simile] & adveniente alio albo verificatur de primo albo quod est simile: Ergo cum simile & non simile sint prædicata contradictoria, illa non possunt de eodem albo absque adventu alicujus novæ realitatis vel formalitatis realis verificari: sed nulla tali albo, per id quod alterum ponatur album, advenit realitas vel formalitas realis, nisi relatio similitudinis ad alterum album: Ergo est illa reale quid, sive citra mentis operationem in rebus existens: addo quod saltem habemus de fide existere in Deo relationes reales, quibus constituuntur & distinguuntur personæ divinæ: Ergo a pari per proportionem paternitas verbi gratia & filiatio quæ reperiuntur in creatis debent esse reales, nihil enim repugnat, nec ratio est, cur perinde non dicantur reales; sunt enim istæ denominationes omnino intrinsecæ, quod verbi gratia homo generans dicatur pater; quo modo per proportionem in Divinis persona prima non habet tantum ab extrinseco quod sit pater.

Quæ sint admittendæ relationes reales.

Ex quo quidem ulterius sequitur, quod quamvis duplex distingui possit conceptus inadæquatus, alter secundum rationem communem relationis cum aliis entibus seu accidentibus realibus, sive secundum esse *in*; & alter secundum propriam rationem relationis, sive secundum esse *ad*, sit tamen uterque inadæquatus conceptus reale quid, hoc ipso quod alter eorum est quid reale; aliàs non posset ex utroque tali conceptu inadæquato unica resultare realis relatio; cum ex aliquo reali, & ex alio quod reale non est; non possit unicum ens reale resultare. Unde ad fundamentum adversæ sententiæ, quæ tamen hodie videtur extincta, ex quo quidem volebant illi Philosophi, requiri ad formalem relationem actionem intellectus comparativam, adeò ut inquiebant, sit tantum in rebus ex natura rei fundamentum ex quo comparet intellectus extremum unum alteri, ad quam comparationem sequatur formalis relatio, aut potius quæ comparatio sit ipsa formalis relatio: ad hoc inquam fundamentum respondetur facilè quod in his quidem rebus, ubi solum est fundamentum, ut unam alteri comparet intellectus, nec est sufficiens fundamentum, ut ad illas

Nota.

Nota.

illas independenter à comparatione intellectus resultet relatio, defectu scilicet vel existentiæ alicujus extremi, vel distinctionis realis inter extrema, vel rationis realis fundandi, tunc si aliqua inter illas intervenit relatio, erit non realis, sed rationis, & talis est ea quæ reperitur inter hominem & animal; quia verò datur præterea in pluribus sufficiens fundamentum ex quo non tantum comparare possit intellectus, sed etiam ex quo de facto resultet realis ordo, ut in duobus albis relatio similitudinis formalis unius ad alterum; propterea quod ad resultantiam talis formalis relationis nec deficit reale fundamentum, scilicet albedo utriusque, nec realis ratio fundandi, scilicet unitas & convenientia utriusque in albedine; nec realis coexistentia utriusque extremi; nec denique realis distinctio unius extremi ab alio, consequenter fit quod præter relationes rationis dentur præterea formaliter relationes reales in rebus.

His ergo suppositis, & diligenter prænotatis, jam quod in præsenti inquiritur est, utrum relatio prædicamentalis, quæ ita supponitur realis, sive existens à parte rei citra omnem intellectus operationem, realis sit ipsa realitate sui fundamenti, seu subjecti cui immediatè inexistit; adeò ut similitudo quæ est inter duos parietes albos sit realis & realiter ens ipsamet entitate & realitate ipsius albedinis, quæ est fundamentum sive subjectum cui immediatè inexistit, an verò distincta sit realiter à fundamento ita ut alia sit realitas à realitate sui fundamenti pro quo.

Præmittendum ultimò Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *ea ad quæ terminantur motus aut quasi motus oppositi, non possunt non distingui realiter & à parte rei;* quod *dependentia est de genere relationis & vera relatio;* quod *dari non potest forma à parte rei sine effectu suo formali primario:* primò quidem receptissimum est apud omnes prima illa propositio, quod ea ad quæ terminantur motus aut quasi motus oppositi, non possunt non distingui realiter & à parte rei, cujus ratio est, quia cum motus ut talis sit ad terminum, sitque subjectivè in termino, consequenter fit, quod hoc ipso quod supponuntur motus oppositi, supponi debeant termini aliqua oppositione distincti: cumque talis oppositio supponatur à parte rei, quia à parte rei sunt motus oppositi, ex quibus provenit oppositio terminorum, evidenter sequitur quod ea ad quæ terminantur mo-

motus aut quasi motus oppositi debeant à parte rei, sive realiter distingui.

Secundò receptissima est atque verissima secunda illa propositio; quod scilicet dependentia est de genere relationis & vera relatio, cujus ratio est quia dependentia totum suum esse habet ad aliud; & subjectum sive fundamentum quod afficit, prout hoc nomine, *dependens* exprimitur, non significatur nisi cum respectu & ut dicens respectum, ut per se patet: Jam sic est quod per hæc duo distinguitur relatio, quæ verè est de genere relationis, ab omni alio quod non est tale, ut etiam patet, & abundè colligitur ex dictis supra, ubi de differentia relationis prædicamentalis: vera ergo & ab omnibus concedenda secunda illa propositio, puta quod dependentia est de genere relationis, & vera relatio.

Tandem verissima est & ab omnibus concessa tertia hæc propositio, puta quod dari non potest forma à parte rei sine effectu suo formali primario; quod quidem, præter quem quod patet inductione; nec enim dari potest à parte rei figura verbi gratia sine figurato, nec albedo sine subjecto albo, nec scientia sine sciente &c. suadetur hoc idem ulterius ex discrimine quod intercedit inter effectum formalem primarium formæ, & effectum secundarium: primarius enim nihil aliud dicit nec importat, aut exigit nisi formam communicatam; album enim, nihil exigit quam albedinem communicatam; cum tamen effectus secundarius non solum dicat aut exigat formam simpliciter communicatam; sed præterea exigat eam communicatam subjecto disposito, non quidem ad receptionem & communicationem formæ, quia hoc etiam exigit & effectus primarius; sed disposito ad talem effectum secundarium tanquam ad aliquid superadditum formæ prout præcisè communicatæ: defectu cujus dispositionis gratia habitualis non tribuit Christo Domino effectum suum secundarium, esse scilicet filium adoptionis, quia quamvis gratia illa sit ad modum formæ communicata animæ Christi, non est tamen communicata animæ Christi prout dispositæ ad talem effectū, sed magis prout incapaci, utpote quæ ratione unionis hipostaticæ habet esse filium naturalem. Igitur effectus formalis primarius formæ ad differentiam secundarii importat præcisè & solum exigit formam simpliciter communicatam: atqui dari non potest forma à parte rei, quæ non sit communicata: Ergo nec dari potest forma à parte rei sine effectu suo formali primario.

Nota.

His

His ergo tribus præmissis tanquam certis & ab omnibus concessis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione, sit

CONCLUSIO: *Relatio prædicamentalis distinguitur realiter, sive à parte rei à fundamento.*

Probatur primò Ex primo præmisso principio. ***Ea ad quæ terminantur motus aut quasi motus oppositi, non possunt non distingui realiter, sive à parte rei:*** Ergo distinguitur relatio prædicamentalis realiter sive à parte rei à fundamento. ***Probatur Consequentia***: relatio & fundamentum se habent, ac si terminantia motus aut quasi motus oppositos: Ergo hoc ipso quod ea ad quæ terminantur motus aut quasi motus oppositi, distinguuntur à parte rei, distinguuntur hoc ipso relatio & fundamentum à parte rei. ***Consequentia*** est evidens. ***Probatur Antecedens:*** crescere & minui se habent ut motus oppositi; sed aliquando crescente fundamento minuitur relatio: Ergo se habent aliquando relatio & fundamentum, ac si terminantia motus oppositos. ***Major*** patet ex terminis. ***Probatur Minor***: ubi crescente albedine minuitur similitudo, ibi crescente fundamento minuitur relatio: sed aliquando crescente albedine in pariete A, minuitur ejus similitudo: Ergo & aliquando crescente fundamento minuitur relatio. ***Major*** per se patet: se habent enim albedo & similitudo tanquam fundamentum & relatio, ut conceditur, & colligitur ex præmissis de fundamento, & relatione. ***Probatur Minor***: fieri potest & multoties fit, quod crescat albedo parietis A super albedinem parietis B; sed tunc minuitur ejus similitudo, ut per se patet: Ergo crescente aliquando albedine minuitur ejus similitudo; Ergo crescente aliquando fundamento minuitur relatio; Ergo se habent aliquando relatio & fundamentum ac si terminantia motus aut quasi motus oppositos: Ergo hoc ipso quod ea ad quæ terminantur motus oppositi distinguuntur à parte rei, [quod est primum præmissum principium,] non possunt relatio & fundamentum non distingui à parte rei.

Probatur secundò Ex secundo præmisso principio. ***Dependentia est de genere relationis, & vera relatio***: Ergo realiter distinguitur relatio à fundamento. ***Probatur consequentia***: dependentia effectus à causa secunda realiter distinguitur ab effectu quem refert: Ergo hoc ipso quod dependentia est de genere relationis & vera relatio, hoc ipso realiter distinguitur relatio à relato fundamento. ***Consequentia*** est evidens. ***Probatur antecedens***: hoc ipso quod amittente effectu dependentiam à

cau-

causa secunda amittitur reale quid, distinguitur hoc ipso realiter dependentia ab effectu: sed amittente effectu dependentiam respectu causæ secundæ, amittitur hoc ipso reale quid: Ergo dependentia effectus à causa secunda realiter distinguitur ab effectu quem refert. *Major* est evidens, cum fiat tunc separatio dependentiæ ab effectu, tanquam alicujus realis ab aliquo reali. *Probatur minor*: amittente effectu dependentiam respectu causæ secundæ, amittitur id quod servatur respectu causæ primæ: sed dependentia quæ servatur respectu causæ primæ, est haud dubiè reale quid, cum fundetur in ipsa rei seu effectus natura: Ergo & amittente effectu dependentiam à causa secunda, amittitur hoc ipso reale quid; Ergo dependentia effectus à causa secunda realiter distinguitur ab effectu quem refert: Ergo hoc ipso quod dependentia est de genere relationis & vera relatio, [quod est secundum præmissum principium] hoc ipso realiter distinguitur relatio à suo quod refert fundamento.

Probatur tertiò Ex tertio præmisso principio. *Dari non potest forma à parte rei sine suo primario effectu*: Ergo non potest non distingui relatio à parte rei à suo fundamento. *Probatur consequentia*: casu quo esset relatio indistincta à fundamento, dari posset forma à parte rei non habens primarium effectum: Ergo hoc ipso quod dari non potest forma à parte rei sine suo primario effectu, non potest non distingui relatio à fundamento. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: formalitas relationis se habet ad esse relatum sicut forma ad primarium formalem effectum: sed in præfato casu reperiri potest formalitas relationis absque esse relato: Ergo & in hoc casu dari posset forma à parte rei non habens primarium effectum. *Major* patet ex terminis: esse namque formaliter relatum est effectus formalis alicujus formæ, quæ quidem non alia esse potest quam ipsa relatio formaliter sumpta, cumque non sit alius relationis effectus prior ipso esse relato, ut per se patet, evidenter sequitur, primarium esse relationis effectum. *Probatur Minor*: non datur esse relatum sublato termino: sed in præfato casu repetiri posset formalitas relationis sublato termino: Ergo in hoc casu reperiri posset formalitas relationis absque esse relato. *Major* est evidens. *Probatur Minor*: hoc ipso quod sublato termino nihil reale relationis destruitur, datur hoc ipso formalitas relationis sublato termino; cum talis formalitas non sit nihilum, sed reale quid & constituens reale prædicamentum, ut supponitur, & detur

tunc omne reale relationis: sed casu quo relatio non esset realiter distincta à fundamento, nihil reale destrueretur sublato termino, cum nihil reale fundamenti propterea destruatur: Ergo in præfato casu reperiri posset formalitas relationis sublato termino: Ergo in præfato casu reperiri posset formalitas relationis absque esse relato: Ergo casu quo relatio esset indistincta à fundamento, dari posset forma sine suo primario effectu: Ergo hoc ipso quod dari non potest forma à parte rei sine suo primario effectu [quod est tertium præmissum principium] non potest relatio non distingui à parte rei à fundamento.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in solutionibus objectionum.

Objicies primò: Non sunt entia multiplicanda sine necessitate; sed non est necessitas admittendi relationem realiter distinctam à fundamento, puta similitudinem à pariete albo: Ergo nec est de facto realiter distincta. *Probatur minor*: necessitas similitudinis distinctæ esse tantum potest vel ad denominandum & tribuendum esse simile absolutè loquendo, vel ad denominandum & tribuendum esse formaliter simile: sed ad neutrum opus est similitudine realiter distincta; Ergo nulla est necessitas admittendi relationem verbi gratia similitudinem realiter distinctam à fundamento, *Major* patet; relatio enim non est nisi ad tribuendum esse relatum. *Probatur minor*; & quidem primò quoad primam partem omni seclusa similitudine distincta verum est dicere absolutè loquendo, quod conveniant duo parietes albi in albedine: sed hoc est esse similes absolutè loquendo: Ergo ad tribuendum esse absolutè loquendo simile, opus non est similitudine distincta. Jam verò probatur eadem minor quoad alteram partem, de qua præcipuè est difficultas illud gratis & sine necessitate asseritur, quod probari non potest nisi recurrendo ad negatum principium: sed quod opus sit similitudine distincta ad tribuendum esse formaliter simile, non probatur nec probari solet nisi recurrendo ad negatum principium: Ergo gratis & sine necessitate illud asseritur. *Probatur minor*: ideò probant Thomistæ non denominari parietes albos formaliter similes, nisi similitudine distincta, quia opus est ad hoc similitudine ad modum formæ intrinsecæ; atqui hoc est quod ab adversariis negatur principium: Ergo quod opus sit similitudine distincta ad tribuendum esse formaliter simile, non probatur nec proba-

ri solet, nisi recurrendo ad negatum principium.

Respondeo Negando minorem, cujus falsitas abundè colligitur ex probationibus conclusionis. Ad probationem vero Nego similiter minorem quoad secundam partem, puta quod ad tribuendum esse formaliter relatum, & formaliter simile non opus sit relatione & similitudine distincta. Ad tertium autem quod adducitur in probanda minori negata Nego etiam minorem; & ad quartum & ultimum distinguo majorem sic: ideo probant Thomistæ non determinari parietes albos formaliter similes, nisi similitudine distincta; quia opus est ad hoc similitudine ad modum formæ intrinsecæ: ita quod ly *quia* sit principium seu ultimata ratio, unde hoc deducunt Thomistæ, Nego: ita quod ly quia sit ibi loco principii & rationis ultimatæ Concedo; sed exinde nihil contra nos, ut mox dicemus. Dico igitur rationem adductam in argumento, puta quod non sint duo parietes albi formaliter similes, nisi similitudine distincta, quia opus est ad hoc similitudine ad modum formæ intrinsecæ, esse quidem rationem immediatam, non tamen ultimatam & principiativam datur namque hujus rationis altera ratio, quæ hæc est: in creatis esse tale formaliter, non potest non esse effectus formalis, ut in fine solutionis ostendam; & quia effectus formalis est ipsamet forma ut communicata, consequenter fit quod omne quod est & dicitur formaliter tale in creatis, habeat esse tale ratione alicujus sibi communicati & superadditi.

Jam sic est, quod seclusâ in præsenti casu [& sic in aliis casibus & exemplis, quæ in hac vel aliis materiis objici solent] seclusa inquam relatione sive similitudine ad modum formæ alicujus intrinsecæ, non est tunc assignabile, quid sit illud, quo superaddito & communicato parietibus albis, sint & dicantur formaliter similes, cum albedo non possit esse tale quid, utpote quæ est etiam id quod est, & dicitur formaliter simile, subindeque & indigens aliquo ad modum formæ superadditæ & communicatæ, quo fiat & dicatur talis albedo formaliter similis; ex eo scilicet quod in creatis adunari non possunt & identificari ly *quod est*, & ly *quo est*: Ergo dato quod prima & immediata ratio supra adducta negari soleat dum nudè & nuda proponitur; non tamen negabitur in præsenti, ut pote quæ fulcitur hic irrefragabili principio puta quod in creatis esse formaliter tale sit effectus formalis, & quod in creatis adunari non possint ly *quod est*, & ly *quo est*; quorū quidem primū ex eo *Nota.*

 evi-

evidenter patet quod ad differentiam entis increati quod est per seipsum, & non per causam tale, esse tale in creatis sit tale per causam, & causa illa non alia esse possit, quam formalis causa cum supponatur tale formaliter. Ratio verò secundi non sit minus evidens, cum id *quod est* & id *quo est*, se habeant ut perfectibile & perfectio; & in creatis adunari non possint perfectibile & perfectio; aliàs creatum ens esset sua perfectio, non autem perfectum per aliud: non ergo recurrimus & nos ad negatum principium in assignanda ratione quare ad tribuendum esse formaliter simile, sive formaliter relatum opus semper sit similitudine, sive relatione ad modum formæ intrinsecæ, subindeque & opus sit similitudine & relatione distincta & superaddita ei, quod dicitur formaliter simile, sive formaliter relatum.

Instabis: Ideò ergo est de necessitate admittenda relatio sive similitudo superaddita & distincta, quia necessaria est ad denominandum & tribuendum esse formaliter simile; sed nulla est necessitas hanc admittendi denominationem formaliter similis: Ergo nec est necessitas admittendi similitudinem distinctam. *Probatur Minor*: hoc ipso quod nihil facit denominatio illa formalis, ad quod non sufficiat denominatio absoluta, sive esse tale absolutè loquendo, nulla est hoc ipso necessitas hanc admittendi denominationem formaliter similis: sed nil de facto facit denominatio illa formalis, ad quod non sufficiat denominatio absoluta: Ergo nulla est necessitas hanc admittendi denominationem formaliter similis, sive formaliter relati. *Probatur Minor*: quod denominentur aliqua formaliter similia facit, quod ea comparet intellectus, & de his pari modo discurrat: sed hoc ipso quod absolutè loquendo similia sunt, ea etiam ad invicem comparat intellectus, & de illis pari modo discurrit: Ergo nihil de facto facit denominatio illa formalis, sive esse tale formaliter, ad quod non sufficiat denominatio absoluta, sive esse tale absolutè loquendo.

Nota.

Respondeo Negando minorem, ad cujus probationem Nego similiter Minorem: per hoc enim quod fit denominatio formalis, sive per hoc quod res sit formaliter talis novum quoddam constituens genus cum forma per quam fit formaliter talis, utpote ei tunc communicata & superaddita, sit ab ea alterius rationis, & quidem genericæ ut plurimum; quod quidem patet in exemplo de duobus albis. Hæc namque seclusa forma, seu relatione superaddita similitudinis denominantur

nantur denominatione absoluta similia; ita tamen quod maneant semper intra limites generis qualitatis & entis absoluti, cum nihil hoc ipso habeant, cujus totum esse sit ad aliud: at verò hoc ipso quod fiunt formaliter similia per adventum formæ, seu relationis similitudinis distinctæ, extrahuntur tunc duo illa alba, aut quasi extrahuntur è genere qualitatis, & ponuntur reductivè in genere relationis, quod per hanc relativam & superadditam formam tunc constituitur: cum ergo quod facit unum genus non possit aliud facere & præstare. Consequenter fit falsam esse minorem præfatam quod scilicet nihil faciat denominatio formalis, seu esse tale formaliter, ad quod non sufficiat denominatio absoluta, seu esse tale absolutè loquendo; proindeque & falsum est quod frustra & sine necessitate addatur denominatio illa formalis, supposita denominatione absoluta; cum arguat illa novum genus, entis scilicet relativi, quod quidem genus admittendum esse probat sufficienter numerus prædicamentorum, de quo supra.

Tandem ad ultimum negari possunt & major, & minor; major quidem si cum hac restrictione intelligatur, ita ut nihil aliud faciat denominatio formalis, & ad nihil aliud deserviat, quam ad hoc ut ea quæ denominantur formaliter similia, verbi gratia, comparet intellectus & de his pari modo discurrat; siquidem deservit maximè denominatio illa formalis ad novum arguendum sive ponendum genus entis quod quidem non poneretur nec daretur, si quod facit denominatio formalis, puta esse formaliter relatum seu simile, ad hoc sufficeret denominatio absoluta seu esse tale fundamentaliter & absolutè. Similiter negari potest & minor, si nimirum hunc faciat sensum, ita ut pari omnino modo discurrat intellectus de his quæ sunt absolutè & fundamentaliter similia, ac de his quæ sunt formaliter similia; quin immo omnino diverso modo, aut saltem cum formalitate omnino diversa discurrit; siquidem de iis discurrit intra lineam & genus entis relativi, ut ex dictis supra colligitur; cum è contra de aliis quæ sunt solum absolutè & fundamentaliter similia, intra genus & lineam entis absoluti discurrat.

Objicies secundò, Si esset relatio realiter à parte rei distincta à fundamento, esset maximè per suum esse *ad*: sed non potest relatio per suum esse *ad* distingui realiter & à parte rei à fundamento; Ergo sub nulla ratione distingui potest realiter. *Major* per se patet; si enim esset relatio realiter distin-

cta à fundamento quod supponitur absolutum ens, esset maximè ex ratione entis relativi, quæ quidem ratio constituitur per esse *ad*. *Probatur minor*: distinctio realis esse non potest nisi inter extrema realia: sed relatio secundum esse *ad*, non est realis: Ergo neque per esse *ad* distingui potest realiter. *Major* est certissima. *Probatur Minor*: quod est univocum enti reali, & rationis esse non potest reale quid, ut per se patet: sed esse ad aliud univocè convenit enti reali & rationis; & quidem ex Divo Thoma *1. part. quæst.* 28. *articul.* 1. ubi dicit quod *solum in his quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur propriè aliqua secundum rationem tantum, quod non est in aliis generibus; eo quod ea quæ dicuntur ad aliquid solum significant secundum propriam rationem respectum ad aliquid*: Ergo relatio secundum esse *ad* esse non potest reale quid.

Respondeo Negando minorem, primi & secundi argumenti, quarum quidem falsitas abundè colligitur ex dictis supra, præsertim in præmissis, ubi ostensum fuit, relationem prædicamentalem realem esse, etiam secundum conceptum *ad*. Unde ad tertium Nego similiter minorem. Neque illud inferatur ex testimonio adducto ex Divo Thoma ex quo solum infertur quod ratio propria relationis, licet analoga reali relationi & relationi rationis, propriè tamen dicatur de utroque analogato, ad differentiam aliorum generum, verbi gratia, quantitatis & qualitatis, quæ non solum non conveniunt univocè sed analogicè cum quantitatibus & qualitatibus ab intellectu confictis, seu quæ sunt secundum rationem tantum; sed nec ratio illis analoga dicitur propriè de qualitatibus aut quantitatibus ab intellectu confictis, sed solum propriè dicitur de quantitatibus & qualitatibus realibus.

Nota. Quod si quæras undenam, & ex quo fundamento id habeam, quod ratio propria relationis sive conceptus *ad* non univocè sed analogicè tantum conveniat enti reali & rationis, sive relationi reali & relationi rationis, & tamen adhuc propriè conveniat utrique; cum tamen alia genera nec univocè nec propriè conveniant enti reali & rationis: respondeo, quod id præcipuè colligo & deduco ex discrimine quod intercedit inter genus relationis & alia prædicamentalia genera etiam quantum ad realitatem quam participant. Hoc enim intercedit discrimen, quod genus prædicamentale relationis, quamvis secundum propriam ra-

rationem sit reale quid sicut & alia genera, propterea quod ordo ad subjectum ex quo habet esse reale & subjectivum est inseparabilis & impræscindibilis à quacumque ratione in quocumque accidenti realiter repertâ, nihilominus non explicat genus relationis secundum propriam rationem talem realitatem; cum secundum propriam rationem non expliceet ordinem ad subjectum, licet illum implicitè imbibat, sed solum explicet ordinem ad terminum; ac proinde cum ex sola realitate impediri posset, ne propria ratio relationis conveniat etiam relationibus rationis, & hæc in tali ratione non explicetur ut dictum fuit, consequenter fit quod non impediat; atque ita quod propria ratio generis relativi adhuc conveniat propriè entibus seu relationibus rationis; non tamen univocè, cum ratio illa propria generis relativi, licet non explicet realitatem, adhuc tamen eam implicitè imbibat, quod haud dubiè obstat participationi univocæ, juxta illud: *enti reali & rationis ut talia sunt, nihil est univocè commune.*

Iam vero de aliis generibus aliter est philosophandum; hæc enim non tantum supponuntur realia ex propriâ ratione, sed etiam ex propria ratione realitatem explicant; tùm quia ex propria ratione sunt quid, seu aliquid, non autem tantum ad aliquid, ut relativum genus; tum etiam quia ex propria ratione vel sunt explicitè subjectum, vel explicant ordinem ad subjectum ex quo quidem ordine habent esse reale; ac proinde talia sunt & talis naturæ, quod nedùm non univocè, sed neque propriè convenire possit eorum ratio enti rationis, puta quantitatibus & qualitatibus ab intellectu confictis.

Instabilis: ideò ergo ratio propria relationis propriè convenit relationibus rationis, licet non univocè, quia licet realitatem imbibat, non tamen illam explicat: sed hæc doctrina stare non potest juxta præfatum testimonium divi Thomæ: Ergo non est præfata solutio juxta mentem & inventum divæ Thomæ. *Probatur Minor:* juxta præfatum testimonium solius est relativi generis inveniri propriè in entibus rationis; sed si propriè inveniretur quia realitatem non explicat, non esset solius relativi generis, sed etiam generis actionis inveniri propriè in entibus rationis; cum hæc secundum proprium conceptum actionis, & ut dicit *ab* non explicet realem inhærentiam, sed solum egressum & emanationem ab agente: Ergo præfata solutionis doctrina

ſtare non poteſt cum citato teſtimonio divi Thomæ.

Reſpondeo negando minorem, ad probationem verò Nego ſimiliter minorem: ſolius enim eſt relativi generis, quod realitatem non explicet in proprio conceptu; neque eſt hoc commune generi actionis, ut prætendit arguens cujus quidem diſparitatis ratio eſt, quia relativum genus non ex alio capite habet poſſe explicare realitatem in proprio conceptu, niſi ex inhærentia, ſeu ex ordine ad ſubjectum, cum ex duobus tantum conſtetur conceptibus, puta ex conceptu *in*, & ex conceptu *ad*, & ex hoc ultimo explicare non poſſit realitatem, ut dictum eſt ſupra; ac proinde cum de facto non explicet relativum genus præfatum ordinem ad ſubjectum, in proprio conceptu; ideo fit quod nec explicet, & exprimat in proprio conceptu realitatem.

At vero genus actionis ex alio capite habet exprimere & explicitè importare realitatem, quam ex capite inhærentiæ, ſeu ordinis ad ſubjectum; cum ex eo etiam quod dicit eſſe *ab*, ſive ex proprio ordine, quem dicit ad agens habeat eſſe reale quid, & exprimere realitatem; propterea quod agens inquantum tale realitatem importat explicitè, & in quantum tale denominatur ab actione, inquantum dicit eſſe *ab*; cum igitur genus actionis & ex alio capite, quam ex capite inhærentiæ habeat explicare realitatem, ad differentiam generis relativi, conſequenter fit, quod quamvis in proprio conceptu non importet explicitè inhærentiam, ſive ordinem ad ſubjectum, adhuc tamen realitatem explicet ex proprio conceptu; atque ita conſona manet præfatæ ſolutionis doctrina cum citato teſtimonio divi Thomæ, quod ſcilicet ſolius ſit relativi generis inveniri propriè in entibus rationis, ex eo quod realitatem non explicet in proprio conceptu; cum hoc ſolius ſit relativi generis nec competat etiam generi actionis quantumvis non exprimat actio inhærentiam, ſive ordinem ad ſubjectum ex proprio conceptu.

Objicies tertiò, inintelligibile eſt variari intrinſecè parietem A, verbi gratia, ex variatione parietis B; ſed ſi relatio eſſet realiter diſtincta & ſupperaddita fundamento, hoc ſequeretur: Ergo intelligibile eſt, eſſe relationem realiter diſtinctam à fundamento. *Minor* eſt evidens, ſiquidem hoc ipſo quod variaretur paries B, nova in pariete A, exurgeret relatio, qua quidem utpote in hoc caſu realiter ſuperaddita non poteſt non mutari. *Probatur Major*: inintelligibile eſt, variari pa-

rie-

rietem A, quamdiu circa illum non exercetur qui variat; sed si variaretur ad variationem parietis B, variaretur, dum circa illum non exerceretur qui variat; cum solum circa parietem B, supponatur tunc exerceri qui variat: Ergo inintelligibile est variari parietem A, intrinsecè, ad variationem parietis B.

Respondeo distinguendo majorem sic: inintelligibile est variari parietem A, intrinsecè ad variationem parietis B: si sermo sit de variatione in absolutis. Concedo, quod sit hoc inintelligibile; si autem sermo sit, ut de facto est, de variatione in relativis, Nego; & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam. Dico igitur pro difficultatis hujus intelligentiâ, quam mirum in modum extollunt adversarii, sed [meo judicio] multum pueriliter; dico, inquam, hoc intercedere discrimen inter absoluta & relativa, quod cum relativa ex sui naturâ habeant hoc ipso totum suum esse ad aliud, non sunt propterea in esse suo ab alio absoluta, sicut sunt entia absoluta, quæ hac de causâ sic appellantur, sed potius certam habent connexionem quantum ad esse cum illo alio ad quod sunt: ac proinde sicut inintelligibile non est, ex duobus entibus connexis variari unum intrinsecè ex variatione alterius, ex eo scilicet quod ex vi & natura connexionis unum secum affert & infert aliud, consequenter fit, quod nec inintelligibile sit quod varietur intrinsecè paries A. in relativis, seu ratione novæ alicujus relationis in eo exurgentis, aut de novo deperditæ, ad variationem parietis B. Unde ad probationem potest sic distingui major, inintelligibile est, variari parietem A, quamdiu circa illum non exercetur qui variat, si circa illum non exerceatur nec formaliter, nec virtualiter seu æquivalenter, Concedo: si vero circa illum non exerceatur qui variat, formaliter, bene tamen virtualiter seu æquivalenter, Nego.

Iam sic est, quod quamvis ille qui variat, puta vel dealbando vel denigrando parietem B, non exerceatur formaliter circa parietem A, exercetur tamen virtualiter, seu æquivalenter, quantum ad variationem in relativis, ratione scilicet connexionis quæ supponitur inter illa, & ratione cujus, sicut unum stare non potest sine altero, nec unum per consequens variari potest, quin hoc ipso varietur & aliud. Etenim cum vis & natura connexionis hoc præstet, quod unum secum afferat & inferat aliud, præstat per consequens, quod variatio unius secum afferat & inferat variationem alte-

 rius,

rius, quantum ad esse vel non esse ; & sic facit quod ubi qui variat, exercetur formaliter circa unum, virtualiter etiam & æquivalenter exerceatur circa aliud. Nobis tamen quod quamvis relativa ita connexa sint, non tamen propterea sequitur quod ad productionem & novam positionem unius, novæ exurgant relationes in aliis singulis, quæ incipiunt ad istud referri, subindeque & novæ mutationes : neque enim opus est, tot multiplicari relationes, quod multiplicantur termini ; cum juxta sententiam divi Thomæ *3. part. quæst. 35. art. 5.* eadem numero relatione referatur quis ad plures terminos, quos scilicet sub eadem ratione respicit, ut pater ad plures filios, Dominus ad plures servos, & magister ad plures discipulos, quos eadem doctriâ instruit ; & similiter idem album eadem numero relatione similitudinis refertur ad plura, quæ cum illo in eodem gradu & intentione albedinis conveniunt.

Instabis : quantumcumque connexi sint paries A, & paries B, in relativis, non potest ad variationem parietis B, nova exurgere relatio in pariete A, qua varietur : Ergo nulla solutio. *Probatur antecedens* : non potest nova exurgere relatio nisi ex vi actionis alicujus ; sed non est in præsenti casu assignabilis talis actio : Ergo nec potest ibi ad variationem parietis B, nova exurgere relatio in pariete A, quâ varietur. *Major* est certa, cum omne quod est de novo, vel fit per actionem quam per se primò terminat, vel fit per resultantiam, ad quam similiter prærequiritur actio, ad aliud scilicet terminata ex quo resultat : *Probatur Minor*, non alia assignabilis est actio ex qua nova exurgat relatio, nisi ex qua productum fuit fundamentum putà albedò : sed actio qua producta fuit albedo in pariete A jam ponitur transiisse ; quando variatur paries B. Ergo non est in præsenti casu assignabilis talis actio.

Respondeo negando antecedens; ad cujus probationem Nego Minorem ; ad tertium dico quod cum ad relationem non detur per se motus ex Philosopho, ideò dicendum est, quod resultat relatio tanquam terminus secundarius ad actionem productivam sui fundamenti, dependenter tamen ab aliquo extrinseco, scilicet à positione sui termini; unde fit quod usque ad positionem termini non resultet relatio : Cum autem ponitur terminus, etiam si actio productiva fundamenti formaliter transierit ; imò etiam si agens quod tale produxit fundamentum non existat in rerum naturâ, quia tamen ipsum agens

& ejus actio existunt tunc virtualiter in effectu seu fundamento a se producto, putà in albedine, ideò fit, quod ad ejus actionem sequatur tanquam terminus secundarius ipsa relatio, subindeque & quod assignabilis sit actio ex qua nova exsurgat relatio in pariete A, etiam dum variatur paries B. Quia verò plures ex adversariis, qui solum à limine Thomistarum salutant doctrinam, ad hoc dicere solent, quod qua facilitate adducitur eadem facilitate negatur, placet propterea hoc idem confirmare exemplo irrefragabili; unde quæro ab iis: Nunquid non existente formaliter actione nec agente quod produxit lapidem, cujus quidem motus in centrum de facto non fuit secutus, vel propter aliquod impedimentum, vel propter defectum alicujus conditionis ad motum requisitæ, nunquid, inquam, ablato tali impedimento vel posita tali conditione resultat motus in centrum tanquam terminus & effectus secundarius actionis illius productivæ lapidis, utpote quæ in suo effectu primario, putà in ipso lapide virtualiter permanebat? Cum ergo in hoc exemplo præfatam supra admittant doctrinam, vel certè admittere debeant, si boni sint & cordati Philosophi, num qua facilitate adduximus, eadem facilitate negare possint tuo [Lector] relinquo judicio? *Nota.*

Objicies quartò, Si esset relatio distincta à parte rei à fundamento, vel esset ab eo distincta ut res à re, vel tanquam modus: sed nec ut res à re, nec tanquam modus distingui potest relatio à fundamento: Ergo non est relatio distincta à parte rei à fundamento. *Probatur Minor*: & primo quidem quoad primam partem. Relatio inter omnia genera habet esse minimum & debilissimum, ut dicit Divus Thomas 4. *contra gent. cap.* 14. Sed si esset distincta à fundamento ut res à re, non esset inter omnia genera minimum & debilissimum; cum alia sint genera, quæ sunt tantum modi, & non realitates, ut ubi, situs, & alia similia; Ergo distingui non potest relatio à fundamento tanquam res à re, sive tanquam realitas & entitas superaddita entitati atque realitati fundamenti. Jam verò quod non distinguatur à fundamento ut modus à re probatur sic: eadem est realitas sive realis entitas rei & modi: sed non potest esse una & eadem realitas & entitas relationis & fundamenti: Ergo nec distingui potest relatio à fundamento ut modus à re. *Probatur Minor*: inintelligibile est quod eadem realiter entitas sit substantia & accidens ipsi substantiæ inhærens, cum inhærentia accidentis prædicamentalis, ad differentiam accidentis prædicabilis, sit per talem informationem

tionem & inhæsionem formæ in subjecto: sed ut asserit divus Thomas *quæst. 9. de potentia, art. 9.* Relatio verè & propriè inhæret; & subjectum cui inhæret est aliquando fundamentum, quod contingit, quando relatio fundatur immediatè in substantia, ut relatio identitatis specificæ inter duos homines, vel relatio mensurabilis ad mensuram, qua quælibet substantia creata refertur ad Deum: Ergo non potest tunc esse una & eadem realitas atque realis entitas relationis & fundamenti: sed par est ratio quantum ad distinctionem à fundamento de una relatione ac de altera: Ergo nusquam potest esse una & eadem realitas & entitas relationis & fundamenti.

Respondeo Negando Minorem; pro quo dico, quod quamvis controvertatur apud Thomistas de modo quo distinguitur à parte rei relatio à fundamento, adeò ut plures sint, inter quos est Joannes à Sancto Thoma, contendentes distingui solum relationem à fundamento tanquam modum à re, probabilius tamen existimo oppositum, atque menti & doctrinæ Angelici Præceptoris magis consonum, ut facilè colligitur ex testimoniis infra adductis. Dico igitur distingui relationem prædicamentalem à fundamento ut rem à re; & hoc tum ob rationem expositam in argumento, ex qua habetur aliquando relationem verè & realiter inhærere suo fundamento, quæ quidem inhærentia salvari non potest si solum distingueretur ut modus, adeo ut una & eadem esset realitas fundamenti & relationis; adeoque cum pari modo philosophandum videatur de una & altera relatione quantum ad distinctionem à fundamento, dicendum consequenter videtur nullam relationem prædicamentalem distingui posse à fundamento præcisè tanquam modum; tum etiam quia si relatio solum adderet formalitatem modi, non autem entitatem aliquam supra suum fundamentum, nec etiam resultaret ad illud per veram resultantiam & emanationem: non enim potest intelligi realiter emanare ab aliquo, nisi quod ab illo est realiter entitativè distinctum; qua de causa non dicimus, quod gradus intensionis qualitatis, sive quod esse qualitatem intensam ut quatuor, resultet & emanet ab ipsa qualitate, quamvis dicat modum qualitatis, propterea quod non est alia entitas à qualitate, sed potius est ipsa qualitas: Jam sic est quod apud Thomistas conceditur communiter, haberi relationem per resultantiam & emanationem à fundamento.

Nota.

Non ergo est negandum in via & doctrina Thomistarum „ quod distinguatur relatio, ut res à re à fundamento, non verò solum-

solummodo tanquam modus.

Unde ad rationem quæ affertur in contrarium ab arguente, quæque affertur similiter à Joanne à S. Thoma pro stabilienda distinctione sua solum modali, ad hanc, inquam, rationem respondeo Negando minorem. Licet enim alia sint genera quæ sint tantum modi, adhuc tamen verificatur esse relationem minimum & debilissimum, quantumvis importet & afferat realitatem & distinguatur ut res à re cujus ratio est quia realitas illa quam affert, cum sit ex suo genere relativa, est consequenter talis ex sua natura, ut simpliciter loquendo dici non possit quid seu aliquid, sed solum ad aliquid; adeo ut licet habeat esse & entitatem, illud tamen minimè exprimat ex ratione sui generis: Jam sic est quod alia genera; putà ubi, situs, &c. Quantumvis sint tantum modi, habent tamen ex ratione sui generis, esse quid seu aliquid, & habent exprimere esse, quin imò ipsum esse, sive ipsa existentia est modale quid, ut demonstrabimus in Metaphysica: Ergo licet relatio sit realitas quædam, & alia à realitate sui fundamenti, adhuc tamen verificatur, quod sit ex genere suo minimum & debilissimum.

Instabis eo eodem Joanne à sancto Thoma: fieri non potest quod ex relationibus prædicamentalibus una sit res, & altera modus: sed datur una prædicamentalis relatio, quæ non est res, sed tantum modus: Ergo omnis prædicamentalis relatio est solum modus, subindeque & solum modaliter distincta. *Major* est certa: non enim fieri potest quod ea quæ directè & per se sunt ejusdem generis ita se habeant, ut unum sit res, & aliud modus. *Probatur Minor:* potest in ubi & situ aliisque modis fundari aliqua relatio, v. g. similitudinis, vel dissimilitudinis, effectus vel causæ: sed relatio fundata in modo non potest esse res sed tantum modus: Ergo datur relatio quæ non est res sed tantum modus. *Probatur Minor:* fundata entitas esse non potest perfectior quam ea quæ fundat: sed si relatio fundata in modo esset res, hoc sequeretur: Ergo relatio fundata in modo esse non potest res, sive realitas, sed tantum modus.

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem Nego similiter minorem; ad tertium autem in quo sita est vis argumenti Nego etiam Minorem, & quidem duplici de causa: primo quia quantumcumque relatio fundata sit res & realis entitas, & modus fundans sit tantum modus, adhuc tamen salvatur, quod res illa non est ex propria ratione quid sed solum ad aliquid; cum ècontra modus ille fundans sit verè quid, ex quo ulterius fit quod res illa fundata non dicat ex propria

ratio-

ratione esse sive existere, cum è contra esse sive existere ingrediatur & ingredi possit conceptum modi, imo & aliquando sit ipse modus, ut dictum est supra: Jam sic est quod omnis perfectio attenditur & mensuratur per esse, vel simpliciter dictum, vel tale ut consideranti patebit; Ergo quantumvis relatio fundata supra modum sit res, non tamen propterea sequitur quod perfectius sit id quod fundatur, quam id quod fundat; cum potius id quod fundatur secundum id quod dicit ex propria ratione præscindat ab omni perfectione; sed prætertea hoc idem colligo, ex eo quod relatio quæ fundatur supra modum non habet fundari supra illum prout seorsim sumptum ab entitate rei cujus est modus, sive prout præcisè formalitas est; cum fundetur supra illum tanquam ab illo resultans & emanans, subindeque & aliqualem supponat in tali modo efficientiam & activitatem, quæ haud dubiè inveniri non potest in eo ut seorsim sumpto ab entitate quam secum affert: Cum igitur modus ille sumptus entitativè, sive cum entitate rei cujus est modus sit haud dubiè perfectior entitas, quam relatio fundata, quantumvis hæc supponatur esse res, consequenter fit, quod quamvis relatio fundata in modis non sit modus sed res, non propterea illud sequatur inconveniens de quo supra.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo Divum Thomam omnino favere præfatæ nostræ conclusioni, quod ex tribus præcipuè locis apertè colligo; & primo quidem ex verbis quæ habet *prima parte, quæstione vigesima octava, articulo secundo*, ubi hæc habet: *Sicut in creatis in eo quod dicitur relativè non solum invenitur respectus ad alterum, sed aliquid absolutum; ita in Deo; sed aliter nam id quod invenitur in creatura præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res: in Deo autem non est alia res.* Hæc sanctus Doctor, ex quibus argumentor sic.

Id ex Divo Thoma quod invenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res: atqui non solum subjectum sed etiam fundamentum relationis, utpote utrumque absolutum, est aliquid præter id quod continetur sub significatione nominis relativi: Ergo ex D. Thoma & subjectum relationis, & ipsius relationis fundamen-

mentum sunt alia res à relatione distincta; seu quod in idem redit, sunt aliquid à relatione realiter distinctum.

Secundò hoc idem colligo *ex quaestione octava, de potentia, articulo secundo*, ubi hæc habet sanctus Doctor: *Substantia creata non potest sibi identificare relationem quia est definita ad tale genus, in quo differt ab essentia Dei quæ cum infinita sit & super omnia genera potest alia sibi identificare*, ex quibus sic arguere licet.

Negat Divus Thomas inter substantiam creatam & relationem, identitatem ratione finitatis, quam ponit & asserit inter divinam relationem & Dei essentiam ratione infinitatis: atqui identitas quæ reperitur inter divinam relationem & Dei essentiam ratione infinitatis, est realis identitas ut concedunt omnes, cum infinitas ex qua provenit realis sit: Ergo & negat D. Thomas realem identitatem inter creatam substantiam & relationem: atqui substantia creata est fundamentum aliquarum relationum, earum scilicet quæ immediatè in ea fundantur: Ergo ex D. Thoma non datur realis identitas inter creatam relationem, & ejus fundamentum.

Tertiò denique id colligo *ex 4. contra gent. capite decimo quarto, ad nonum*, ubi hæc habet: *In nobis relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiæ.* Hæc ille ex quibus sic arguo.

Aliud & aliud esse non reperitur, nisi ubi est alia & alia entitas, cum esse vel supponat pro ipsa entitate, vel pro actu ipsius entitatis: atqui ex Divo Thoma habent relationes aliud esse ab esse substantiæ: Ergo & alia est & supponitur ex Divo Thoma relationis entitas ab ipsa entitate substantiæ: atqui substantia est pluries & subjectum & fundamentum relationis, ut supra diximus, & in quæstiuncula sequenti fusiùs dicemus: Ergo ex Divo Thoma relatio est aliud entitativè sive realiter à fundamento.

Dices, quod Divus Thomas *quinto Physicorum textu decimo, lect. tertia*, habet: *Quod nihil advenit mihi de novo per hoc quod incipiam esse alteri æqualis per ejus mutationem*; sed si relatio æqualitatis esset quid realiter distinctum & superadditum non posset non advenire mihi aliquid de novo, per hoc quod inciperem esse alteri æqualis, per ejus mutationem: Ergo ex D. Thoma non est relatio realiter distincta & superaddita ei cujus est relatio.

Respondeo Negando Minorem: licet enim relatio æqualitatis sit quid realiter distinctum & superadditum, adhuc tamen verifi-

verificatur, & quidem juxta mentem & intentum Divi Thomæ, quod incipiam esse alteri æqualis per ejus mutationem, & nihil adveniat mihi de novo; cujus ratio est quia in doctrina Divi Thomæ per eandem relationem, qua ad unum referebat terminum, possum referri ad alium solum materialiter distinctum; id enim expresse docet *tertia parte, quæstione trigesima quinta, articulo quinto*, ac proinde per eandem relationem æqualitatis, quâ tanquam formâ relativâ realiter superadditâ referebat ad Petrum, possum hic & tunc referri ad Paulum, ac proinde & fieri possum ei æqualis, absque eo quod aliquid mihi de novo adveniat, quantumvis relatio æqualitatis sit realiter superadditâ; ex eo scilicet, quod fieri alicui æqualis absque eo quod aliquid de novo adveniat, ex duplici capite potest procedere; vel quia relatio æqualitatis non est aliquid superadditum & distinctum, quod quidem caput respuimus & respuendum probavimus ex Divo Thoma; vel quia relatio æqualitatis qua incipio esse Petro æqualis & quæ supponitur superaddita, eadem supponitur cum ea qua jam æqualis eram Paulo, & sic non opus est ex illo capite ut adveniat aliquid de novo ad hoc ut incipiam esse Petro æqualis; quantumvis æqualis sim per relationem æqualitatis à meipso realiter distinctam. Quod autem sit hæc solutio juxta mentem & intentum Divi Thomæ, præterquam quod ex doctrina supra ex eodem citata colligitur, ulterius colligo *ex quodlibeto primo, articulo secundo*, ubi hæc habet sanctus Doctor: *Propter unam enim quantitatem tanquam propter unam causam est in uno corpore una tantum æqualitas, quamvis sint respectus plures secundum quos diversis corporibus dicitur esse æquale*: ex quibus verbis duo evidenter infero ad intentum; primò quidem quod æqualitas qua quantitas seu corpus quantum æquale dicitur, sit ab ipsa quantitate quæ fundamentum est, realiter distincta; cum loquatur ibi sanctus Doctor de quantitate, & de ejus æqualitate tanquam de causa & de eo cujus est causa: & secundò quod fieri possim æqualis alteri, etiam æqualitate realiter distincta, etsi nihil adveniat mihi de novo, cum ad hoc non opus sit quod addatur nova alia æqualitas, sed per eandem quæ jam supponebatur, referri possim.

Urgebis: Dicit sanctus Doctor *Opuscul. quadragesimo octavo, tractatu de ad aliquid, capite tertio*, non differre relationem à fundamento nisi ratione termini extrinseci; & 1. 2. *quæstione septima, articulo secundo, ad primum*, dicit quod in his quæ ad aliquid dicuntur, denominatur aliquid non solum ab eo

quod

quod inest, sed etiam ab eo, quod extrinsecus adjacet: atqui si relatio constitueret speciale genus entis realis, aliud à fundamento & termino, non possent hujusmodi verba verificari; cum in hoc casu importaret relatio formam intrinsecè denominantem præter fundamentum & terminum: Ergo ex Divo Thoma non constituit relatio speciale genus entis reális, aliud à fundamento & termino.

Respondeo Negando Minorem; intentum enim Divi Thomæ in primo citato testimonio est, quod relatio sit solum terminario & habitudo ipsius entitatis fundamenti ad terminum extrinsecum; ac proinde cum hoc non propterea inferat relativum denominari solum à termino extrinseco, sed denominari potius à sua intrinseca habitudine quam dicit ad terminum extrinsecum, consequenter fit quod adhuc verificetur præfatum testimonium, quamvis constituat relatio speciale genus entis realis, habitudinis scilicet intrinsecæ, quæ alia sit à fundamento & termino. Jam verò quod intentum Divi Thomæ in præfato testimonio sit tale quod supra exposuimus; adeo ut velit quod relatio sit solum habitudo intrinseca ipsius entitatis fundamenti ad terminum intrinsecum patet ex altero adducto testimonio, in quo quidem cum dicat Divus Thomas quod in his quæ dicuntur ad aliquid denominatur aliquid non solum ab eo, quod inest, sed etiam ab eo quod extrinsecus adjacet, admittit per consequens, & quidem manifestè in his quæ sunt ad aliquid, sive in relativis, admittit, inquam, illa denominari etiam ab eo quod inest; jam sic est quod illud quod inest & quo fit denominatio non potest aliud esse quam præfata habitudo intrinseca ipsius entitatis fundamenti ad ipsum terminum extrinsecum: Ergo hoc unicum fuit intentum Divi Thomæ, dum scilicet hæc habet in primo testimonio, quod relatio non differt à fundamento nisi ratione termini extrinseci.

In secundo vero testimonio solum intendit Divus Thomas quod in his quæ sunt ad aliquid, aliquid denominetur, extrinsecè scilicet à relatione existente in altero extremo; ut Deus denominatur extrinsecè Dominus à relatione existente in creatura, & columna denominatur extrinsecè dextra à relatione existente in animali; non autem negat in eo testimonio D. Thomas in his quæ sunt ad aliquid aliqua denominari à relatione ipsis intrinsecè inhærente; quin imò illud ibidem asserit, cum dicat quod in his non solum fit denominatio ab eo quod inest.

QUÆSTIUNCULA.

Quot scilicet sint fundamenta relationis prædicamentalis.

*R*Espondeo, cum Aristotele & D. Thoma *super 5. Metaphys. lect.* 17. tria esse in genere relationis prædicamentalis fundamenta, ad quæ cujuslibet relationis fundamentum potest reduci, quæ quidem tria sunt unitas & numerus; actio & passio; mensura & mensurabile. Hujus autem divisionis sufficientiam probat Angelicus præceptor loco citato dicendo, quod quia licet in pluribus generibus possit esse subjectum relationis, fundamentum tamen solum est illud quod facit unum ordinari ad aliud, consequenter fit, quod juxta solum eorum numerum, quæ faciunt unum ordinari ad aliud assignari debeat fundamentum numerus. Jam sic est, quod ea quæ ita faciunt unum ordinari ad aliud sunt tantum tria. Eo enim omnia quæ ad aliud ordinantur, vel ordinantur ad illud secundum esse, vel secundum operationem seu virtutem operandi, vel secundum proportionem cum alio habitam: si primum, sive si ad aliud ordinentur secundum esse: Ergo ad illud ordinantur per modum mensurabilis, cum unumquodque à quo accipit esse ab eo mensuretur; si vero ad aliud ordinantur secundum operationem seu virtutem operandi: ordinantur consequenter ad illud secundum actionem & passionem, ut ex terminis patet; si demum ordinatur aliquid secundum proportionem, cum proportio propriè loquendo fundetur in quantitate, in qua propriè & principaliter inveniuntur unitas & numerus, quæ talem afferunt proportionem, ideo fit quod hoc tertium relationis genus attendatur penes unitatem & numerum; ac proinde quod tria tantum sint fundamenta relationis, cum solum secundum tria prædicta possit aliquid ordinari ad aliud; ut tamen clarius hæc elucescat veritas, sive divisionis sufficientia placet, simul & juvat eam aliquibus objectionibus discutere & examinare. Unde.

Dices primò, Quod unitas & numerus pertinere solum videntur ad quantitatem: Ergo si sufficiens esset præfata fundamentorum divisio, solum in quantitate tanquam in fundante uni-

unitatem & numerum, in actione & paſſione, & in menſura & menſurabili reperirentur relationum fundamenta : atqui hoc eſt omnino falſum, cum aliquæ etiam ſint relationes, quæ fundantur in qualitatibus, imò & in ſubſtantiis, ut ſunt relationes ſimilitudinis, & eæ quæ dicuntur identitatis : Non ergo ſufficiens eſt fundamentorum diviſio in tria præfata.

Reſpondeo, Quod ſicut dum dicitur unitatem & numerum pertinere ſolum ad quantitatem, hoc ſolum verificatur loquendo principaliter & directè , adeò ut cum hoc ſimul ſtet quod etiam in aliis à quantitate , puta in qualitate & ſubſtantia reperiantur, quamvis minus propriè, & participativè, ratione ſcilicet alicujus aſſimilationis quam habent cum quantitate prout fundat unitatem & numerum ; ita ſimiliter dicendum eſt ad conſequens, quod hoc primum genus relationis fundatur quidem per ſe primo & principaliter in quantitate , in qua ſcilicet unitas & numerus per ſe primò & principaliter reperiuntur ; cum quo tamen ſtat quod minus propriè reperiantur etiam in aliis à quantitate, puta in qualitatibus & ſubſtantiis , in quibus reperiuntur unitas & numerus tranſcendentalis ; quamvis dicendum putem relationes illas quæ ita fundantur in unitate & numero tranſcendentali reduci & reducendas eſſe ad eas, quæ fundantur in quantitate , ex eo ſcilicet quod fundentur in unitatibus , quæ ſe habent ut tales ad modum & ſimilitudinem unitatis & numeri quantitativi.

Dices ſecundò , Quod unitas in qua diximus fundari relationem eſſe non poteſt unitas formalis , nec unitas numerica : Ergo in nulla poteſt unitate ipſa fundari relatio. *Probatur antecedens :* & primo quidem quod unitas fundans relationem eſſe non poſſit unitas numerica oſtendo ſic ; unitas relationem fundans debet eſſe unitas, per quam aliqua duo ſint unum , cum omnis relatio debeat ſemper eſſe inter duo : ſed per unitatem numericam duo aliqua non poſſunt eſſe unum : Ergo non poteſt in unitate numerica fundari relatio. Jam vero quod nec fundari poſſit relatio in unitate formali probatur ſic ; illud in quo fundatur relatio realis debet eſſe ex parte rei reale quid : ſed unitas formalis , ſecundum quod eſt unitas non reperitur à parte rei, ubi potius eſt multiplicitas, ſed ſolum per intellectum : Ergo neque in unitate formali poteſt fundari relatio.

Reſpondeo Conceſſo antecedenti pro prima parte, negando illud pro ſecunda ; unde ad ejus probationem Nego minorem, puta quod unitas formalis ſecundum quod eſt unitas fun-

dans non reperiatur à parte rei. Pro quo notandum est quod quando dicitur fundari relationem realem in unitate formali, non propterea necesse est quod detur una formalis unitas utrique extremo relationis communis, sive in iis una & indivisa manens; quin imò omnino necesse est quod sit alia & alia unitas in extremis cum frequenter ipsa etiam unitas fundans, seu quæ est ratio fundandi fiat etiam extremum relationis & ad aliam referatur, ut patet in relatione æqualitatis quæ est inter duo quanta; non enim solum ipsa corpora quanta dicuntur æqualia, & consequenter extrema relationis, sed ipsæ etiam rationes fundandi, seu quantitates dicuntur æquales: Non ergo debet unitas illa formalis quæ supponitur fundare relationem esse utrique extremo communis, sub qua ratione non reperitur de facto à parte rei; sed debet potius hæc unitas supponere pro duabus unitatibus formalibus identificatis cum unitatibus numericis extremorum, per quas tamen unitates formales, cum sint in utroque extremo ejusdem rationis, utrumque propterea dicitur à parte rei unum formaliter.

Dices tertiò. In primo genere relationis non solum reperiuntur relationes similitudinis, identitatis & æqualitatis, quæ fundantur in unitate qualitatum, substantiarum, & quantitatum, sed etiam reperiuntur relationes dissimilitudinis, diversitatis & inæqualitatis: sed hæ postremæ relationes non videntur posse fundari in unitate, ut patet; nec etiam fundari possunt in numero, in quo solum fundantur relationes proportionis numeri ad numerum: Ergo non debet coarctari primum illud genus seu fundamentum relationis ad unitatem & numerum.

Respondeo Negando Minorem quoad primam partem, puta quod relationes illæ dissimilitudinis, diversitatis & inæqualitatis fundari non possint in unitate; pro quo sciendum est, quod cum unitas indivisionem dicat simul & divisionem à quocumque, cui similis unitas non competit, possunt per consequens in ea fundari relationes similitudinis æqualitatis & identitatis; nec non & dissimilitudinis, diversitatis & inæqualitatis: similitudinis quidem prout scilicet unitas importat & dicit indivisionem; & dissimilitudinis, &c. prout hæc eadem unitas divisionem dicit ab alio; sic Petrus, verbi gratia relationem dicit identitatis specificæ ad Paulum, & relationem diversitatis specificæ ad Leonem, & utraque relatio fundatur in unitate specifica Petri secundum diversos conceptus inadæquatos ejusdem

dem unitatis. Nam secundum quod unitas Petri est indivisio per principia formalia fundat relationem identitatis cum Petro; & secundum quod dicit divisionem à Leone habente diversa principia formalia specifica, fundat relationem diversitatis ad Leonem: ac proinde omnis relatio primi generis fundatur vel in numero vel in unitate.

Dices quartò, Si esset relatio aliqua quæ fundaretur in numero formaliter ut tali & ut condistincto ab unitate, esset maximè illa quæ est inter duos numeros, ut inter duos binarios: atqui talis relatio fundatur potius in unitate & convenientia quæ est inter illos; Ergo non datur relatio aliqua quæ fundetur in numero, nisi solum materialiter, ita quod fundetur in unitate numerorum; sicut fundatur in unitate qualitatum.

Respondeo Negando Majorem; præter namque relationem æqualitatis quæ est inter aliquos numeros ejusdem rationis, quæ quidem ut rectè probat argumentum fundatur in unitate numerorum, reperitur præterea inter numeros alia relatio proportionis numeralis, ut relatio dupli ad subduplum, quæ fundatur in proportione propria numeri ad numerum, & propter quam fundamentum primi generis supponit non tantum pro unitate, sed etiam pro numero.

Dices quintò, Adversus secundum assignatum fundamentum quod nulla est relatio quæ fundetur in actione & passione: malè ergo assignatum est in actione & passione hoc fundamentum. *Probatur antecedens*: Si aliqua esset relatio fundata in actione, esset maximè relatio paternitatis: sed relatio paternitatis nullo modo fundatur in actione, sive sumatur actio propriè pro actione superaddita potentiæ, sive pro ipsa sumatur operativa potentia: Ergo nulla datur relatio quæ fundetur in actione, nec consequenter in passione. *Probatur Minor*: Relatio non potest permanere, non permanente illius fundamento; relatio namque similitudinis verbi gratia inter duo alba, quia fundatur in unitate albedinis, inter illa permanere non potest, nisi dum utrumque permanet album: atqui permanens est relatio paternitatis in Petro verbi gratia transacta ejus actione generativa, imò & permaneret licet à Petro postquam genuit filium auferretur potentia generativa; quod saltem supernaturaliter videtur posse fieri, cum secundum probabiliorem sententiam distinguatur potentia generativa realiter entitativè à substantia, nec sit substantia immediatè & per seipsam operativa: Ergo relatio paternitatis nec in

in actione nec in potentia generativa potest fundari.

Respondeo Negando antecedens, ad cujus probationem Nego minorem, ad tertium verò Nego majorem, sumptam scilicet, ut in præsenti sumitur, generaliter & ut comprehendit etiam relationem causæ ad effectum, hoc enim speciale est relationi causæ ad effectum, quod quamvis fundetur in actione, ita ut ipsa relatio in fieri dependeat ab actione actualiter in se existente, nihilominus infacto esse dependeat solum ab effectu relicto per actionem; ac proinde quamdiu permanet effectus, etiamsi transierit formaliter actio, vel etiam auferatur potentia activa, permaneat tamen relatio causæ ad effectum cujus quidem doctrinæ ratio est quia non alia de causa permanere non potest in aliis relatio sine fundamento, pura relatio similitudinis inter duo alba sine albedine, quia ibi permanentia fundamenti necessaria est ad coexistentiam terminorum relationis, non enim sublata albedine sibi coexistunt duo alba.

Nota.

Jam sic est quod ubi agitur de relatione causæ & effectus, necessaria non est permanentia fundamenti ad coexistentiam terminorum relationis; cum de natura status in facto esse, in quo reperiuntur hi termini, sit permanere transacto ipso fieri, & consequenter transacta ipsa actione; quantumcumque super ipsam fundetur relatio: Ergo quantumvis fundetur relatio causæ ad effectum super ipsam actionem adhuc habet permanere posse etiam transacta actione, ex sola permanentia effectus in facto esse; atque ita cum reducatur paternitas ad relationem causæ ad effectum, habet per consequens posse in patre permanere sine fundamento.

Dices ultimò. Adversus tertium genus relationis, quod mensurabile ad mensuram ut scientia ad scibile semper dicit relationem transcendentalem: atqui transcendentalis relatio est alia à relatione prædicamentali, cum ad differentiam prædicamentalis vagetur per omnia genera; Ergo malè assignatur fundamentum tertii generis relationis prædicamentalis in mensurabili, & mensura. *Probatur Minor:* Relatio quantum ad esse intrinsecum est relatio essentialis subindeque & transcendentalis: sed relatio mensurabilis ad mensuram, est relatio quantum ad esse, cum ut dictum est supra, à quo aliquid accipit esse, ab eo mensuretur, seu quod in idem redit, ab eo & per illud taxetur quantum ad perfectionem sui esse: Ergo relatio mensurabilis ad mensuram est relatio transcendentalis.

Respondeo Distinguendo Majorem: mensurabile ad mensuram semper dicit relationem transcendentalem, præsuppositivè

Con

Concedo: formaliter sub ratione mensurabilis ad mensuram ut terminum nego: & concessa minori nego consequentiam. Notandum ergo & quidem seriò & diligenter hoc intercedere discrimen inter relationem transcendentalem & prædicamentalem, quod transcendentalis non tam explicatur per esse ad aliud, quam per esse ab alio; ex eo scilicet quod consistat illa independentia quadam intrinseca, quæ quidem dependentia non explicatur per *ad*, sed per *ab*, ex quo ulterius fit quod transcendentalis relatio non habeat respicere sub ratione puri termini illud quod respicit, sed sub ratione vel causæ, vel prioris, vel specificativi, &c. è contra verò prædicamentalis relatio totum suum esse habet ad aliud, & illud ad quod non est, respicit nisi sub ratione puri termini, ut statim ostendam, & quidem ratione (meo judicio) convincentissima: cum ergo mensurabile ut terminabile totum suum habeat esse respectivè ad mensuram tanquam ad terminum terminantem; consequenter fit, quod quamvis in mensurabili considerato, secundum quod accipit esse à mensura tanquam à causa sit relatio transcendentalis, adhuc tamen relationem dicat prædicamentalem, quæ propterea fundari dicitur supra relationem transcendentalem. *Nota.*

Jam verò quod vera sit præfata doctrina, puta quod transcẽdentalis relatio non tam dicat esse ad aliud, quam esse ab alio, & è contra prædicamentalis relatio totum dicat esse ad aliud, & consequenter ad purum terminum, nec exprimat esse ab alio, ratio, & quidem (meo judicio) convincentissima est, quia relatio transcendentalis, cum ut talis vagetur per omnia genera & consequenter reperiatur in ente absoluto, etiam in absolutum est, ideo fit quod suus quem dicit respectus debeat esse talis, qui compati possit cum ente ut absoluto, nec extrahat à ratione entis absoluti; jam sic est quod esse ab alio, sive respectus qui explicatur per esse ab alio non extrahit extra rationẽ entis absoluti, sed cum eo potius omnino compatitur, cũ ens creatũ sub omni ratione sit ab alio, & consequenter sub ratione entis absoluti: ergo transcendentalis relatio talis est & debet esse naturę, quod in respectu suo dicat & explicet esse ab alio: è contra verò prędicamẽtalis relatio cum extrahat à ratione entis absoluti, & constituat relativũ genus, debet esse talis in suo respectu, quod cõvenire non possit absoluto enti, sive enti ab alio soluto. Jam sic est quod absolutũ ens, cum non sit solutũ ab alio, à quo est, esse tantũ potest solutũ ab alio ad quod res est: ergo prędicamentalis relatio, ad differentiam transcendentalis debet in respectu *Nota.* *Nota.*

tionem & inhæsionem formæ in subjecto: sed ut asserit divus Thomas *quæst. 9. de potentia, art. 9.* Relatio verè & propriè inhæret; & subjectum cui inhæret est aliquando fundamentum, quod contingit, quando relatio fundatur immediatè in substantia, ut relatio identitatis specificæ inter duos homines, vel relatio mensurabilis ad mensuram, qua quælibet substantia creata refertur ad Deum: Ergo non potest tunc esse una & eadem realitas atque realis entitas relationis & fundamenti: sed par est ratio quantum ad distinctionem à fundamento de una relatione ac de altera: Ergo nusquam potest esse una & eadem realitas & entitas relationis & fundamenti.

Respondeo Negando Minorem; pro quo dico, quod quamvis controvertatur apud Thomistas de modo quo distinguitur à parte rei relatio à fundamento, adeò ut plures sint, inter quos est Joannes à Sancto Thoma, contendentes distingui solum relationem à fundamento tanquam modum à re, probabilius tamen existimo oppositum, atque menti & doctrinæ Angelici Præceptoris magis consonum, ut facilè colligitur ex testimoniis infra adductis. Dico igitur distingui relationem prædicamentalem à fundamento ut rem à re; & hoc tum ob rationem expositam in argumento, ex qua habetur aliquando relationem verè & realiter inhærere suo fundamento, quæ quidem inhærentia salvari non potest si solum distingueretur ut modus, adeo ut una & eadem esset realitas fundamenti & relationis; adeoque cum pari modo philosophandum videatur de una & altera relatione quantum ad distinctionem à fundamento, dicendum consequenter videtur nullam relationem prædicamentalem distingui posse à fundamento præcisè tanquam modum; tum etiam quia si relatio solum adderet formalitatem modi, non autem entitatem aliquam supra suum fundamentum, nec etiam resultaret ad illud per veram resultantiam & emanationem: non enim potest intelligi realiter emanare ab aliquo, nisi quod ab illo est realiter entitativè distinctum; qua de causa non dicimus, quod gradus intensionis qualitatis, sive quod esse qualitatem intensam ut quatuor, resultet & emanet ab ipsa qualitate, quamvis dicat modum qualitatis, propterea quod non est alia entitas à qualitate, sed potius est ipsa qualitas: Jam sic est quod apud Thomistas conceditur communiter, haberi relationem per resultantiam & emanationem à fundamento.

Nota.

Non ergo est negandum in via & doctrina Thomistarum, quod distinguatur relatio ut res à re à fundamento, non vero solum-

solummodo tanquam modus.

Unde ad rationem quæ affertur in contrarium ab arguente, quæque affertur similiter à Joanne à S. Thoma pro stabilienda distinctione sua solum modali, ad hanc, inquam, rationem respondeo Negando minorem. Licet enim alia sint genera quæ sunt tantum modi, adhuc tamen verificatur esse relationem minimum & debilissimum, quantumvis importet & afferat realitatem & distinguatur ut res à re cujus ratio est quia realitas illa quam affert, cum sit ex suo genere relativa, est consequenter talis ex sua natura, ut simpliciter loquendo dici non possit quid seu aliquid, sed solum ad aliquid; adeo ut licet habeat esse & entitatem, illud tamen minimè exprimat ex ratione sui generis: Jam sic est quod alia genera; putà ubi, situs, &c. Quantumvis sint tantum modi, habent tamen ex ratione sui generis esse quid seu aliquid, & habent exprimere esse, quin imò ipsum esse, sive ipsa existentia est modale quid, ut demonstrabimus in Metaphysica: Ergo licet relatio sit realitas quædam, & alia à realitate sui fundamenti, adhuc tamen verificatur, quod sit ex genere suo minimum & debilissimum.

Instabis eo eodem Joanne à sancto Thoma: fieri non potest quod ex relationibus prædicamentalibus una sit res, & altera modus: sed datur una prædicamentalis relatio, quæ non est res, sed tantum modus: Ergo omnis prædicamentalis relatio est solum modus, subindeque & solum modaliter distincta. *Major* est certa: non enim fieri potest quod ea quæ directè & per se sunt ejusdem generis ita se habeant, ut unum sit res, & aliud modus. *Probatur Minor:* potest in ubi & situ aliisque modis fundari aliqua relatio, v. g. similitudinis, vel dissimilitudinis, effectus vel causæ: sed relatio fundata in modo non potest esse res sed tantum modus: Ergo datur relatio quæ non est res sed tantum modus. *Probatur Minor:* fundata entitas esse non potest perfectior quam ea quæ fundat: sed si relatio fundata in modo esset res, hoc sequeretur: Ergo relatio fundata in modo esse non potest res, sive realitas, sed tantum modus.

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem Nego similiter minorem; ad tertium autem in quo sita est vis argumenti Nego etiam Minorem, & quidem duplici de causa: primo quia quantumcumque relatio fundata sit res & realis entitas, & modus fundans sit tantum modus, adhuc tamen salvatur, quod res illa non est ex propria ratione quid sed solum ad aliquid; cum è contra modus ille fundans sit verè quid, ex quo ulterius fit quod res illa fundata non dicat ex propria

ratio-

ratione esse sive existere, cum èconrra esse sive existere ingrediatur & ingredi possit conceptum modi, imo & aliquando sit ipse modus, ut dictum est supra: Jam sic est quod omnis perfectio attenditur & mensuratur per esse, vel simpliciter dictum, vel tale ut consideranti patebit; Ergo quantumvis relatio fundata supra modum sit res, non tamen propterea sequitur quod perfectius sit id quod fundatur, quam id quod fundat; cum potius id quod fundatur secundum id quod dicit ex propria ratione præscindat ab omni perfectione; sed prætereà hoc idem colligo, ex eo quod relatio quæ fundatur supra modum non habet fundari supra illum prout seorsim sumptum ab entitate rei cujus est modus, sive prout præcisè formalitas est; cum fundetur supra illum tanquam ab illo resultans & emanans, subindeque & aliqualem supponat in tali modo efficientiam & activitatem, quæ haud dubiè inveniri non potest in eo ut seorsim sumpto ab entitate quam secum affert: Cum igitur modus ille sumptus entitativè, sive cum entitate rei cujus est modus sit haud dubiè perfectior entitas, quam relatio fundata, quantumvis hæc supponatur esse res, consequenter fit, quod quamvis relatio fundata in modis non sit modus sed res, non propterea illud sequatur inconveniens de quo supra.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

RE*spondeo* Divum Thomam omnino favere præfatæ nostræ conclusioni, quod ex tribus præcipuè locis apertè colligo; & primo quidem ex verbis quæ habet *prima parte, quæstione vigesima octava, articulo secundo*, ubi hæc habet: *Sicut in creatis in eo quod dicitur relativè non solum invenitur respectus ad alterum, sed aliquid absolutum; ita in Deo; sed aliter nam id quod invenitur in creatura præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res: in Deo autem non est alia res.* Hæc sanctus Doctor, ex quibus argumentor sic.

Id ex Divo Thoma quod invenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res: atqui non solum subjectum sed etiam fundamentum relationis, utpote utrumque absolutum, est aliquid præter id quod continetur sub significatione nominis relativi: Ergo ex D. Thoma & subjectum relationis, & ipsius relationis fundamen-

mentum sunt alia res à relatione distincta; seu quod in idem redit, sunt aliquid à relatione realiter distinctum.

Secundò hoc idem colligo *ex quæstione octava, de potentia, articulo secundo*, ubi hæc habet sanctus Doctor: *Substantia creata non potest sibi identificare relationem quia est definita ad tale genus, in quo differt ab essentia Dei quæ cum infinita sit & super omnia genera potest alia sibi identificare*, ex quibus sic arguere licet.

Negat Divus Thomas inter substantiam creatam & relationem, identitatem ratione finitatis, quam ponit & asserit inter divinam relationem & Dei essentiam ratione infinitatis: atqui identitas quæ reperitur inter divinam relationem & Dei essentiam ratione infinitatis, est realis identitas ut concedunt omnes, cum infinitas ex qua provenit realis sit: Ergo & negat D. Thomas realem identitatem inter creatam substantiam & relationem: atqui substantia creata est fundamentum aliquarum relationum, earum scilicet quæ immediatè in ea fundantur: Ergo ex D. Thoma non datur realis identitas inter creatam relationem, & ejus fundamentum.

Tertiò denique id colligo *ex 4. contra gent. capite decimo quarto, ad nonum*, ubi hæc habet: *In nobis relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiæ.* Hæc ille ex quibus sic arguo.

Aliud & aliud esse non reperitur, nisi ubi est alia & alia entitas, cum esse vel supponat pro ipsa entitate, vel pro actu ipsius entitatis: atqui ex Divo Thoma habent relationes aliud esse ab esse substantiæ: Ergo & alia est & supponitur ex Divo Thoma relationis entitas ab ipsa entitate substantiæ: atqui substantia est pluries & subjectum & fundamentum relationis, ut supra diximus, & in quæstiuncula sequenti fusiùs dicemus: Ergo ex Divo Thoma relatio est aliud entitativè sive realiter à fundamento.

Dices, quod Divus Thomas *quinto Physicorum textu decimo, lect. tertia*, habet: *Quod nihil advenit mihi de novo per hoc quod incipiam esse alteri æqualis per ejus mutationem*; sed si relatio æqualitatis esset quid realiter distinctum & superadditum non posset non advenire mihi aliquid de novo, per hoc quod inciperem esse alteri æqualis, per ejus mutationem: Ergo ex D. Thoma non est relatio realiter distincta & superaddita ei cujus est relatio.

Respondeo Negando Minorem: licet enim relatio æqualitatis sit quid realiter distinctum & superadditum, adhuc tamen verifi-

verificatur, & quidem juxta mentem & intentum Divi Thomæ, quod incipiam esse alteri æqualis per ejus mutationem, & nihil adveniat mihi de novo; cujus ratio est quia in doctrina Divi Thomæ per eandem relationem, qua ad unum referebar terminum, possum referri ad alium solum materialiter distinctum; id enim expresse docet *tertia parte, quæstione trigesima quinta, articulo quinto*, ac proinde per eandem relationem æqualitatis, quâ tanquam formâ relativâ realiter superadditâ referebar ad Petrum, possum hic & tunc referri ad Paulum, ac proinde & fieri possum ei æqualis, absque eo quod aliquid mihi de novo adveniat, quantumvis relatio æqualitatis sit realiter superadditâ; ex eo scilicet, quod fieri alicui æqualis absque eo quod aliquid de novo adveniat, ex duplici capite potest procedere; vel quia relatio æqualitatis non est aliquid superadditum & distinctum, quod quidem caput respuimus & respuendum probavimus ex Divo Thoma; vel quia relatio æqualitatis qua incipio esse Petro æqualis & quæ supponitur superaddita, eadem supponitur cum ea qua jam æqualis eram Paulo, & sic non opus est ex illo capite ut adveniat aliquid de novo ad hoc ut incipiam esse Petro æqualis; quantumvis æqualis sim per relationem æqualitatis à meipso realiter distinctam. Quod autem sit hæc solutio juxta mentem & intentum Divi Thomæ, præterquam quod ex doctrina supra ex eodem citata colligitur, ulterius colligo *ex quodlibeto primo, articulo secundo*, ubi hæc habet sanctus Doctor: *Propter unam enim quantitatem tanquam propter unam causam est in uno corpore una tantum æqualitas, quamvis sint respectus plures secundum quos diversis corporibus dicitur esse æquale*: ex quibus verbis duo evidenter infero ad intentum; primò quidem quod æqualitas qua quantitas seu corpus quantum æquale dicitur, sit ab ipsa quantitate quæ fundamentum est, realiter distincta; cum loquatur ibi sanctus Doctor de quantitate, & de ejus æqualitate tanquam de causa & de eo cujus est causa: & secundò quod fieri possim æqualis alteri, etiam æqualitate realiter distincta, etsi nihil adveniat mihi de novo, cum ad hoc non opus sit quod addatur nova alia æqualitas, sed per eandem quæ jam supponebatur, referri possim.

Vrgebis: Dicit sanctus Doctor *Opuscul. quadragesimo octavo, tractatu de ad aliquid, capite tertio*, non differre relationem à fundamento nisi ratione termini extrinseci; & 1. 2. *quæstione septima, articulo secundo, ad primum*, dicit quod in his quæ ad aliquid dicuntur, denominatur aliquid non solum ab eo

quod

quod inest, sed etiam ab eo, quod extrinsecus adjacet: atqui si relatio constitueret speciale genus entis realis, aliud à fundamento & termino, non possent hujusmodi verba verificari; cum in hoc casu importaret relatio formam intrinsecè denominantem præter fundamentum & terminum: Ergo ex Divo Thoma non constituit relatio speciale genus entis reális, aliud à fundamento & termino.

Respondeo Negando Minorem; intentum enim Divi Thomæ in primo citato testimonio est, quod relatio sit solum terminatio & habitudo ipsius entitatis fundamenti ad terminum extrinsecum; ac proinde cum hoc non propterea inferat relativum denominari solum à termino extrinseco, sed denominari potius à sua intrinseca habitudine quam dicit ad terminum extrinsecum, consequenter fit quod adhuc verificetur præfatum testimonium, quamvis constituat relatio speciale genus entis realis, habitudinis scilicet intrinsecæ, quæ alia sit à fundamento & termino. Jam verò quod intentum Divi Thomæ in præfato testimonio sit tale quod supra exposuimus; adeo ut velit quod relatio sit solum habitudo intrinseca ipsius entitatis fundamenti ad terminum intrinsecum patet ex altero adducto testimonio, in quo quidem cum dicat Divus Thomas quod in his quæ dicuntur ad aliquid denominatur aliquid non solum ab eo, quod inest, sed etiam ab eo quod extrinsecus adjacet, admittit per consequens, & quidem manifestè in his quæ sunt ad aliquid, sive in relativis, admittit, inquam, illa denominari etiam ab eo quod inest; jam sic est quod illud quod inest & quo fit denominatio non potest aliud esse quam præfata habitudo intrinseca ipsius entitatis fundamenti ad ipsum terminum extrinsecum: Ergo hoc unicum fuit intentum Divi Thomæ, dum scilicet hæc habet in primo testimonio, quod relatio non differt à fundamento nisi ratione termini extrinseci.

In secundo vero testimonio solum intendit Divus Thomas quod in his quæ sunt ad aliquid, aliquid denominetur, extrinsecè scilicet à relatione existente in altero extremo; ut Deus denominatur extrinsecè Dominus à relatione existente in creatura, & columna denominatur extrinsecè dextra à relatione existente in animali; non autem negat in eo testimonio D. Thomas in his quæ sunt ad aliquid aliqua denominari à relatione ipsis intrinsecè inhærente; quin imò illud ibidem asserit, cum dicat quod in his non solum fit denominatio ab eo quod inest.

QUÆSTIUNCULA.

Quot scilicet sint fundamenta relationis prædicamentalis.

RESpondeo, cum Aristotele & D. Thoma *super 5. Metaphys. lect.* 17. tria esse in genere relationis prædicamentalis fundamenta, ad quæ cujuslibet relationis fundamentum potest reduci, quæ quidem tria sunt unitas & numerus; actio & passio; mensura & mensurabile. Hujus autem divisionis sufficientiam probat Angelicus præceptor loco citato dicendo, quod quia licet in pluribus generibus possit esse subjectum relationis, fundamentum tamen solum est illud quod facit unum ordinari ad aliud, consequenter fit, quod juxta solum eorum numerum, quæ faciunt unum ordinari ad aliud assignari debeat fundamentum numerus. Jam sic est, quod ea quæ ita faciunt unum ordinari ad aliud sunt tantum tria. Eo enim omnia quæ ad aliud ordinantur, vel ordinantur ad illud secundum esse, vel secundum operationem seu virtutem operandi, vel secundum proportionem cum alio habitam: si primum, sive si ad aliud ordinentur secundum esse: Ergo ad illud ordinantur per modum mensurabilis, cum unumquodque à quo accipit esse ab eo mensuretur; si vero ad aliud ordinantur secundum operationem seu virtutem operandi: ordinantur consequenter ad illud secundum actionem & passionem, ut ex terminis patet; si demum ordinatur aliquid secundum proportionem, cum proportio propriè loquendo fundetur in quantitate, in qua propriè & principaliter inveniuntur unitas & numerus, quæ talem afferunt proportionem, ideo fit quod hoc tertium relationis genus attendatur penes unitatem & numerum; ac proinde quod tria tantum sint fundamenta relationis, cum solum secundum tria prædicta possit aliquid ordinari ad aliud; ut tamen clarius hæc elucescat veritas, sive divisionis sufficientia placet, simul & juvat eam aliquibus objectionibus discutere & examinare. Unde.

Dices primò, Quod unitas & numerus pertinere solum videntur ad quantitatem: Ergo si sufficiens esset præfata fundamentorum divisio, solum in quantitate tanquam in fundante uni-

unitatem & numerum, in actione & passione, & in mensura & mensurabili reperirentur relationum fundamenta: atqui hoc est omnino falsum, cum aliquae etiam sint relationes, quae fundantur in qualitatibus, imò & in substantiis, ut sunt relationes similitudinis, & eae quae dicuntur identitatis: Non ergo sufficiens est fundamentorum divisio in tria praefata.

Respondeo, Quod sicut dum dicitur unitatem & numerum pertinere solum ad quantitatem, hoc solum verificatur loquendo principaliter & directè, adeò ut cum hoc simul stet quod etiam in aliis à quantitate, puta in qualitate & substantia reperiantur, quamvis minus propriè, & participativè, ratione scilicet alicujus assimilationis quam habent cum quantitate prout fundat unitatem & numerum; ita similiter dicendum est ad consequens, quod hoc primum genus relationis fundatur quidem per se primo & principaliter in quantitate, in qua scilicet unitas & numerus per se primò & principaliter reperiuntur; cum quo tamen stat quod minus propriè reperiantur etiam in aliis à quantitate, puta in qualitatibus & substantiis, in quibus reperiuntur unitas & numerus transcendentalis; quamvis dicendum putem relationes illas quae ita fundantur in unitate & numero transcendentali reduci & reducendas esse ad eas, quae fundantur in quantitate, ex eo scilicet quod fundentur in unitatibus, quae se habent ut tales ad modum & similitudinem unitatis & numeri quantitativi.

Dices secundò, Quod unitas in qua diximus fundari relationem esse non potest unitas formalis, nec unitas numerica: Ergo in nulla potest unitate ipsa fundari relatio. *Probatur antecedens*: & primo quidem quod unitas fundans relationem esse non possit unitas numerica ostendo sic; unitas relationem fundans debet esse unitas, per quam aliqua duo sint unum, cum omnis relatio debeat semper esse inter duo: sed per unitatem numericam duo aliqua non possunt esse unum: Ergo non potest in unitate numerica fundari relatio. Jam verò quod nec fundari possit relatio in unitate formali probatur sic; illud in quo fundatur relatio realis debet esse ex parte rei reale quid: sed unitas formalis, secundum quod est unitas non reperitur à parte rei, ubi potius est multiplicitas, sed solum per intellectum: Ergo neque in unitate formali potest fundari relatio.

Respondeo Concesso antecedenti pro prima parte, negando illud pro secunda; unde ad ejus probationem Nego minorem, puta quod unitas formalis secundum quod est unitas fun-

dans non reperiatur à parte rei. Pro quo notandum est quod quando dicitur fundari relationem realem in unitate formali, non propterea necesse est quod detur una formalis unitas utrique extremo relationis communis, sive in iis una & indivisa manens; quin imò omnino necesse est quod sit alia & alia unitas in extremis cum frequenter ipsa etiam unitas fundans, seu quæ est ratio fundandi fiat etiam extremum relationis & ad aliam referatur, ut patet in relatione æqualitatis quæ est inter duo quanta; non enim solum ipsa corpora quanta dicuntur æqualia, & consequenter extrema relationis, sed ipsæ etiam rationes fundandi, seu quantitates dicuntur æquales: Non ergo debet unitas illa formalis quæ supponitur fundare relationem esse utrique extremo communis, sub qua ratione non reperitur de facto à parte rei; sed debet potius hæc unitas supponere pro duabus unitatibus formalibus identificatis cum unitatibus numericis extremorum, per quas tamen unitates formales, cum sint in utroque extremo ejusdem rationis, utrumque propterea dicitur à parte rei unum formaliter.

Dices tertiò, In primo genere relationis non solum reperiuntur relationes similitudinis, identitatis & æqualitatis, quæ fundantur in unitate qualitatum, substantiarum, & quantitatum, sed etiam reperiuntur relationes dissimilitudinis, diversitatis & inæqualitatis: sed hæ postremæ relationes non videntur posse fundari in unitate, ut patet; nec etiam fundari possunt in numero, in quo solum fundantur relationes proportionis numeri ad numerum: Ergo non debet coarctari primum illud genus seu fundamentum relationis ad unitatem & numerum.

Respondeo Negando Minorem quoad primam partem, puta quod relationes illæ dissimilitudinis, diversitatis & inæqualitatis fundari non possint in unitate; pro quo sciendum est, quod cum unitas indivisionem dicat simul & divisionem à quocumque, cui similis unitas non competit, possunt per consequens in ea fundari relationes similitudinis æqualitatis & identitatis; nec non & dissimilitudinis, diversitatis & inæqualitatis: similitudinis quidem prout scilicet unitas importat & dicit indivisionem; & dissimilitudinis, &c. prout hæc eadem unitas divisionem dicit ab alio; sic Petrus, verbi gratiâ relationem dicit identitatis specificæ ad Paulum, & relationem diversitatis specificæ ad Leonem, & utraque relatio fundatur in unitate specifica Petri secundum diversos conceptus inadæquatos ejusdem

dem unitatis. Nam secundum quod unitas Petri est indivisio per principia formalia fundat relationem identitatis cum Petro; & secundum quod dicit divisionem à Leone habentre diversa principia formalia specifica, fundat relationem diversitatis ad Leonem: ac proinde omnis relatio primi generis fundatur vel in numero vel in unitate.

Dices quartò, Si esset relatio aliqua quæ fundaretur in numero formaliter ut tali & ut condistincto ab unitate, esset maximè illa quæ est inter duos numeros, ut inter duos binarios: atqui talis relatio fundatur potius in unitate & convenientia quæ est inter illos; Ergo non datur relatio aliqua quæ fundetur in numero, nisi solum materialiter, ita quod fundetur in unitate numerorum; sicut fundatur in unitate qualitatum.

Respondeo Negando Majorem; præter namque relationem æqualitatis quæ est inter aliquos numeros ejusdem rationis, quæ quidem ut rectè probat argumentum fundatur in unitate numerorum, reperitur prætérea inter numeros alia relatio proportionis numeralis, ut relatio dupli ad subduplum, quæ fundatur in proportione propria numeri ad numerum, & propter quam fundamentum primi generis supponit non tantum pro unitate, sed etiam pro numero.

Dices quintò, Adversus secundum assignatum fundamentum quod nulla est relatio quæ fundetur in actione & passione: malè ergo assignatum est in actione & passione hoc fundamentum. *Probatur antecedens*: Si aliqua esset relatio fundata in actione, esset maximè relatio paternitatis: sed relatio paternitatis nullo modo fundatur in actione, sive sumatur actio propriè pro actione superaddita potentiæ, sive pro ipsa sumatur operativa potentia: Ergo nulla datur relatio quæ fundetur in actione, nec consequenter in passione. *Probatur Minor*: Relatio non potest permanere, non permanente illius fundamento; relatio namque similitudinis verbi gratia inter duo alba, quia fundatur in unitate albedinis, inter illa permanere non potest, nisi dum utrumque permanet album: atqui permanens est relatio paternitatis in Petro verbi gratia transacta ejus actione generativa, imò & permaneret licet à Petro postquam genuit filium auferretur potentia generativa; quod saltem supernaturaliter videtur posse fieri, cum secundum probabiliorem sententiam distinguatur potentia generativa realiter entitativè à substantia, nec sit substantia immediatè & per seipsam operativa; Ergo relatio paternitatis nec in

 actione

Concedo: formaliter sub ratione mensurabilis ad mensuram ut terminum nego: & concessa minori nego consequentiam. Notandum ergo & quidem serió & diligenter hoc intercedere discrimen inter relationem transcendentalem & prædicamentalem, quod transcendentalis non tam explicatur per esse ad aliud, quam per esse ab alio; ex eo scilicet quod consistat illa independentia quadam intrinseca, quæ quidem dependentia non explicatur per *ad*, sed per *ab*, ex quo ulterius fit quod transcendentalis relatio non habeat respicere sub ratione puri termini illud quod respicit, sed sub ratione vel causæ, vel prioris, vel specificativi, &c. è contra verò prædicamentalis relatio totum suum esse habet ad aliud, & illud ad quod non est, respicit nisi sub ratione puri termini, ut statim ostendam, & quidem ratione [meo judicio] convincentissima: cum ergo mensurabile ut terminabile totum suum habeat esse respectivè ad mensuram tanquam ad terminum terminantem; consequenter fit, quod quamvis in mensurabili considerato, secundum quod accipit esse à mensura tanquam à causa sit relatio transcendentalis, adhuc tamen relationem dicat prædicamentalem, quæ propterea fundari dicitur supra relationem transcendentalem. *Nota*

Jam verò quod vera sit præfata doctrina, puta quod transcendentalis relatio non tam dicat esse ad aliud, quam esse ab alio, & è contra prædicamentalis relatio totum dicat esse ad aliud, & consequenter ad purum terminum, nec exprimat esse ab alio, ratio, & quidem (meo judicio) convincentissima est, quia relatio transcendentalis, cum ut talis vagetur per omnia genera & consequenter reperiatur in ente absoluto, etiam in absolutum est, ideo fit quod suus quem dicit respectus debeat esse talis, qui compati possit cum ente sic absoluto, nec extrahat à ratione entis absoluti; jam sic est quod esse ab alio, sive respectus qui explicatur per esse ab alio non extrahit extra rationē entis absoluti, sed cum eo potius omnino compatitur, cū ens creatū sub omni ratione sit ab alio, & consequenter sub ratione entis absoluti: ergo transcendentalis relatio talis est & debet esse naturæ, quod in respectu suo dicat & explicet esse ab alio: è contra verò prędicamētalis relatio cum extrahat à ratione entis absoluti, & constituat relativū genus, debet esse talis in suo respectu, quod convenire non possit absoluto enti, sive enti ab alio soluto. Jam sic est quod absolutū ens, cum non sit solutū ab alio, à quo est, esse tantū potest solutū ab alio ad quod res est: ergo prędicamentalis relatio, ad differentiam transcendentalis debet in respectu *Nota* *Nota*

suo præscindere à ly ab alio,& totum suum esse dicere & habead aliud tanquam ad purum terminum.

QUÆSTIO VIII.

Utrum prædicamentalis relatio terminetur formaliter ad relativum, an verò ad absolutum.

PRæmittendum 1. Pro declaratione tituli, quod ubi inquiritur de termino relationis, an scilicet absolutus sit, vel respectivus, procedit ibi quæsiti sensus & usurpandus est in sensu formali, non materiali; adeò ut sensus sit, an terminus relationis prædicamentalis, qui quidem materialiter sumptus sive pro re quæ denominatur terminus, supponitur quid absolutum, exerceat formalitatem termini ratione alicujus absoluti, an verò induat sub illa formalitate termini rationem entis relativi: ita ut sicut relativum prædicamentale, quamvis materialiter spectatum pro re quæ refertur sit absoluta quædam entitas, non tamen ratione alicujus absoluti refertur, sed potius abstrahit ab omni absoluto sub ea ratione qua refertur; ita etiam ex parte termini præscindat & abstrahat terminus formali terminandi ab omni absoluto, & ingrediatur sub ea ratione genus entis relativi.

Circa quod unum ibi notandum velim, & quidem seriò & diligenter, me supra ex consulto dixisse, *ita quod induat sub ea ratione rationem entis relativi, vel ita quod ingrediatur genus entis relativi*, non autem addidisse, ita quod terminet ratione alicujus relationis qua correferatur. Licet enim & hoc addere soleant plures ex nostris, dum scilicet explicant aut concludunt terminari relationem prædicamentalem non ad absolutum quid, sed ad relativum, immeritò, tamen hoc addere apertè colligo, & ex eorumdem probationibus, quæ minimè probant existere ex parte termini relationem qua correferatur dum terminat; & etiam ex impossibilitate ad hoc probandum, tum quia in relationibus non mutuis relatio illa ex parte termini qua correferatur communiter rejicitur, tum quia non minus exercetur ratio & formalitas termini quamvis ex parte unius tantum extremi supponatur relatio non possit non esse formaliter terminata, in quo tamen casu non verificatur esse tunc terminum quid relativum per hoc quod terminet relationem ratione

tione alicujus quâ correferatur relationis. Non ergo sensus est, an terminus formaliter ut talis relationem terminet ratione alicujus relationis, sed an ex ratione terminandi, rationem induat entis relativi, & ad genus relativi entis reducatur, non quidē per advenientem in eo relationem, sed magis per præcisionem ab omni ratione absoluta ex ea & sub ea ratione qua terminat.

Præmittendum 2. Pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *relativum prædicamentale, ut tale nihil exprimit absoluti*, quod *absolutum tale dicitur, quia in proprio & primario conceptu est ab alio solutum*; quod *terminari in relativis est quid relativum, seu relativè oppositum.* Imprimis ergo receptissima est & verissima prima illa propositio, quod scilicet relativum prædicamentale ut tale sive ut tali nomine significatur, nihil exprimit absoluti; quod quidem aperte colligitur ex duplici discrimine, quod solet communiter admitti inter relationem prædicamentalem & transcendentalem, sive inter relationem secundum esse, & secundum dici: in hoc enim differunt & conceditur communiter differre, quod relativum prædicamentale, licet ex qua parte est accidens reale habens suum esse in subjecto, sit absolutum quid, nomine tamen ralativo non explicatur aliquis ordo ad subjectum, sed præcisè explicatur ordo & respectus illius ad terminum, cujus quidem ratio est, quia cum talia nomina fuerint imposita ad significandum ipsas relationes & respectus ad aliud; licet totum esse illorum, cui tales competunt relationes non sit ad aliud, totum tamen esse eorum, quod per talia nomina significantur est esse ad aliud, ac proinde nihil exprimitur absoluti sub his nominibus: & in hoc, ut jam dictum est, differunt relativa prædicamentalia à relativis trancendentalibus seu secundum dici, ut pote quæ non solum dicunt aliquid aliud præter ordinem ad terminum; sed & illud aliud, quod quidem supponitur absolutum per eorundem nomina significatur, & explicatur, ut patet in creatura & in aliis similibus quæ transcendentaliter referuntur, pro quo videatur quod dictum fuit supra in præmissis pro quæstione præcedenti. Verissima ergo & receptissima est prima illa propositio, quod scilicet relativum prædicamentale ut tale nihil exprimit absoluti. Jam verò quantùm ad secundum, puta quod absolutum tale dicitur, quia in proprio & primario conceptu est ab alio solutum: ratio est quia absolutum, ut ex etymolo-

Nota.

gia nominis constat,& ut communiter conceditur, idem sonat ac ab alio solutum jam sic est quod absolutum generaliter loquendo non est semper ab alio solutum, si spectetur secundum adæquatum suum conceptum, sive tam secundum id quod importat primariò, quam secundum id quod importat secundariò & ex consequenti:qualitas namque v. g. quantitas &c. quæ sunt entia absoluta non sunt soluta ab alio, sive à subjecto, si considerentur, non quidem secundum id quod propriè & primariò significant; sic enim quantitas habet esse soluta à subjecto, cum solum explicet & significet pluralitatem sive extensionem partium, bene quidem si considerentur adæquatè & secundum id omne quod dicunt sive primario sivè secundario & ex consequenti: restat ergo quod absolutum, dum tale dicitur, quia ab alio solutum, hic subintelligatur in proprio & primario conceptu, atque ita verissima est & hæc secunda propositio, quod absolutum tale dicitur, quia est in proprio, & primario conceptu ab alio solutum.

Demùm quantum ad tertium,quod scilicet terminari in relativis sit relativum quid & relativè oppositum, ex eo etiam evidenter patet, quod & in eo nihil exprimitur absoluti, ut expositum fuit in primo præmisso principio; & in eo aliqua exercetur oppositio, cum non se habeat ly terminari ut disparatum ens, sed potius ut comparatum, ac proinde cum oppositio ibi exercita non sit contraria, ut pote quæ non est nisi inter ea quæ sunt ejusdem generis, nec sit etiam contradictoria aut privativa, cum sit inter extrema positiva, sequitur per consequens esse oppositionem relativam. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes receptissimis principiis, jam pro quæsiti resolutione,& conclusionis resolutoriæ ad eadem principia reductione sit

Conclusio: *Omnis prædicamentalis relatio sive mutua sive non mutua terminatur formaliter loquendo, ad terminum, non ut absolutum, sed ut relativum.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio, *Relativuum prædicamentale ut tale nihil exprimit absoluti:* Ergo relationis terminus formaliter ut talis non dicit quid absolutum. *Probatur Consequentia* Si diceret relationis terminus formaliter ut talis quid absolutum, exprimeretur & in relativo quod terminaret quid absolutum:Ergo hoc ipso qnod relativum quod terminatur nihil exprimit absoluti, nec dicit relationis terminus formaliter ut talis quid absolutum. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens.* Esse id à quo, vel in quo aliud, est ratio ab-

absoluta: sed si in termino relativi exprimeretur quid absolutum, exprimeretur & in ipso relativo esse id à quo vel in quo aliud: Ergo exprimeretur in relativo quid absolutum. *Major* supponitur certa; etenim esse id a quo vel in quo aliud dicuntur de substantia increata quantum ad primum, & de creata quantum ad secundum, vel quantum ad utrumque quæ tamen substantiæ sunt ut tales haud dubiè absolutum quid. *Probatur Minor.* Non potest exprimi in termino id quod ab alio, vel in alio, quin in relativo quod terminat exprimatur à quo vel in quo aliud; sed si exprimeretur in termino quid absolutum, exprimeretur in eo id quod ab alio vel quod in alio: Ergo si exprimeretur in termino quid absolutum, exprimeretur & in relativo quod terminat esse id à quo vel in quo aliud. *Major* est certa: sicut enim esse non potest terminus id quod ab alio, vel quod in alio, quin sit illud quod terminat id a quo aliud vel in quo aliud, ut per se patet: ita nec potest in termino exprimi esse id quod ab alio vel quod in alio, quin exprimatur in relativo quod terminat esse id à quo aliud, vel in quo aliud. *Probatur Minor.* Illud absolutum quod exprimeretur in termino, vel exprimeretur in termino, vel exprimeretur sub ratione substantiæ creatæ, vel sub ratione accidentis inhærentis: sed ibi exprimitur id quod ab alio, vel quod in alio. Ergo si exprimeretur in termino quid absolutum, exprimeretur in eo id quod ab alio, vel quod in alio: Ergo si exprimeretur in termino quid absolutum, exprimeretur & in relativo quod terminat id à quo aliud vel in quo aliud: Ergo si exprimeretur in termino quid absolutum, exprimeretur & relativo quod terminat et quid absolutum: Ergo hoc ipso quod relativum quod terminat nihil exprimit absoluti, ut tale [quod est primum præmissum principium] nec etiam relationis terminus formaliter ut talis dicere potest quid absolutum.

Probatur 2: Ex secundo præmisso principio. *Absolutum ens dicitur tale, quia in proprio & primario conceptu est ab alio solutum:* ergo relationis terminus formaliter ut talis esse non potest quid absolutum. *Probatur consequentia:* relationis terminus formaliter ut talis non est in proprio & primario conceptu ab alio solutus: ergo hoc ipso quod absolutū ens tale dicitur, quia sic ab alio solutum, esse non potest relationis terminus formaliter ut talis quid absolutum. *Consequentia* est evidens. *Probat. antecedens:* quod in proprio conceptu dicit esse id ad quod aliud, non est ab alio solutum ex proprio conceptu: sed terminus formaliter ut talis dicit ex proprio conceptu id ad quod aliud: Ergo relationis terminus formaliter ut talis non est in proprio

& primario conceptu ab alio solutus. *Minor* per se patet. *Probatur major:* non minus includitur ly aliud in eo quod ex proprio conceptu est id quod aliud, quam in eo quod ex proprio conceptu est id quod ad aliud: sed quia ly aliud includitur in proprio & primario conceptu illius quod est ad aliud, non est nec dicitur illud ab alio solutum; ad differentiam entis quod solum ex secundario conceptu dicit esse ad aliud, ut sunt entia transcendentaliter relativa: Ergo nec illud quod in proprio conceptu dicit esse id ad quod aliud, esse potest ab alio solutum ex proprio conceptu: Ergo relationis terminus formaliter ut talis non est ex proprio conceptu ab alio solutus: Ergo hoc ipso quod absolutum ens dicitur tale, quia in proprio & primario conceptu est quid ab alio solutum, (quod est secundum præmissum principium,) non est relationis terminus formaliter ut talis quid absolutum.

Probatur tertiò, Ex tertio præmisso principio; *terminari in relativis est relativum quid, seu relativè oppositum*: Ergo & terminare seu ratio exercita termini est quid relativum. *Probatur consequentia*: eadem opponuntur oppositione terminare: Ergo hoc ipso quod terminari est quid relativè oppositum, idem similiter dicendum de terminare seu de ratione exercita termini. *Consequentia* est evidens. *Probatur Antecedens:* quæ unâ opponuntur oppositione non possunt non eadem oppositione opponi: sed terminari & terminare formaliter ut talia unâ opponuntur oppositione: Ergo & eadem oppositione opponuntur. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor:* quæcumque opponuntur, unâ oppositione opponuntur: sed terminari & terminare opponuntur: Ergo & unâ oppositione opponuntur. *Minor* est certissima. Etenim ubi verificatur quod aliquid opponitur, hoc ipso etiam verificatur quod opponuntur, cum oppositio ex sui natura afficiat duo & opposita reddat atque denominet quæcumque afficit; cum igitur loquendo de ly terminari & terminare, verificetur ibi quod aliquid puta ly terminare opponitur, hoc ipso etiam verificari debet quod opponuntur. *Probatur Major*: non minus unâ opponuntur oppositione quæ opponuntur, quam una unione uniuntur quæ uniuntur, sed quæ uniuntur, una unione uniuntur; Ergo & quæcumque opponuntur, unâ oppositione opponuntur, *Minor* conceditur, & patet ex ratione in majori sequenti allatâ *Probatur major*: ideò una unione uniuntur quæ uniuntur, quia unio ex sui natura est duorum & duo afficit: sed etiam oppositio est ex sui natura duorum

rum & duo afficit: Ergo non minus unâ oppositione opponuntur quæ opponuntur, quam unâ unione uniantur quæ uniuntur: Ergo quæcumque opponuntur, unâ oppositione opponuntur: Ergo terminari & terminare una oppositione opponuntur: Ergo terminari & terminare eadem oppositione opponuntur: Ergo hoc ipso quod terminari in relativis est relativum quid seu relativè oppositum, hoc ipso & terminare seu ratio exercita termini est etiam quid relativum, seu oppositum relativè.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, si terminus formaliter ut terminans esset quid relativum, esset terminans per relationem, seu ratione relationis: sed non potest relationis terminus esse terminans per relationem: Ergo nec esse potest formaliter ut terminus quid relativum. *Probatur Minor*: non potest terminus esse sub eâ ratione terminans sub qua est terminabilis: sed sub eâ ratione qua relationem dicit est terminabilis: Ergo non potest terminus esse terminans ratione relationis, seu per relationem quam dicit. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: hoc idem dicit terminus ratione relationis, quod dicit ipsa relatio: sed relatio dicit terminabilitatem seu terminari: Ergo & terminus sub eâ ratione qua relationẽ dicit, est terminabilis.

Videantur alia fundamenta in solutionibus objectionum.

Respondeo negando majorem quam supponit arguens, nec probat: licet enim hanc concedere soleant plures ex nostris, qui propterea difficultatem hanc sub his terminis proponere solent, an scilicet terminus relationis relationem terminet ratione relationis seu per relationem, non tamen [meo judicio] multum rationabiliter illud concedunt; tum propter ea quæ supra adduximus in præmissis; tum propter rationem ibi ab arguente adductam quæ non parum efficaciter probat, tum etiam quia facilè aliunde probatur, terminari relationem ad relativum quid, non ad absolutum, absque eo quod cogamur dicere, quod ejus terminet terminus ratione relationis sive per relationem quam dicat. Pro quo dico, quod quamvis non terminet terminus ratione relationis quam dicit, adhuc tamen verificatur quod terminet ut relativum quid, non ut absolutum, quod quidem, quantum ad præsens spectat, ex triplici colligo capite.

Primò quia quamvis non terminet terminus ratione relationis, adhuc tamen formaliter terminat ut id ad quod est relatio,

Nota.

tio, proindeque adhuc terminat ut aliquid relationis sumptæ ad modum respicientis, & consequenter ut quid pertinens ad genus entis relativi, ad differentiam subjecti ipsius relationis, quod quidem licet ut tale sit aliquid relationis, quia tamen est aliquid illius, non ut respicientis sed potius inhærentis, propterea fit quod sit adhuc ut tale quid absolutum, nec pertineat ad genus entis relativi.

Secundò hoc idem colligo ex eo quod terminus, quantumvis non intelligatur nec supponatur terminare ratione relationis, quam intelligatur habere, hoc ipso tamen quod terminat formaliter ut id ad quod aliud, terminat ut aliquid, quod sub ratione terminantis sive ex proprio & primario conceptu termini non habet esse ab alio solutum; ac proinde cum esse ita ab alio solutum sit de ratione absoluti entis, consequenter fit quod non propterea terminet terminus sub ratione absoluti entis, quantumvis non supponatur terminare per relationem sive ratione relationis.

Tertiò tandem hoc idem colligo ex eo quod terminus per hoc præcisè quod exercet rationem termini terminat cum oppositione ad id quod terminat; cum per hoc præcisè terminet aliud ut sibi oppositum, & aliunde verificari non possit, ut dictum supra, quod aliquid opponitur, quin hoc ipso, verificetur, quod opponuntur: cum igitur oppositio illa non alia esse possit quam relativa, evidenter sequitur, quod quamvis ex parte termini non intelligatur relatio quâ terminet, adhuc tamen terminet non sub ratione absoluti entis, sed entis potius reducendi ad genus entis relativi; cùm per hoc præcisè quod exercet rationem termini, exerceat & rationem entis relativâ oppositione oppositi.

Instabis impossibile est terminum esse formaliter ut talem relativum sine relatione: sed hoc ipso quod non terminat ratione relationis, est hoc ipso formaliter terminus sine relatione: Ergo hoc ipso quod non terminat ratione relationis, esse non potest formaliter ut talis quid relativum. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: hoc ipso quod negat relationem in terminando, est hoc ipso formaliter terminus sine relatione: sed negat relationem in terminando hoc ipso quod non terminat ratione relationis ut patet ex terminis: Ergo hoc ipso quod non terminat ratione relationis, seu per relationem, est hoc ipso formaliter terminus sine relatione.

Respondeo distinguendo majorem sic: impossibile est terminum

num esse relativum sub ratione termini sine relatione, vel quam habeat seu recipiat, vel quam in alio habitam & receptam terminet, Concedo: sine relatione quam in se habeat & recipiat, Nego, quod sit hoc impossibile; & sub eadem distinctione Minoris Nego consequentiam. Pro quo notandum est, & quidem seriò & diligenter, quod ad hoc ut aliquid dicatur relativum, nec sit sine relatione, unum sufficit ex sequentibus, puta vel quod relatio sit aliquid ejus, quod accidit quando dicitur relativum per relationem in se receptam; vel quod ipsum sit aliquid relationis ut relatio est, seu ut exercet rationem respicientis; sive enim relatio sit aliquid ejus, sive ipsum sit aliquid relationis, semper ibi invenitur relatio, & semper tale quid dici debet quid relativum; cum in utroque sensu ingrediatur relationem, ut ex terminis patet. *Nota.*

Iam sic est, quod quamvis terminus, hoc ipso quod non terminat ratione relationis, non possit dici relativus in primo sensu, sive per hoc quod relatio sit aliquid ejus; ad hoc enim opus esset quod haberet relationem in se receptam; nihilòminus adhuc verificatur, quod dici possit relativus in secundo sensu, per hoc scilicet quod ipse est aliquid relationis, cum ad hoc sufficiat præcisè quod terminet, ex eo scilicet quod terminus hoc ipso quod talis alicujus est terminus, subindeque & est aliquid illius, quod terminat: Ergo quamvis non habeat terminus terminare ratione relationis quam habeat, adhuc tamen sufficienter habet unde dicatur relativus, absque eo quod dicatur relativus esse sine relatione, ita absolute loquendo. *Nota.*

Vrgebis: quoquo modo se habet albedo ad esse album, eodem se habet relatio ad relativum: sed ex modo quo se habet albedo non potest aliquis denominari albus sine albedine in ipso receptâ: Ergo nec potest aliquid denominari relativum sine relatione quam habeat receptam. *Minor* per se patet. *Probatur Major*: non alio modo se habet albedo ad ly album, quam per modum ejus, quo aut per quod sit album: sed pari modo se habet relatio ad relativum, ut patet: Ergo eodem se habet modo relatio ad relativum, quo se habet albedo ad esse album.

Respondeo negando majorem, albedo namque, & sic de cæteris formis absolutis ex modo quo se habet ad ly album non habet esse ex sui naturâ nexus duorum, nec duo simul afficere; at vero ex modo quo se habet relatio ad relativum, *Nota.* habet

habet ex sui naturâ esse duorum & habet duo efficere, unum per hoc quod fit aliquid ejus, & aliud puta terminum per hoc quod illum reddit aliquid sui, sive ipsius relationis, ut dictum est supra.

Iam sic est quod de naturâ illius, quod est ita duorum ex sui naturâ, est quod non tantum denominet illud in quo recipitur, sed etiam aliud in quo non est receptum; aliàs non verificaretur, quod unum manens esset duorum, cum esse non possit unum & indivisum manens in duobus receptivè, sed solum in uno receptivè & non in utroque denominativè: qua de causâ dicit D. Thomas expressis terminis *in quodlibeto primo articulo secundo*, quod per solam unionem receptam in humanitate & terminatam ad ipsum verbum una fuit facta persona Dei & hominis, subindeque & verbum fuit denominatum unitum; ex eo scilicet quod unio est similis forma, sive talis, quæ fit ex sui naturâ duorum: Ergo ex modo quo se habet relatio ad relativum potest terminus dici & denominari relativus, quamtumvis non habeat relationem in se receptam, & consequenter quamvis non terminet ratione relationis; licet non possit aliquid denominari album sine albedine in ipso receptâ.

Objicies secundò, quod est antecedenter ad relationem esse non potest quid relativum: sed terminus se habet antecedenter ad relationem: Ergo relationis terminus esse non potest quid relativum. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: id ex quo aliud, non potest non se habere antecedenter ad illud: sed relationis terminus est id ex quo relatio: Ergo relationis terminus se habet antecedenter ad relationem. *Major* patet similiter ex terminis. *Probatur Minor*: relativa forma ad differentiam absolutæ non potest resultare nisi ex duorum positione, sive ex duobus positis: sed illa duo non alia sunt quam fundamentum & terminus: Ergo relationis terminus se habet ut id ex quo relatio.

Respondeo negando minorem, sumpto ly termino, ut in præsenti sumitur, formaliter, sive prout exercet formalitatem termini: sic enim non potest se habere antecedenter ad relationem, neque ut id ex quo relativo ut statim dicam; bene quidem sumptus materialiter, sive pro re quæ capax est terminationis & quæ denominatur terminus: sic enim sumptus terminus verè prærequiritur ut antecedens quid ex quo & ex cujus positione resultet relatio; non quidem in hoc sensu, ita quod sit ipse terminus causa resultantiæ relationis in altero extremo, sed quod sit conditio prærequisita, ut ad fundamentum

tum relationis in altero extremo existens, ipsa resultet relatio. Unde ad ultimum concessâ majori distinguo minorem: sed illa duo non alia sunt quam fundamentum & terminus; sumpto ly termino materialiter, Concedo: sumpto ly termino formaliter & prout exercente formalitatem termini, quo modo sumitur in præsenti Nego.

Non ergo terminus formaliter ut talis & sub formalitate terminationis potest se habere ad relationem ut id ex quo, nec aliquo modo antecedenter ad illam, cujus ratio est quia impossibile est quod terminus sub eâ formalitate, sub qua relationem ingreditur, & est aliquid relationis, se habeat antecedenter ad relationem, vel ut id ex quo relatio; alias idem seipsum antecederet & esset causa sui ipsius: jam sic est quod terminus sub ratione & formalitate termini ipsam ingreditur relationem & est aliquid ejus; cum hoc ipso quod totum ejus esse est ad terminum, nihil sit assignabile quod ejus ingrediatur esse respectivum, & sit aliquid ejus præter terminum: non ergo terminus sub ratione formali termini seu prout exercet esse id ad quod est relatio, potest relationem antecedere modo aliquo, nec esse id ex quo relatio. *Nota.*

Instabis: non potest terminus seipsum antecedere ut relativum formaliter ut terminus est, & non antecedere formaliter ut terminus ipsam relationem: sed terminus saltem in relationibus non mutuis seipsum antecedit ut relativum, formaliter ut terminus est: Ergo in illis saltem ipsam antecedit relationem formaliter ut terminus. *Major* per se patet: relativum namque constituitur tamen per relationem, atque ita antecedere aliquid ut relativum, est ipsam antecedere relationem, quâ habet esse tale quid. *Probatur Minor*: hoc ipso quod de termino verificatur quod relativus est, quia terminat, hoc ipso verificari debet, quod sub formalitate termini seipsum antecedit ut relativum: atqui saltem in relationibus non mutuis verificatur de termino, quod relativus est quia terminat: Ergo saltem in relationibus non mutuis seipsum antecedit ut relativum, formaliter ut terminus est. *Major* patet: ly enim *quia* est particula causalitatis, subindeque & prioritatis, seu antecedentiæ; & ly *quia terminat*, cum significet terminationem in actu exercito, facit consequenter sensum formalem sive denotat terminum ibi formaliter sumptum. *Probatur minor*: non potest de aliquo verificari relationum esse, nisi vel quia relationem habet, vel

quia terminat: sed in relationibus non mutuis non verificatur de termino quod sit relativus, quia relationem habet, cum hoc proprium sit relationis non mutuæ: Ergo saltem in relationibus non mutuis verificatur de termino, quod relativus est quia terminat.

Respondeo negando minorem, cujus falsitas abundè colligitur ex dictis supra. Ad probationem verò distinguo majorem: hoc ipso quod de termino verificatur, quod relativus est quia terminat, hoc ipso verificari debet quod sub formalitate termini seipsum antecedit ut relativum, sumpto ly ***quia*** in sensu transitivo, Concedo: si vero sumatur ibi ly ***quia*** intransitivè, ut in præsenti sumitur, & sensum faciat intransitivum, Nego, quod propterea seipsum antecedat ut relativum sub ratione termini, quamvis in hoc sensu verificetur, quod relativus est quia terminat, pro cujus solutionis intelligentiâ hoc unum est notandum quod quamvis ly ***quia*** dum sensum facit transitivum, hoc est dum ratio quam afficit est aliud quid ab eo cujus assignatur ratio & causa, inferat tunc antecedentiam atque proprietatem in præfata ratione causali, respectu alterius cujus assignatur ratio: ubi tamen ly ***quia***, sensum facit non transitivum, sed intransitivum, hoc est ubi ratio quam afficit non est aliud quid ab eo cujus assignatur ratio & causa, non est tunc verum, quod in eo de quo verificatur ly ***quia*** debeat propterea reperiri prioritas aliqua & antecedentia respectu alterius; & ideo quamvis communiter admitti soleat hæc propositio per quia: Petrus est homo quia est animal rationale, non tamen propterea inferre licet, quod Petrus ut animal rationale seipsum antecedat quatenus hominem.

Iam sic est quod ly ***quia*** in præsenti casu, in quo concedi solet & debet, quod terminus relativus est quia terminat, non assumitur nec assumi potest in sensu transitivo, sed intransitivo tantum; cum denominatio relativi quam accipit terminus relationis non mutuæ non alia sit à denominatione terminantis formaliter ut talis, est ratio opposita subindeque & relativè opposita, tum ob alias rationes, quas supra fusè explicuimus: Ergo quamvis in relationibus præcipuè non mutuis, dici soleat & debeat de termino, quod relativus est quia terminat non tamen propterea sequi debet, quod debeat terminus formaliter ut talis seipsum aliqualiter antecedere ut relativum.

Nota.

Objicies tertio, hoc ipso quod respectu relationis unius non est

est terminus relativus sed absolutus, nec est hoc ipso respectu ullius: sed respectu relationis dissimilitudinis non est terminus relativus sed absolutus: Ergo idem similiter dicendum de aliis terminis respectu aliarum relationum. *Major* est certissima, cum tunc ex formalitate termini non sit terminus relativus, utpote quæ communis est univocè omnibus terminis. *Probatur Minor*: terminus relationis dissimilitudinis sumptus ut relativus, sumitur ut dissimilis: sed non terminat relationem dissimilitudinis sub ratione dissimilis, sed sub ratione nigri, verbi gratia: Ergo terminus dissimilitudinis non habet terminare formaliter. *Probatur Minor*: ratio sub qua assimilatur terminus dissimilitudinis cum altero extremo esse non potest ratio sub qua terminet: sed sub ratione dissimilis assimilatur terminus dissimilitudinis cum altero extremo, cum utrumque rationem habeat dissimilis: Ergo terminus relationis dissimilitudinis non habet terminare sub ratione dissimilis, sed sub ratione nigri vel albi, in qua disconvenit.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti: ad tertium verò distinguo minorem: sed sub ratione dissimilis assimilatur terminus dissimilitudinis cum altero extremo, sumptâ ly ratione dissimilis quasi in actu signato & in abstracto, Concedo: sumptâ ly ratione dissimilis in actu exercito, ut in præsenti sumitur Nego, quod in tali ratione assimiletur terminus relationis dissimilitudinis cum altero extremò; cujus ratio, & quidem convincentissima est, quia ratio illa dissimilis quam habet terminus relationis dissimilitudinis, puta nigrum, & sub qua dicitur terminare, si sumatur in actu exercito seu prout exercetur respectu alterius, non est præcisè ratio dissimilis, sed ratio dissimilis respectu albi, cum tamen ratio dissimilis, quæ reperitur in altero extremo non sit ratio dissimilis respectu albi, sed potius respectu nigri: non igitur assimilatur terminus relationis dissimilitudinis cum altero extremo in hoc quo terminat, quantumvis terminet, aut terminaret sub ratione dissimilis. *Nota.*

Objicies ultimò, simul & instabis contra doctrinam supra expositam circa formalitatem termini, quam scilicet ostendimus esse quâ talem relativam. Si esset formalitas termini præcisè quâ talis relativa, esset aliquid præter entitatem absolutam termini, saltem formaliter loquendo: sed non est formalitas termini aliquid præter entitatem absolutam

ipsius termini: Ergo non est formalitas termini præcisè qua talis relativa. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: omne quod est vel est relatio vel absoluta ratio: sed formalitas termini quâ talis, non est relatio: Ergo formalitas termini est absoluta quædam ratio, ac proinde non est aliquid præter entitatem absolutam ipsius termini. *Major* videtur evidens, *Probatur Minor*: aliquid est saltem formaliter loquendo esse ad aliquid, & esse alicujus: sed formalitas termini dicit ut talis esse alicujus, & relatio formaliter ut talis est ad aliquid: Ergo formalitas termini qua talis non est relatio.

Respondeo Negando Minorem: licet enim realiter & entitativè loquendo non sit formalitas termini entitas alia ab ipsa entitate absolutâ termini, quæ quidem entitas absoluta est res quæ denominatur terminus, & afficitur præfata formalitate, est tamen hujusmodi formalitas formaliter superaddita, adeò ut sit sufficienter à tali entitate distincta, ut ad aliud possit pertinere prædicamentum, quam sit illud ad quod pertinet entitas; ut ex responsione ad sequens argumentum patebit. Unde ad sequens argumentum respondeo Negando Ninorem: non enim omne quod est, vel est relatio vel absoluta ratio; cujus ratio est, quia illud quod ingreditur relationem tanquam aliquid ejus, id nec est relatio, cum non ingrediatur relationem quasi sit ipsa relatio, sed tanquam aliquid ipsius: nec est etiam absoluta ratio, cum hoc ipso quod est aliquid relationis ut talis, ad ejus pertineat prædicamentum, quod quidem dici nequit de ratione absoluta qua talis. Iam sic est quod formalitas termini, quamvis non sit relatio, cum ut talis non sit ad aliquid, sed solum alicujus, est tamen formalitas termini aliquid relationis formaliter ut relatio est, alias nihil esset assignabile, quod esset aliquid relationis, cum hoc ipso quod totum ejus esse est ad terminum, nihil præter terminum ejus ingrediatur esse: Ergo quamvis formalitas termini non sit relatio, non propterea sequitur, quod esse debeat absoluta ratio.

Nota.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo Divum Thomam favere omninò præfatæ nostræ conclusioni, quod quidem ex duobus apertè subindeque & sufficienter colligo. Imprimis igitur illud colligo ex his quæ habet 1 *part quæst*.40 *art* 2.*ad* 4. ait enim: *cum dicitur, quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlativum,*

tivum, quod non est prius sed simul natura : ex quibus duo eruo argumenta ad intentum.

1. Hoc ipso quod per *ly aliud* intelligendum venit correlativum, potest hoc ipso definiri relativum per se habere ad correlativum, sicut definitur per se habere ad aliud, atqui ex D. Thoma cum dicitur quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlativum : Ergo ex D. Thoma definiri potest, relativum per ly se habere ad correlativum : Jam sic est quod verba in definitionibus posita usurpantur in sensu formali, & non tantum materiali, ut conceditur communiter apud Philosophos ; aliàs definitio unius, v. g. lineæ, quæ definitur quantitas extensa in longum, etiam alteri conveniret, v. g. superficiei, dum definitur hæc quantitas extensa in longum & latum : Ergo definiri potest ex D. Thoma relativum per se habere ad correlativum formaliter ut tale : atqui correlativum illud sumptum, ut ibi sumitur, prout est id ad quod, est ipse terminus formaliter ut terminus : Ergo ex D. Thoma relationis terminus formaliter ut talis est etiam formaliter correlativus.

2. Ex eodem Divo Thoma ibidem : cum dicitur, quod relativi esse est ad aliud se habere, ly aliud ibi sumitur in quantum non est prius, sed simul naturâ cum relativo, seu cum relatione terminata : atqui ad positionem seu resultantiam relationis prærequiritur terminus quoad omne absolutum quod includit prioritate saltem naturæ : Ergo ex Divo Thoma non potest terminus per aliquid sui ut absolutum esse illud aliud ad quod se habet relativum, nec consequenter esse formaliter terminus per quid absolutum. *Probatur Minor* : ab exemplis : primo totum absolutum quod est in termino verbi gratia paternitatis est, filium esse genitum atqui prius naturâ est filium esse genitum, quam quod intelligatur relatio paternitatis in patre : imò ideo refertur pater relatione paternitatis ad filium, quia genuit filium, & filius est ab illo genitus : Ergo vera minor, similiter totum quod absolutum est in termino relationis similitudinis albi est albedo : sed albedo in termino relationis est prior natura ipsa relatione, & ideò in me resultat relatio similitudinis ad Petrum verbi gratia, quia & in Petro & in me est albedo : Ergo totum absolutum quod in termino relationis reperitur est prius naturâ ipsâ relatione.

Secundò hoc idem colligo *ex 2. contra gentes cap. 11.* ubi hæc habet sanctus Doctor : *Non potest aliquid intelligi ad alterum, nisi è converso illud relativè diceretur ad ipsum.* Ex quibus verbis argumentor sic. Debet ex Divo Thoma ly alterum

 sive

sive terminus dici relativè, ad hoc ut intelligatur relativum esse ad alterum: atqui intelligitur sufficienter esse ad alterum, per hoc præcisè quod habet ly alterum exercere rationem termini, cum per hoc præcisè fit alterum sive aliud, cum nihil possit esse sic terminus sui ipsius: Ergo ex Divo Thoma debet terminus dici relativè, ad hoc ut intelligatur relativum esse ad alterum.

Dices: Ait Divus Thomas 2. *contra gent. cap.* 13, quod *à relatione non invenitur aliquid denominari quasi exterius existente, sed inhærente: nec enim denominatur aliquis pater, nisi à paternitate quæ ei inest:* atqui ex parte termini non supponitur sub præcisa ratione termini relatio inhærens, tum quia in relationibus non mutuis illa non reperitur; tum etiam quia ex ratione formali terminus petit solummodo esse alicujus, non autem petit esse ad aliquid, ut peteret de facto, si esset solum talis per relationem inhærentem: Ergo ex Divo Thoma in verbis citatis non potest relationis terminus denominari sub ratione termini relativus.

Respondeo, Admittendo quidem testimonium Divi Thomæ, sed in hoc sensu, & juxta hanc distinctionem, juxta quam solum locutus ibi est sanctus Doctor, ut statim dicam. Verum ergo quod à relatione non invenitur aliquid denominari quasi exterius existente; sed inhærente, si sermo sit de denominatione primaria & principali relationis, quâ scilicet aliquid denominatur relativum per hoc quod est se habere ad aliud: secùs tamen si procedat sermo de qualicumque seu minus principali denominatione per hoc præcisè quod est esse relativè oppositum, vel, quod in idem redit, per hoc præcisè quod est esse aliquid relationis ut talis, patet enim quod esse potest aliquid relativè oppositum, nec non & esse aliquid relationis ut talis per relationem exterius existentem, ut supra fusè probavimus; tum quia oppositio relativa, quæ quidem sufficienter adest, per hoc solum quod est in uno extremo relatio inhærens est essentialiter duorum, adeoque nec potest unum denominare relativè oppositum, quin & aliud similiter denominet, sicut dictum est de unione, quæ ex hoc capite quamvis in uno solum existens, aliud tamen denominat unitum; tum quia nihil potest esse aliquid relationis ut talis, seu ut respicientis quin sit aliquid extrinsecum, cum nihil præter illud aliud ad quod habet totum suum esse relatio possit esse tale quid, quod quidem aliud ut ex termino constat est quid extrinsecum relationi & solum involvens relationem ut exterius existentem: Ergo

quam

quamvis nihil inveniatur denominatum à relatione ut exterius existente, ubi scilicet agitur de denominatione principali quâ scilicet aliquid denominatur relativum per habere totum suum esse ad aliud, bene tamen ubi agitur de denominatione minus principali, quâ scilicet dicitur aliquid relativum, non quidem per habere totum suum esse ad aliud, sed per esse aliquid hujusmodi esse ita ad aliud habiti, sive per esse terminum relativæ oppositionis ex quo sequitur in eodem termino esse relativè oppositum, ut supra diximus.

Jam verò quod sit præfati testimonii expositio juxta mentem & intentum Divi Thomæ hoc ex duobus aut tribus colligo, primò quidem ex verbis sequentibus in quibus ponit S. Doctor rem in exemplo: Nam statim addit: *non enim denominatur aliquis pater nisi à paternitate quæ ei inest*. Jam sic est quod denominatio patris à paternitate supponit pro denominatione primaria, quâ scilicet denominatur aliquid relativum per esse relatum, sive per ly se habere ad aliud: Ergo de hac solum denominatione intendit loqui D. Thomas in verbis citatis. Secundò hoc idem colligo ex eo quod adducit S. Doctor præfata verba ad constituendam differentiam inter relationem & alias formas absolutas, ut videre est in loco citato.

Jam sic est quod sufficienter, salvatur hæc differentia juxta præfatam duplicem denominationem: forma namque absoluta etiam quantum ad primam & principalem denominationem habet denominare id in quo solum est exterius existens ut patet in actione, quæ principaliter denominat agens in ratione agentis, quamvis juxta communiorem sententiam sit solum extrinseca, non autem inhærens ipsi agenti: Ergo præfata expositio atque distinctio duplicis hujus denominationis est haud dubiè juxta intentum & mentem S. Doctoris : quod etiam

Tertiò colligo ex his quæ habet S. Doctor 1. 2. *quæst.* 7. *art.* 2. *ad* 1. ubi dicit, quod in his quæ ad aliquid dicuntur, denominatur aliquid *non solum ab eo quod inest, sed etiam ab eo quod extrinsecus adjacet*: jam sic est quod non potest ibi loqui S. Doctor de primaria & principali denominatione, cum contradictorium doceat in testimonio supra citato : Ergo loqui debet de minus principali denominatione.

Tandem ad pleniorem horum intelligentiam distinguo denominationem à relatione provenientem in denominationem relati, & denominationem relativi, inter quas hoc est discrimen, quod denominatio relati [quæ meritò appellatur

Nota.

denominatio prima & principalis, cum primum quod occurrit in conceptu relationis sit referre seu facere relatum] hæc inquam denominatio relati supponit & petit in denominato relationem inhærentem; cum tamen denominatio relativi, utpote provenire potens vel ex eo quod aliquid habet totum suum esse ad aliud, vel præcisè ex eo quod est aliquid relationis ut talis seu ut respicientis, non petit de necessitate relationem inhærentem; cum talis denominatio relativi afficiat illud aliud, ad quod relatio habet totum suum esse, utpote quod est illud unicum quod esse potest aliquid relationis.

QUÆSTIUNCULA.

Vnde desumatur unitas tum specifica tum numerica relationis.

RESpondeo primò, Unitatem specificam relationis desumi formaliter & proximè à termino, & radicaliter à fundamento; adeo ut id à quo habet proximè relatio esse talis speciei, sit, quia est ad talem terminum, sumptum scilicet sub ratione formali termini, ratio verò radicalis & remota unde id habet, sit, quia tale habet fundamentum, sumptum similiter sub ratione formali sub qua fundat, & non tantum materialiter. Dico autem: *& non tantum materialiter*; idem enim materialiter fundamentum secundum diversas rationes formales, diversas etiam specificè relationes potest fundare, ut patet in eodem homine, qui sub ratione potentis generare, & sub ratione convenientis in albedine habet fundare relationes paternitatis, & similitudinis; & idem similiter dicendum de termino. Ratio autem primæ partis est, quia omne accidens ad differentiam substantiæ habet specificari seu poni in esse talis speciei per aliquid extrinsecum; alias non esset accidens ex propria linea quid incompletum, si intra proprium conceptum nihil admitteret extrinsecum: Ergo relatio ab eo specificatur formaliter & proximè, quod in conceptu suo specifico formaliter admittit ut aliquid extrinsecum: Jam sic est quod extrinsecum illud non est aliud quam terminus sumptus, ut supra diximus sub ratione formali terminandi; cum extrinsecum illud ex proprio conceptu relationis quæ habet totum suum esse

esse ad aliud, debeat se habere ut id ad quod, & hoc solum competat termino ut per se patet: Ergo illud in ordine ad quod specificatur relatio, & ponitur in esse talis speciei formaliter & proximè, non aliud est quam terminus formaliter spectatus.

Jam verò quod id unde habet relatio tanquam à principio radicali esse talis speciei sit ipsum fundamentum, ex eo ostendo, quod cum dicatur radicalis ratio ea, unde derivatur ratio formalis & proxima, ab eo per consequens habet relatio specificari radicaliter, à quo provenit quod talem habeat terminum, à quo ut diximus habet formaliter & proximè specificari: jam sic est quod habet relatio à fundamento quod sit ad talem formaliter terminum; & ex diverso fundamento habet respicere diversos specificè terminos, cum fundamentum sumptum formaliter sit jam quasi initiativè relativum, subindeque & talem vel talem petat terminum, secundum quod tale vel tale est fundamentum: Ergo unitas aut diversitas specifica relationum petitur radicaliter à fundamento, quamvis petatur formaliter & proximè ex termino.

Dices primò, Unumquodque ab eo accipit unitatem vel diversitatem specificam, quod respicit sub ratione specificativi: atqui relatio prædicamentalis non potest terminum suum respicere sub ratione specificativi, cum specificativum rationem habeat causæ & prioris in natura; quæ duo dici non possunt de termino præfatæ relationis, ut supra fusè ostendimus: Ergo non accipit relatio unitatem vel diversitatem specificam ab unitate aut diversitate specifica termini.

Respondeo primò, Negando Minorem, ejusque ibi insinuatam probationem: pro quo dico quod specificativum de quo dici solet, quod habeat rationem causæ subindeque & rationem prioris, est illud solummodo de quo verificatur quod ab eo habet specificatum suum esse: jam sic est quod relatio prædicamentalis respiciens terminum suum tanquam specificativum, illud non respicit quasi ab eo habeat esse, sed solum in ordine ad quod habet esse: Ergo quantumvis specificetur à suo termino, non propterea illum respicit sub ratione causæ & prioris. Vel 2. responderi potest, quod cum dicitur relationem à suo specificari termino, non propterea intelligitur aut intelligi debet specificari relationem à termino formaliter ut terminante, quia ut sic est purus terminus, & non causa etiam formalis ipsam specificans relationem; sed intelligi debet terminum specificare relationem, non quidem formaliter sumptum,

nec sumptum omnino materialiter, sed sumptum fundamentaliter ut terminus; seu prout fundans hanc rationem formalem terminandi potius quam aliam; atque ita solum sequitur quod fundamentaliter sumptus sit prior relatione quam specificat, non autem quod ut formaliter illam terminat sit prior illâ, quia ut sic non illam specificat, sed illam purè terminat.

Dices 2. Quod si unitas & diversitas formalis sive specifica relationum desumeretur ab unitate vel diversitate specifica termini, stare non posset diversitas formalis relationum cum unitate formali seu specifica termini: jam sic est, quod cum unitate formali termini stat diversitas specifica relationum, siquidem sub eadem omnino relatione filiationis terminat filius relationem paternitatis & maternitatis, ut docet Divus Thomas 3. *p. quæst.* 35. quæ tamen relationes paternitatis & maternitatis sunt formaliter diversæ, cum fundamenta habeant formaliter diversa puta concursum activum ex parte patris, & concursum passivum ex parte matris: Ergo non desumitur unitas specifica aut specifica diversitas relationum ex unitate vel diversitate specifica termini.

Respondeo Negando Minorem: licet enim in patre & in matre, utpote subjectis realiter entitativè distinctis, duplex sit ad eundem filium realiter entitativè distincta relatio paternitatis & maternitatis; tales tamen relationes non distinguuntur formaliter, sed materialiter duntaxat, cujus ratio est quia etiam si una fundetur in concursu activo patris, & alia in concursu passivo matris, & talis concursus in esse entis sit diversus; in ratione tamen fundandi tales relationes, uterque est concursus partialis ad eandem generationem passivam filii ordinatus; & ita filius patrem & matrem tanquam unicum adæquatum terminum suæ relationis filiationis respicit. Quod si unus parentum moriatur, licet ad illum deinceps non dicat filius relationem; eadem tamen reali relatione prædicamentali, qua terminabat relationem utriusque parentis & ad utrumque parentem referebatur, ad superstitem refertur parentem, sicuti eadem ut mox dicemus, relatione quâ pater referebatur ad plures filios, mortuo aliquo illorum refertur ad superstites.

Quantum verò ad secundam difficultatem in titulo propositam, unde scilicet desumatur unitas aut diversitas numerica relationum; cum ex communi Thomistarum doctrina, quam nunc in Metaphysica disputandam relinquo accidentia accipiant suam unitatem vel diversitatem numericam ab unitate vel diver-

diversitate subjecti;& relationes prædicamentales verè sint accidentia & verè inhæreant subjecto, concludendum est accipere relationes unitatem suam numericam aut diversitatem ab unitate vel diversitate subjecti aut subjectorum. Ex quo infert D. Th. *3. p. quæst. 35 art. 5.* quod in eodem patre ad plures filios unica tantum est relatio paternitatis: in eodem magistro ad plures discipulos quos sub eadem instruit doctrina unica tantum relatio Magisterii: & in eodem domino ad plures servos unica tantum relatio dominii; imò & in eodem albo ad plura habentiá albedinem in eodem gradu relatio unica similitudinis, per id solum quod præexistens relatio ad novos illos terminos, si de novo adveniant, tanquam inadæquatos & partiales extendatur, terminetur, & referatur.

Dices Contra hanc secundam partem, quod non minus relationes speciè distinctæ differunt numero, quam relationes solum numericè distinctæ; cum differre specie sit differre plusquam numero, & consequenter non solum differre numero: atqui relationes specie distinctæ recipi possunt in eodem numero subjecto, nec non & alia accidentia specie distincta, puta albedo, dulcedo, &c. Ergo & relationes numericè distinctæ possunt in eodem numericè subjecto recipi, adeoque non est pensanda unitas aut diversitas numerica relationum juxta unitatem vel diversitatem numericam subjectorum.

Respondeo, Quod quamvis relationes & alia accidentia specie distincta differant etiam numero, propterea quod minus inclusum reperitur in majori, adeoque & distinctio numerica in distinctione specifica quæ habet rationem majoris: quia tamen differunt plusquam numero, ex illo propterea capite ex quo habent ampliùs & magis differre habent etiam & petunt recipi in subjecto secundum diversas illius potentialitates, ut quantitas recipi petit in subjecto ut extensibili; & albedo in eodem recipi petit sed ut dealbabili, & sic de cæteris, ut fusiùs dicemus in Metaphysica; ac proinde cum diversæ potentialitates arguant, imò & exigant receptionem diversarum formarum, non mirum quod accidentia quæ differunt plusquam numero, seu specie distincta recipi possint in eodem numero subjecto: at verò duæ relationes, sive duo accidentia ejusdem speciei & solo numero distincta, cum possint solum recipi in subjecto secundum eamdem potentialitatem, utpote quæ ad eumdem ordinantur præstandum effectum, inde fit non posse simul in eodem subjecto recipi; bene tamen accidentia diversæ speciei.

COR-

COROLLARIUM

De proprietatibus & divisionibus relationum.

Cum quatuor assignari soleant proprietates relativorum, quarum prima, inquiunt, est quod habeant contrarium; secunda quod suscipiat relatio magis & minus; tertia quod dicantur relativa ad convertentiam; quarta denique quod sint simul natura & cognitione, ideo pro singularum declaratione.

Dico primò Primam proprietatem relativorum, scilicet quod habeant contrarium non assignari à Philosopho ex propria sententia, ut ipse monet Aristoteles in hoc capite; nec convenit relationi secundum se, cum contraria non possint esse simul in eodem subjecto; & relationes quæ videntur ad invicem contrariæ ut similitudo & dissimilitudo, æqualitas & inæqualitas possint esse in eodem subjecto, quod quidem ex eo patet, quod idem respectu diversorum possit esse simile & dissimile, æquale & inæquale; alicui tamen convenit relationi hæc proprietas ratione fundamenti. Cum enim relationes aliquæ fundentur in qualitate, cui aliquid propriè est contrarium, tales per consequens relationes possunt ratione sui fundamenti habere contrarium, & sic in hoc sensu verificari potest de relatione præfata proprietas.

Dico 2. Secunda relationis proprietas, videlicet quod relatio possit suscipere magis & minus, nec assignatur ab Aristotele ex propriâ sententia ut ipse fatetur; nec convenit relationi secundum se; cum suscipere aliquid propriè loquendo magis aut minus, fiat per majorem vel minorem admixtionem sui contrarii, cujus relatio non est secundum se capax; potest tamen hæc proprietas quodammodo competere relationi quæ fundatur in qualitate ratione sui fundamenti, non vero relationi quæ fundatur in alio à qualitate, cum nec illud possit suscipere magis aut minus; Porro ex his dicendum est, quod nec relatio inæqualitatis nec relatio similitudinis propriè suscipiunt magis aut minus, quia ad id requireretur quod ea-

eadem relatio modo esset major & modo minor, quod non utique sic contingit, sed variato fundamento variatur etiam ipsa relatio realiter, & diversam dicit relationem inæqualitatis ulna ad palmum ab illa, quam dicit ad idem quantum, si extendatur & fiat magis longum; & similiter realiter diversam dicit relationem similitudinis album ut quatuor ad album ut duo, ab illa quam dicit tale album, si ejus albedo remittatur usque ad albedinem ut duo.

Dico 3. Tertia proprietas relativorum, scilicet quod dicatur ad convertentiam, hoc est quod unum relativum dicatur ad convertentiam cum altero relativo in obliquo posito, omnibus competit relativis tam secundum esse seu prædicamentalibus, quam secundum dici seu transcendentalibus, si rectè assignentur; unde id non est proprium quarto modo relativorum secundum esse, seu prædicamentalem: neque enim minus verificatur hæc convertentia in hoc exemplo: creatura est creatoris creatura, ergo creator est creaturæ creator, quam in hoc quod est de relativo prædicamentali: pater est filii pater: Ergo filius est patris filius: non minus, inquam, verificatur in utroque convertentia, cum utrumque benè & ex æquo explicetur per ordinem ad aliud in obliquo importatum, seu quod in idem redit, cum utrumque non minus de seipso prædicetur cum implicatione alterius, quod est dici ad convertentiam.

Dico quartò, Proprium est quarto modo relativorum secundum esse, quod sint simul natura & cognitione, quia id omnibus & solis relativis secundum esse seu prædicamentalibus, ac semper competit. Ratio autem primæ partis seu primæ simultatis est, quia ut deducitur ex Aristotele *cap. de simul*, ut aliqua sint simul naturâ, sufficit & requiritur quod mutuo se inferant, & unum non sit causa alterius: si enim mutuò se inferunt, non potest unum esse sine altero; & si unum non est causa alterius, non potest esse prius natura altero; cum inter ea quæ sunt simul simultate temporis, qualia sunt ea quæ modo præfato se inferunt, non sit prioritas nec posterioritas naturæ, nisi sit dependentia causalitatis unius ab altero: Jam sic est quod relativa, cum dicantur ad convertentiam mutuò se inferunt, & in relativis secundum esse seu prædicamentalibus, cum unum, ut supra ostendimus respiciat alterum ut purum terminum, non est ordo causæ aut effectus: Ergo debent esse simul natura. Cum autem hoc etiam conveniat relativis prædicamentalibus non mutuis, ut for-

formaliter relativa sunt, & ut unum formaliter terminat relationem alterius; & ex alia parte hoc non conveniat aliis rebus absolutis: inter res enim absolutas quæ mutuò se inferunt necessariò intervenit ordo causæ aut effectus; Nec etiam conveniat relativis secundum dici, cum non respiciant terminum ut purum terminum, sed ut causam vel ut effectum, consequenter fit quod ly esse simul naturâ sit proprium quarto modo relativorum secundum esse, seu prædicamentalium: Quod autem idem sit dicendum de simultate cognitionis ex eo evidenter patet, quod cum totum esse relativi sit esse ad terminum, non potest adæquatè unum cognosci relativum, nisi illius cognito termino formaliter ut illius terminus est; ac proinde idem dicendum de simultate cognitionis, quod dictum est de simultate naturæ.

Jam vero quantum ad secundum in titulo propositum de divisionibus relationis, pro declaratione.

Dico 1. Relationem ex prima sui divisione dividi in relationem realem & relationem rationis, circa quam divisionem, quæ quidem ex terminis patet, hoc unum occurrit notandum, quod cum ea quæ dicuntur rationis, non nisi impropriè participent alia genera, propriè tamen æquè ac realia entia rationem participant generis relativi; propterea quod hoc est peculiare generi relativo, quod ex propriâ ratione non explicet realitatem, cum ex propria ratione non sit aliquid, sed ad aliquid; atque ita quamvis divisio relationis in realem & rationis esse non possit univoca, cum nihil detur univocum enti reali & rationis, est tamen præfata divisio in duo membra, quæ divisum secundum propriam rationem propriè participant.

Dico 2. Relationem realem dividi in relationem transcendentalem sive secundum dici, & in relationem prædicamentalem sive secundum esse, hoc est in relationem, cujus totum esse est in ordine ad aliud; & quæ propterea appellatur prædicamentalis, quia ex hoc extrahitur ab aliis prædicamentis absolutis, & unum speciale constituit prædicamentum quod est simpliciter relativum; & in relationem, cujus relativum licet non habeat totum suum esse in ordine ad aliud, ad ejus tamen esse consequitur aliquis ordo & respectus ad aliud, sine quo tale esse adæquatè explicari non potest, quæque propterea dicitur transcendentalis, quia vagatur per omnia prædicamenta & in rebus omnibus quantumcunque absolutis reperitur. Dixi autem supra: *sive secundum dici*; omnis namque relatio transcendentalis est relatio secundum dici, cum dicatur relatio tran-

transcendentalis quia omnia transcendit genera & prædicamenta,& consequitur ad res diversorum prædicamentorum & generum, quod utique convenit relationibus secundum dici, quæ in omnibus prædicamentis reperiuntur; ad differentiam relationum secundum esse,quæ licet possint pro materiali connotare & afficere res diversorum prędicamentorum,formaliter tamen solum reperiuntur in genere relationis, & ad speciale prædicamentum relationis pertinent: est ergo relatio transcendentalis condistincta à relatione secundum esse, & cum relatione secundum dici coincidens.

Dico 3. Etiam dividi relationem in mutuam & non mutuam; mutua est cujus extrema ad se invicem correferuntur,unde vocantur correlata ut pater & filius. Ita paries A similitudinem habet in se,unde respicit parietem B;quo modo ex opposito paries B, habet quoque in se & similitudinem, per quam vicissim respiciat parietem A,è contra vero relatio non mutua est,quando in uno tantum ex extremis est relatio: sic creaturæ quidem referuntur ad Deum,non autem Deus ad creaturas;sic similiter in doctrina Arist. *5.Metaph.c.15*.potentia & habitus referuntur ad objecta sua, ut scientia ad scibile; non autem è contra nam scientia quidem dependet à scibili, non autē scibile à scientia.

Dico 4. Ex relationibus alias dici essentiales subjecto suo, quomodo creatura dicitur essentialiter referri ad Deum, accidentia ad subjectum substans, potentiæ ad objectum, &c. aliæ autem sunt tantum accidentales,quia tantum contingenter existunt in suo subjecto,ac possūt abesse aut adesse à subjecto absque illius subjecti interitu:ut similitudo vel paternitas in Socrate,tria autem circa hanc divisionem occurrunt notanda.Primò quod relatio quę dicitur essentialis non propterea talis dicitur, quasi sit formaliter essentialis subjecto suo absoluto, illud nimirum in suo esse constituendo; quia ex eo destrueretur esse ipsius absolutum,simulque foret ens absolutum & non absolutum.Secundo quod relatio quæ dicitur essentialis dici tantum potest talis causaliter, eo scilicet sensu quod veluti emanet ab essentia subjecti, habeatque cum illo necessariam & inseparabilem connexionem,ut patet in exemplis allatis. Tertium denique quod occurrit notandum & quod seriò notari velim est, quod cum relationes essentiales sint idem, quod relationes transcendentales, ut patet ab exemplis quæ afferri solent & quæ adducta sunt de relationibus essentialibus, quæ quidem sunt eadem quæ adduci solent pro explicandis relationbus transcendentalibus, hinc, inquam, notandum velim quod

sicut

sicut relationes essentiales, etiamsi sint causaliter tales respectu sui subjecti hoc tamen non impedit, quo minus sint illi simul & formaliter accidentales, sintque formaliter accidentia, *Nota.* quod quidem expressè docet D. Thomas de relatione creaturæ ad Deum *quod l. 7. art. 10. ad. 4.* idem consequenter dicendum est de relationibus transcendentalibus; ac proinde & concludendum relationes transcendentales non propterea dici transcendentales ad modum aliorum sex transcendentium s quasi ita intime imbibantur in rebus quas afficiunt ut sint ipsamet entitas rei, cum sint accidentia consequentia, sed solum quia vagantur ad modum transcendentium per omnia prædicamenta: & hæc de relatione dicta sufficiant.

QUÆSTIO IX.

De sex ultimis Prædicamentis.

QUia brevissimè egit Aristoteles de sex ultimis prædicamentis, vel quia parum sunt in usu, ut de facto sunt quatuor ultima, vel quia ex dictis facile eorum natura deducitur, aut etiam quia quæ in iis alicujus sunt ponderis alibi tractanda relinquuntur, ut de facto contingit in prædicamentis actionis & passionis, de quibus iterum in Physica recurrit sermo in libris de generatione & corruptione, ideò quæ ad eorum expositionem dicenda sunt quæsitis aliquibus breviter, sed tamen sufficienter resolvemus. Unde

Quæres 1. Utrum sex ultima prædicamenta sint formæ absolutæ & intrinsecæ.

Respondeo, Sex ultima prædicamenta & esse absolutum quid, quod tamen explicari non potest nisi per ordinem ad aliquid extrinsecum, ac proinde sunt relativa secundum dici; & esse formas intrinsecas, licet ab aliquo extrinseco desumptas. Ratio autem primæ partis est, quia ea quæ sunt absolutum quid, sed relativa secundum esse, talia explicant ordinem & habitudinem ad terminum; adeo ut quamvis dicant inhærentiam, illam tamen non explicant: Jam sic est quod sex ultima prædicamenta, omnia præter actionem explicant inhærentiam, ut ex singulis illorum patet; & nullum illorum explicat ordinem & habitudinem ad terminum, nec dicit

ci *ad*; & actio quæ specialiter aliquid explicat præter inhærentiam non dicit esse *ad*, sed esse *ab*: Ergo prædicta sex ultima prædicamenta non sunt relationes secundum esse, sed sunt formæ quædam absolutæ, relativæ tamen secundum dici; quia cum omnia illa, ut statim videbimus, desumantur ab aliquo extrinseco, non possunt omninò intelligi sine ordine saltem transcendentali in ordine ad illud extrinsecum.

Quantum vero ad secundam partem, putà quod sint etiam formæ quædam intrinsecæ, & non tantum denominationes extrinsecæ, ratio est quia denominationes extrinsecæ non constituunt specialia genera aut prædicamenta distincta ab illis ad quæ pertinent formæ, à quibus tales denominationes extrinsecæ desumuntur: quod quidem patet in exemplo de visione, sive de denominatione extrinseca visi: visio namque existens intrinsecè in potentia visiva, & denominans extrinsecè parietem, non constituit duplex genus entis, unum secundum quod intrinsecè inhæret, & aliud secundum quod extrinsecè denominat; nec enim potest assignari ad quod genus entis realis denominatio extrinseca parietis à visione pertineat, nisi reducatur ad ipsum genus visionis, maximè cum ad nullum genus propriè pertineat, hoc ipso quod non est aliqua forma intrinseca: Jam sic est quod sex ultima prædicamenta verè constituunt specialia genera distincta à rebus extrinsecis, quas respiciunt, ut à loco & tempore quæ sunt de prædicamento quantitatis; alias dari non poterunt decem genera entis primo diversa contra Philosophum & communem ejus interpretum sententiam: Ergo prædicta sex ultima prædicamenta non consistunt præcisè in aliqua denominatione extrinseca, sed in formis intrinsecis, licet ab aliquo extrinseco desumptis.

Dices Contra primam partem, quod sex ultima prædicamenta dependent in suo esse ab existentia termini extrinseci ad quem ordinantur: non enim datur *ubi*, nisi sit locus circumscribens locatum: nec datur *quando*, nisi sit tempus, nec habere verbi gratia vestem, seu esse vestitum, nisi sit vestis: atqui proprium videtur esse relationis secundum esse, quod dependeat ab existentia sui termini: id enim non competit relationi secundum dici, utpote quæ eadem est ad terminum existentem vel non existentem, sicut eadem est relatio transcendentalis scientiæ ad scibile existens, & non existens: Ergo sex ultima prædicamenta esse non possunt formæ absolutè relativæ secundum dici, sed esse debent relationes secundum

esse, quæ tamen non propterea confundentur cum relatione prædicamentali, sed ab eâ adhuc sufficienter distinguentur, in quantum hæc statim consequitur posito fundamento & termino, & ideo dici debet intrinsecus adveniens; cum tamen aliæ quæ importantur per prædicta sex ultima prædicamenta, non ita statim consequuntur, & ideo dici debent, non intrinsecùs sed extrinsecus solum advenientes.

Respondeo Negando minorem, quod scilicet proprium sit relationis secundum esse, quod dependeat ab existentiâ sui termini: licet enim id competere non possit relativis secundum dici ex ratione eorum communi, cum de facto dentur relativa secundum dici, quæ id non habent, ut benè probat argumentum; dari tamen possunt relativa secundum dici, quibus illud conveniat, quando scilicet talia erunt & tam minimæ entitatis, ut ab aliquo extrinseco desumantur, & ab illo dependeant, ut de facto accidit in præsenti. Neque valet quod addit arguens ad differentiam horum prædicatorum, quamvis supponantur relativa secundum esse, ab ipso prædicamento relationis, puta quod prædicta sex ultima prædicamenta non sunt relationes intrinsecus advenientes, sed extrinsecus, &c. non inquam id valet, tùm quia si illa verè sint relationes secundum esse, & non tantum relativa secundum dici, sive sint intrinsecùs, sive extrinsecùs advenientes, verè conveniunt in ratione relationis, quæ tertium constituit prædicatum, ac proinde ad illud solum formaliter pertinebunt; tùm etiam quia gratis sex ista ultima prædicamenta vocantur relationes extrinsecus advenientes, sive non statim consequentes ad positum fundamentum & terminum: ideo enim dicunt Scotistæ quod hæ relationes non statim consequuntur ad positum fundamentum & terminum, quia posito verbi gratia agente & ad passum approximato, non statim resultat actio dicens respectum ad agens; jam sic est quod minimè exinde verificatur talem actionis respectum non resultare posito fundamento & termino; cum fundamentum proximum relationis agentis ad passum sit actio dimanans ab agente, & illâ positâ non possit talis non resultare relatio: Ergo gratis adducitur præfata distinctio de extrinsecùs vel intrinsecùs adveniente relatione.

Nota.

Dices Contra secundam partem; quod Divus Thomas 3. *physic. lect.* 5. & alibi sæpè videtur docere hæc ultima prædicamenta constitui solum per denominationes extrinsecas; & ideo 1. *contra gentes capite tertio*, hæc habet Sanctus Doctor:

ctor: *Aliquando denominatur aliquid ab eo quod est extra ipsum, ut à loco dicitur aliquid esse alicubi:* Non ergo consistunt hujusmodi prædicamenta in formis intrinsecis.

Respondeo Divum Thomam in prædictis testimoniis & aliis similibus non propterea intendere denominationes hujusmodi sex prædicamentorum esse omnino extrinsecas, nec ponere aliquid intrinsecum in determinato; cum enim ex eodem Divo Thoma, ut supra vidimus dum de numero prædicamentorum, reale accidens in novem dividatur prædicamenta, & aliunde dicat tale accidens essentialiter esse in alio, sive realem inhærentiam in ordine ad substantiam, consequenter fit quod solum penes diversam inhærentiam distinguantur genera sive prædicamenta accidentis ex Divo Thoma; ac proinde cum denominatio extrinseca non dicat inhærentiam, sed solum denominationem à forma in alio inhærente, sequitur de primo ad ultimum, quod si sex ultima dicerent solum denominationem extrinsecam, non constituerent ex sancto Doctore specialia genera accidentis realis. Non igitur illud in præfatis testimoniis intendit Divus Thomas, sed hoc quod intendit est, quod licet hujusmodi prædicamenta sint formæ intrinsecæ, & intrinsecè subjectum denominantes; desumuntur tamen ab aliquo extrinseco, ad differentiam aliarum formarum, puta albedinis verbi gratia, quę quidem intrinsecus inhæret, & intrinsecè denominat, nec tamen ejus denominatio ab aliquo pendet extrinseco. Et hoc etiam, & non amplius intendit sanctus Doctor in testimonio adducto *ex 1. contra gentes*: non enim ibi intendit, quod formaliter à loco denominetur aliquid esse alicubi, sed causaliter tantum; quia ipsum ubi intrinsecum, à quod aliquid dicitur esse formaliter alicubi, ab extrinseco loco desumitur, & à circumscriptione activa loci provenit in locato.

Nota.

Quæres 2. Quid sint actio & passio, & quæ earum species & proprietates.

Respondeo Quantum ad primum, quod actio est forma vel ratio per quam denominatur aliquid agere in materiam sibi subjectam vel facere: passio vero est forma seu ratio qua mediâ passum aliquid recipit ab agente. Ratio autem definitionis primæ est, quia cum actio supponat pro ipsa causalitate causæ agentis, debet consequenter esse formalitas quædam, quę sit actus secûdus, qui & causam ipsam respiciat ut ab illa, & terminum seu effectum ut ad illũ, non quidẽ respiciẽdo tantũ,

 sed

sed immutando vel producendo; jam sic est quod forma seu ratio, per quam denominatur aliquid agere in materiam sibi subjectam vel facere est talis seu taliter actus secundus, cum hoc ipso quod est forma denominans aliud in ratione agentis, ipsum respiciat ut ab illo; cum agens ut tale sit à quo; & hoc ipso quod est forma qua denominatur aliquid agere vel facere in materiam subjectam, respiciat hoc ipso passum, non quidem respiciendo tantum, sed respiciendo simul & immutando seu producendo: Ergo sufficienter explicat præfata definitio naturam actionis. Jam verò quod rectè etiam definiatur passio forma sive ratio, qua media passum aliquid recipit ab agente, ex eo ostenditur, quod cum passio opposito modo se habeat ad actionem, debet per consequens denominare passum, non ut præcisè est receptio in passo; sic enim purè intrinsecè denominaret; sed ut est in passo ex illatione agentis ut producentis ex præsupposito subjecto: à receptione enim formæ quasi innatâ [sicut cum recipitur in natura própria passio] non dicitur pati subjectum, sed à receptione illata ab agente: atqui in præfata definitione passionis explicatur hujusmodi receptio, illata scilicet ab agente, ut ex terminis definitionis patet: Ergo & sufficienter explicat naturam passionis præfata definitio.

Quantum autem ad secundum in quæsito propositum, scilicet de speciebus actionis & passionis, dato quod actio immanens ad hoc pertineat prædicamentum, dicendum est, dividi actionem tanquam in species subalternas, in actionem immanentem & transeuntem, quarum prima seu immanens in spiritualem dividitur & corporalem; spiritualis in volitionem, & intellectionem; & corporalis in diversas actiones secundum diversitatem sensuum interiorum & exteriorum; actio vero transiens in diversas dividitur species secundum diversitatem terminorum, ut in actionem substantialem & accidentalem, seu productivam substantiæ & accidentis. Item eodem & simili modo potest dividi passio in diversas species secundum diversitatem effectuum cujus est receptio. Dixi autem supra: dato quod actio immanens ad hoc pertineat prædicamentum; non enim verum existimo, quod universaliter omnis actio immanens ad hoc pertineat prædicamentum; ex eo scilicet quod actio prædicamentalis non tantum sit actus secundus per modum informantis & habentis in actu, sed præterea per modum originantis aliquid, & emittentis; quod quidem patet ex eo, quod non denominatur Deus agens sive producens nisi in tempore, quamvis actio

ctio sub ratione actus secundi sit ab æterno, ex eo scilicet quod solum in tempore rationem habeat originantis & emittentis effectum; Cum igitur actio immanens non habeat universaliter rationem originantis aliquid & emittentis, cum dentur actiones immanentes nihil originantes vel emittentes, ut est in nobis contemplatio post formatum verbum, & actiones immanentes visus & tactus; consequenter fit quod actio immanens, in quantum talis, non propriè pertineat ad hoc prædicamentum.

Denique quantum ad tertium, quas videlicet proprietates habeant actio & passio, dico quatuor assignasse Gilbertum Porrectanum in tractatu quem edidit de sex prædicamentis, in quo scilicet plenius eorum naturas & proprietates explicuit, & propter quem author seu principiorum est à Philosophis appellatus; quatuor igitur assignavit proprietates actionis & passionis, duas scilicet propriè convenientes actioni, & duas passioni proprias. Prima est quod ubicumque est motus, sit etiam actio & passio, & ubicumque est actio & passio sit motus: cujus ratio est quia licet hæc tria motus, actio, & passio suis rationibus formalibus & quidditativis distinguantur [quæ quidem sufficiens est distinctio, ut constituant actio & passio diversa prædicamenta, in quibus scilicet non realitas: sed formalitas seu quidditas formalis attenditur] licet inquam hæc tria suis rationibus formalibus distinguantur, ut ex dicendis constabit, inter se tamen entitativè & realiter identificantur: eadem siquidem entitas ut progreditur ab agente, & est causalitas illius, dicitur & est actio: ut verò recipitur in passo, & mediâ illa in eodem passo recipitur effectus, seu ut est ipsa receptio effectus, est & dicitur passio: ac denique secundum quod est via, fluxus, & tendentia ad acquisitionem effectus est motus, qui quidem motus, cum hoc ipso quod talis non sit completum quid, nec etiam pertinet propriè ad aliquod prædicamentum, sed est unum ex postprædicamentis, & reductivè pertinet ad prædicamentum termini, qui per talem motum acquiritur. Cum ergo identificentur hæc tria entitativè, verum per consequens quod ubicumque est motus sit actio & passio, & ubicumque est actio & passio, sit etiam motus.

Secunda verò quæ assignatur proprietas est, quod passio sit effectus actionis, ad hunc scilicet sensum, quod omnis receptio effectus in passo, in quo formaliter consistit passio dimanet ab agente, & prius intelligatur conceptus actionis quam

 passio-

passionis. Tertia autem proprietas, quam primam assignat Aristoteles, est quod actio & passio habeant contrarium, quod utique ratione termini ad quem illis competit, adeo ut calefactio contrarietur frigefactioni, quia frigus contrariatur calori. Quarta denique proprietas, quam Aristoteles assignat secundam, est quod actio & passio suscipiant magis & minus, quod similiter eis competit ratione termini ad quem. Et hæc pro nunc de actione & passione dicta sufficiant, de quibus infra in libris Physicorum & fusius disputabimus.

Quæres 3. Quid sint reliqua quatuor prædicamenta; & quas habeant species & proprietates.

Respondeo 1. Quantum ad prædicamentum *quando*, quod quamvis ad prędicamentum quando quod quidem secundum sententiam Gilberti, de quo supra, & D. Thomæ est id *quod ex adjacentia temporis relinquitur, ut esse id hoc vel illo tempore.* Requiratur ipsum subjectum quod sit in tempore, & ejus duratio, & requiratur ipsum tempus non tamen consistit ly *quando*, vel in re, quæ est in tempore, vel in illius duratione, nec in ipso tempore, sed in quodam accidente, quod scilicet ex eo quod aliquid sit in aliquo tempore illi resultat; sicut (ut statim explicabimus) ad hoc quod sit *ubi*, requiritur res, quæ sit in loco & ejus quantitas, ratione cujus est in loco, & ipse locus; in nullo tamen istorum consistit ubi, sed in quodam accidenti intrinseco quod rei locatæ, ex eo quod sit in loco, resultat. Ita ergo similiter de quando dicendū est, quod quidem insinuat Aristoteles, dum ait in hoc capite, quando quidem est esse heri vel superiori anno.

Porrò species hujus prædicamenti desumuntur penes diversum ordinem existendi in tempore ad diversas temporis partes: unde species sunt esse in tempore præsenti, pręterito, vel futuro; & cum tempus præsens sit indivisibile, esse in tempore præsenti est species atoma; aliæ verò duæ sunt alternæ, adeò ut esse in tempore futuro (& idem proportionabiliter dicendum de præterito) dividatur in ly esse hora sequenti, anno, die, vel mense sequenti. Hoc autem prædicamentum tres habet proprietates, duas ipsis & reliquis tribus prædicamentis communes; alteram verò eidem propriam. Duę priores communes sunt, quod nec habeat contrariū, nec suscipiat magis & minus: esse enim heri non contrariatur huic, quod dicitur esse hodie, licet sint simul incompatibilia propter successionem temporis; nec aliquid est hodie, aut magis heri quam alterum: tertia vero proprietas quæ specialiter convenit huic prædicamento est, quod solum ea quæ incipiunt & desinunt esse, sint in hoc præ-

prædicamento; quia cum illud sit, quod ex adjacentia temporis relinquitur, & æterna non sint in tempore, sed ea solum quæ incipiunt, solùm etiam illis ex adjacentia temporis potest aliquid relinqui.

Respondeo 2. quantum ad aliud prædicamentum, quod dicitur *ubi*, quod ubi secundum Gilbertum Porretanum est *circumscriptio passiva corporis à circumscriptione activa loci proveniens*: cum enim ut corpus circumscribatur à loco concurrat ipsum corpus, & ejus quantitas, media qua redditur capax existendi in loco, & concurrat locus extrinsecus ipsum circumscribens corpus, nec tamen in aliquo illorum consistat ubi; alias non darentur novem prædicamenta prædimentaliter distincta, ut ostensum fuit supra in responsione ad quæsitum primum, dicendum est per consequens, quod ubi in quodam accidente intrinseco consistit, quod à circumscriptione activâ loci in corpus ipsum locatum resultat: quod tamen accidens, cum desumatur à loco intrinseco, non potest intelligi sine respectu aliquo transcendentali ad ipsum locum; & ideo motum localem per quem mobile acquirit ubi, aliquando Philosophus & D. Thomas dicunt esse ad locum, aliquando verò esse ad ubi, quia ad locum est ut ad terminum extrinsecum motus; ad ubi verò tanquam ad terminum illius intrinsecum. Porrò species hujus prædicamenti [ut ex Aristotele *5. physic. textu* 45. colligitur] sunt esse sursum & deorsum; ante & retro; dextrorsum & sinistrorsum. Proprietas autem hujus prædicamenti: præter duas communes illi & aliis tribus prædicamentis, quas in præcedenti assignavimus, est quod ubi solum competat corporibus quantis, quia ubi, quod hoc constituit prædicamentum, solum est, quod provenit ex circumscriptione activa loci, quæ quidem circumscriptio solis convenit quantis, cum sint alia solum definitivè in loco.

Respondeo 3. pro prædicamento *situs*, quod cum distinguatur hoc prædicamentum ab ubi per hoc, quod ubi solum dicit existentiam corporis in loco, cùm tamen situs superaddat dispositionem partium corporis locati in ordine ad locum, ita quod in ordine ad locum pars una corporis locati sit prior alterâ, ideo bene describitur situs, *dispositio partium in ordine ad locum*, & dicitur dispositio partium in ordine ad locum, quia dispositio partium in ordine ad se spectat ad prædicamentum quantitatis, species hujus prædicamenti sunt dispositio naturalis in ordine ad locum, illa videlicet dispositio, quam natura cuilibet corpori præfixit; homini enim præfixit natura, ut habeat caput sursum, arbori quod habeat caput

ſcilicet radicem deorſum; & brutis quod habeant caput inclinatum ad terram, non tamen ita deorſum ſicut arbores: altera verò ſpecies eſt præternaturalis, & eſt illa quæ convenit ex appetitu animalis, quæ quidem in varias dividitur ſpecies, ut ſunt ſedere, jacere, & ſtare. Hujus verò prædicamenti proprietas, poteſt aſſignari ſimiliter in eo, quod ſolis corporibus quantis hoc competat prædicamentum, cum ea ſolum capacia ſint diſpoſitionis partium in ordine ad locum.

Reſpondeo ultimò pro intelligentiâ ultimi prædicamenti quod eſt *habitus*, quod cum habitus, ut ſupra diximus dum de ſpeciebus qualitatis, in ea uſurpetur acceptione, juxta quam inter habens & rem habitam mediat aliquid per modum actionis aut paſſionis, qua de cauſa explicari ſolet per ly *veſtitum*. quod quidem dicit aliquid quod non dicit ly habere ſeu poſſidere ſimpliciter veſtem, ideo rectè deſcribitur à Gilberto quod ſit *corporum vel eorum, quæ circa corpora ſunt adjacentia*; hoc eſt quod ex eo quod aliquis habeat veſtem, & non quomodocumque illam habeat, vel poſſideat, ſed ſit illa veſtitus, ex tali tunc veſte ſibi adjacente reſultat in corpore adjacentia veſtis, id eſt habere prædicto modo veſtem; & id dicitur habitus, qui quamvis ab extrinſecâ veſte deſumatur, aliquid tamen eſt intrinſecum in ipſo veſtito corpore: dividuntur autem ſpecies hujus prædicamenti ſecundum diverſa genera veſtimentorum, quæ toti corpori vel partibus poſſunt adjacere, ut habere arma, habere veſtem, habere calceamentum, ſeu quod in idem redit, eſſe veſtitum, armatum, vel calceatum.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Poſtprædicamentis

POſt tractatum prædicamentorum agit Ariſtoteles de poſtprædicamentis, quæ cum ſint quidam modi incompleti, qui per omnia vagantur prædicamenta, propterea poſtprædicamenta dicuntur, quæ quidem ſunt numero quinque, ſcilicet oppoſitio, prioritas, ſimultas, motus, & modus habendi, pro quorum expoſitione.

Dices 1. quantum ad poſtprædicamentum primum, quod eſt oppoſitio, quatuor aſſignaſſe Ariſtotelem ſpecies oppoſitionis, ſcilicet contradictoriam, privativam, contrariam, & rela-

relativam. Cujus quidem divisionis ratio est, quia omnis oppositio vel est inter ens & simpliciter non ens, & sic est oppositio contradictoria; vel est inter ens & non ens, in subjecto tamen apto habere tale ens, & sic est oppositio privativa; vel est inter ens & ens, quæ se mutuo expellunt; & sic est oppositio contraria; vel denique est inter ens & ens, quæ mutuò se respiciunt, & sic est oppositio relativa; cumque alius excogitari nequeat oppositionis modus, sequitur rectam ac sufficientem esse præfatam divisionem. Porro inter hujusmodi oppositiones omnium maxima est contradictoria, utpote inter cujus extrema nullum est medium, nec aliqua inter illa est convenientia; nec ullum extremum habet exigere subjectum quod sit capax alterius extremi. Oppositio autem privativa major est oppositione contrariâ & relativâ, cum illa sit inter ens & non ens, ista verò sit inter ens & ens. Oppositio denique contraria major est oppositio, quam relativa, quia contrariè opposita ab eodem se expellunt subjecto; relativè autem opposita saltem respectu diversorum in eodem reperiri possunt subjecto, ut idem respectu unius potest esse duplum, & respectu alterius subduplum.

Dico 2. quantum ad postprædicamentum prioritatis, quod quinque assignavit Aristoteles prioritatis modos, primus est prioritas temporis, ut [illegible]do duo diverso tempore generantur, unum tunc dicitur prius tempore alio. Secundus modus est prioritas subsistendi consequentiâ; ut cum unum infertur ab alio, nec tamen illud aliud infert; & hoc unum dicitur prius duobus; quia bene valet consequentia, *sunt duo, ergo est unum*, non tamen valet è converso. Tertio modo dicitur aliquid prius ordine, ut inter sedentes, qui primo loco sedet dicitur prior ordine aliis. Quarto modo dicitur aliquid prius dignitate, ut Rex prior est cæteris dignitate. His autem quatuor prioritatis modis addit Aristoteles quintum, quem vocat modum prioritatis naturæ; & ait id esse prius altero natura, quod cum sit simul tempore, est tamen causa illius, sicut prius est naturâ sol, quam ejus illuminatio, quia quantumvis sint simul tempore, sol tamen est illuminationis causa. Præter hos tamen modos prioritatis admittunt communiter Theologi alium modum, quem vocant prioritatem originis inter divinas personas, ratione processionis unius ab alterâ omni seclusâ causalitate; nihilominus cum verbum seu filius in divinis, procedens ex vi processionis formaliter ut Deus, procedat ut ens omnibus modis primum non video ego quo jure

Nota.

ſtare poſſit prioritas aliqua in divinis, quæcumque illa ſit; unde & illam omninò reſpuendam docui olim in tractatu de Trinitate, nec prioritatem, ſed ſolùm ordinem originis admiſi cum angelico præceptore inter divinas perſonas.

Dico 3. quoad poſtprædicamentum ſimultatis, quod tribus modis dicuntur aliqua eſſe ſimul, ſcilicet ſimul tempore, ut quæ in eodem temporis inſtanti generantur; & ſimul naturâ, ut cum aliqua mutuo ſe inferunt, nec tamen unum eſt cauſa alterius; & tertio dicuntur aliqua eſſe ſimul ſimultate diviſionis ſeu diviſiva, qua quidem ſimultate gaudent differentiæ, quæ ex æquo immediatè dividunt idem genus, ut terreſtre, aquatile, volatile reſpectu generis animalis, & quamvis hæc videantur comprehendi ſub ſecundo membro ſimultatis, cum unum non ſit cauſa alterius, hunc tamen addidit ſimultatis modum Ariſtoteles, ad denotandum, quod quamvis inter has differentias una ſit nobilior aliâ, ut tamen dividunt genus ſunt ſimul natura.

Dico 4. pro quarto exponendo poſtprædicamento ſcilicet motu, quod cum ſit motus tendentia & via ad terminum, eſt conſequenter aliquid incompletum; ac proinde ad nullum prædicamentum directè pertinet, ſed eſt poſtprædicamentum, & reductivè pertinet ad prædicamentum ſui termini. Sex autem aſſignat Ariſtoteles hic ſpecies [illegible]tus, juxta differentiam terminorum, videlicet ad ſubſtantiam, generationem & corruptionem, licet iſti non ſint propriè motus, ſed mutationes inſtantaneæ; ad quantitatem, augmentationem & diminutionem, ad qualitatem motum aſſignat alterationis; & ad ubi motum localem.

Dico ultimò pro ultimo exponendo poſtprædicamento, quod eſt habitus, ſeu modus habendi, quod hic non accipitur habitus ſeu modus habendi pro diſpoſitione ſubjecti; ſic enim acceptus habitus eſt ſpecies qualitatis, ut alibi diximus; nec etiam accipitur hic habitus pro habere aliquid, prout inter habens & rem habitam mediat aliquid per modum actionis vel paſſionis; ſic enim ſumptus habitus unum conſtituit prædicamentum, ſcilicet ultimum, ut ſupra vidimus; ſed ſumitur hic habitus, pro habere aliquid quomodolibet alio modo. Hos autem diverſos habendi modos qui ad hoc pertinent poſtprædicamentum reducit Ariſtoteles 5. *Metaph. textu* 28. ad quatuor primo, inquit, dicitur aliquid rem aliquã habere, quam ſcilicet trahit ad ſuã diſpoſitionem, quomodo dicitur febris habere infirmũ. Secundo dicitur aliquid aliud habere, ſicut ſubjectũ ha-

habet formam, videlicet subjectivè. Tertio ut continens habet contentum, quo modo dicitur vas habere aquam. Quarto dicitur aliquid aliud habere per violentiam, sicut columna habet trabem: quibus habendi modis addit Philosophus quintum, quo scilicet dicitur aliquis habere amicum.

LIBER V.

De enunciatione, seu propositione super libros Perihermenias.

Cum superior prædicamentorum liber, à quo exordium sumit Aristotelica sive peripatetica doctrina, simplicia rerum genera consideret, ea scilicet disgregando & discernendo, subindeque & de iis tractet secundis intentionibus, quarum notitiâ dirigitur prima mentis operatio, seu simplex objecti apprehensio, jam postulat ordo doctrinæ, ut ad enunciationem, seu propositionem discutiendam progrediamur, quæ ad secundam pertinet operationem mentis; & ideò ad libros perihermenias progredimur, in quibus scilicet agitur à Philosopho de propositione & aliis ad ipsam spectantibus, quarum notitiâ dirigitur secunda mentis operatio; unde & inscribuntur libri perihermenias, ac si dicas; de interpretatione, quia scilicet propositio, quæ in iis consideratur tanquam proprium eorum objectum, est veluti nostra mentis interpres, cum illa sit qua conceptus nostros aliis aperimus & manifestamus. Quia verò in his libris tractari solet de signis, de nomine, verbo, oratione, & deinde de ipsa enunciatione, propterea quod ipsa propositio quæ hic expenditur, constat nominibus tanquam partibus, quæ ideo termini appellantur, constat & verbo tanquam copulâ partes hujusmodi uniente; oratio verò se habet ut genus ad illam; & insuper hæc omnia conveniunt in ratione signi; quia inquam de iis tractari solet in his libris, eaque singula tractavimus nos in introductione ad Logicam, ubi de nomine, verbo, oratione & signis; & insuper quid & quotuplex sit propositio & quænam ejus proprietates suffi-

sufficienter ibi explicuimus, unum tantum hic superest resolvendum, magni tamen ponderis, & his præcipuè temporibus controversum; unde sit

QUÆSTIO UNICA.

Vtrum propositiones contradictoriæ de futuro contingenti, sint determinatè veræ vel falsæ?

PRæmittendum primò, Quod quamvis sub his terminis proponi soleat præsens difficultas, non tamen est sensus tituli, an propositiones quæ verè sunt de futuro contingenti, sive de contingenti aliquo verè futuro, sint determinatè veræ vel falsæ; cum enim non sit contingens verè futurum nisi per causam verè determinatam ad dandum illi esse pro futuro tempore; & suppositâ causâ ita determinatâ fit tunc propositio de futuro omnino certa; cum sit tunc omninò certum, quod futurum quod enunciat est verè futurum, seu determinatum ad habendum esse pro futuro tempore, eo quod ly determinatum ad dandum esse sit correlativum ad ly determinatum ad habendum esse, consequenter fit, quod si sensus tituli esset iste, an scilicet propositiones contradictoriæ de contingenti aliquo verè futuro sint determinatè veræ vel falsæ, esset tunc difficultas ex ipsis terminis evacuata, nec nisi frustra controverti posset. Non ergo hunc facit sensum titulus; sed sensus quem facit est iste: an propositiones contradictoriæ quæ enunciantur de aliquo contingenti pro futuro tempore, vel quæ enunciant futuritionem & non futuritionem de contingenti, adeò ut dicatur contingens illud futurum non per determinatam futuritionis causam, sed per enunciationem de futuro aut profuturo, utrum inquam propositiones illæ contradictoriæ sint determinatè veræ vel falsæ, sive determinatè conformes vel difformes rei quam enunciant; ita ut non tantum verificetur sub disjunctione & indeterminatè, quod una vel altera debet esse vera, sed præterea quod hæc præ altera vera sit, sitque assignabilis ratio quare hæc vera sit potius quam falsa.

Affirmativam tenent præcipuè Molinistæ, hoc scilicet convicti futili & puerili fundamento, quod tam verè & determinatè

natè futurum est illud, quod de facto fiet, quam verè & determinatè futurum olim fuit illud quod modo fit; unde cum id quod modo actu fit, verè & determinatè esset futurum, ita à pari & id quod de facto fiet, verè & determinatè est futurum, ac proinde propositio illa, Petrus peccabit, est determinatè vera, cum de facto eventurum sit quod Petrus peccabit. Hoc autem fundamentum futile dixi & puerile, cum non minus verratur in dubium & controvertatur, quam id quod fundat: Habet enim hoc fundamentum, quod tam verè & determinatè futurum est illud *quod de facto fiet*, quam verè & determinatè futurum olim fuit illud, quod modo fit: Ergo veritas propositionis de futuro fundatur in eo, quod id quod enunciat de facto fiet, sicut de facto fit, quod olim fuit futurum; atqui hoc est de quo dubitatur, & quod præcipuè controvertitur, quare de illo de quo enunciatur futuritio, seu quod enunciatur pro futuro tempore, dicatur potiùs *quod de facto fiet, quam quod non fiet*, cum pro illo tunc pro quo enunciantur propositiones illæ contradictoriæ de futuro, non supponatur futuritionis causa determinata, ut infra demonstrabo: nec dicantur propositiones de futuro nisi enunciativè, seu quia enunciant pro futuro tempore, vel quod in idem redit, quia enunciant futuritionem de contingenti. Merito ergo puerile dixi ac futile hoc affirmativæ sententiæ fundamentum; unde ad expositionem negativæ, quam omnes sequuntur Thomistæ, & declarationem principiorum super quæ nititur,

Nota.

Præmittendum secundò, Hæc tria esse apud omnes communiter recepta, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, putà quod *propositiones contradictoriæ de futuro contingenti esse non possunt determinatè vera vel falsa, nondum extante causa veritatis vel falsitatis*: Quod *propositiones contrariæ de futuro contingenti non sunt determinatè vera vel falsa*: Quod *pro statu possibilitatis rerum nihil est futurum*. Primò quidem receptissima est & verissima prima illa propositio, putà quod propositiones contradictoriæ de futuro contingenti esse non possunt determinatè veræ vel falsæ, nondum extante causâ veritatis vel falsitatis; cujus ratio, quia cum ex eo quod res est vel non est, propositio dicatur vera vel falsa, ut dicit axioma, ex eo scilicet quod tunc solum est propositio conformis vel difformis rei quam enunciat, in quo ejus consistit veritas, vel falsitas, consequenter fit, quod cum res non habeat esse, quodcumque illud sit,

sivè

causâ veritatis vel falsitatis, nec sunt absolutè loquendo determinatè veræ vel falsæ. *Probatur antecedens* : non alia est causa veritatis in præfatis propositionibus de futuro, quam ea, quæ causa est futuritionis : sed si essent determinatè veræ vel falsæ, essent tales nondum extante futuritionis causa : Ergo & essent tales nondum extante causa veritatis vel falsitatis. *Major* est certissima, cum enim ex eo quod res est vel non est propositio dicatur vera vel falsa, consequenter fit, quod ex eo, quod est causa futuritionis vel non futuritionis dici debeant propositiones de futuro veræ vel falsæ. *Probatur Minor* : causa futuritionis rerum est causa rei prout determinata ad dandum esse : sed si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, essent tales nondum extante causa etiam prima determinata ad dandum esse : Ergo & essent tales nondum extante futuritionis causa. *Major* est certissima. Cum enim causa futuritionis rerum non sit causa rei, prout solum potens producere; sic enim causare dicitur possibilitatem; nec sit etiam causa rei prout actu producens, sic enim causare dicitur præsentiam sive existentiam rei, sequitur esse tantum posse eamdem rei causam prout determinatam ad producendum, quod quidem mediat inter ly potens producere, & ly producens, sicut & mediat futuritio inter possibilitatem rei, & ejusdem existentiam. *Probatur Minor* : si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent tales pro omni etiam rationis signo : sed causa etiam prima non est determinata pro omni signo ad dandum esse contingentibus : Ergo si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent tales nondum extante causa determinata ad dandum esse. *Minor* est certissima, pro signo enim pro quo concipiuntur necessaria in Deo, non supponitur Deus determinatus liberè ad dandum esse, aliàs necessaria non præintelligerentur liberis, quod à Theologis communiter rejicitur. *Probatur Major* : in qua sita est vis argumenti, si essent propositiones præfatæ contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent hoc ipso tales pro omni signo, pro quo essent propositiones contradictoriæ : sed quod sint propositiones contradictoriæ verificatur de illis pro omni signo, cum quod sint ita contradictoriæ sit veritas omninò immutabilis & necessaria: Ergo si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent hoc ipso tales pro omni rationis signo : Ergo & essent tales, nondum extante causa etiam prima determinata ad dandum esse : Ergo & essent tales nondum extante causa futu-

futuritionis? Ergo & essent tales nondum extante causâ veritatis vel falsitatis: Ergo hoc ipso quod non possunt propositiones præfatæ esse determinatè veræ vel falsæ nondum extante causa veritatis vel falsitatis [quod est primum præmissum principium] nec sunt hoc ipso præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *propositiones contrariæ de futuro contingenti non sunt determinatè vera vel falsa*: Ergo neque propositiones contradictoriæ. *Probatur consequentia*: non addunt propositiones contradictoriæ super contrarias nisi vim contradictionis; sed ex vi contradictionis non possunt esse determinatè veræ vel falsæ: Ergo hoc ipso quod propositiones contrariæ de futuro contingenti non sunt determinatè veræ vel falsæ contradictoriæ. *Major* est evidens. *Probatur Minor*: vis contradictionis salvari non potest sine eo quod ex vi contradictionis habetur: atqui salvatur in præfatis propositionibus vis contradictionis, absque eo quod sint determinatè veræ vel falsæ: Ergo non possunt ex vi contradictionis esse determinatè veræ vel determinatè falsæ. *Major* est evidens. *Probatur Minor*; salvatur in præfatis propositionibus vis contradictionis etiam quantum ad veritatem & falsitatem, quamdiu salvatur per quod distinguantur sufficienter à contrariis; ut per se patet: arqui sufficienter distinguuntur à contrariis, absque eo quod sint determinatè veræ vel falsæ, sed indeterminatè solum & sub disjunctione, cum contrariæ nec etiam indeterminatè & sub disjunctione sint veræ vel falsæ, ut conceditur, & ut patet in exemplis supra in præmissis allatis: Ergo salvatur in præfatis propositionibus vis contradictionis, absque eo quod sint determinatè veræ vel falsæ: Ergo non sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ ex vi contradictionis: Ergo cum non addant super propositiones contrarias nisi vim contradictionis: hoc ipso quod contrariæ non sunt determinatè veræ vel falsæ, [quod est secundum præmissum principium] nec etiam sunt determinatè veræ vel falsæ propositiones contradictoriæ.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio: *pro statu possibilitatis rerum nihil est futurum*: Ergo non sunt propositiones contradictoriæ de futuro contingenti determinatè veræ vel falsæ: *Probatur consequentia*: si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, daretur futurum pro statu possibilitatis terũ: Ergo hoc ipso quod pro tali statu nihil est futurũ, non sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ,

Pro-

Probatur antecedens : non possunt præfatæ propositiones de futuro contingenti esse determinatè veræ, & non dari aliquid futurum: sed si essent determinatè veræ, essent tales etiam pro statu possibilitatis: Ergo si essent determinatè veræ, daretur pro statu possibilitatis rerum aliquid futurum. *Major* est evidens, cum ex eo quod res est ut enunciatur, dicatur propositio vera. *Probatur Minor* : si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent tales pro omni illo tunc pro quo fierent propositiones contradictoriæ : sed non repugnat fieri & concipi propositiones contradictorias de futuro contingenti pro statu possibilitatis rerum: Ergo si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, essent etiam tales pro statu possibilitatis rerum. *Major* est evidens, cum pro omni illo tunc esset ratio unde sint veræ, puta quia sunt propositiones contradictoriæ, & non solum contrariæ. *Probatur Minor* : propositiones dicuntur in præsenti de futuro, hoc ipso & per hoc præcisè, quod enunciant futuritionem; atqui non repugnat enunciari futuritionem de aliquo pro statu possibilitatis rerum, sicut nec repugnat enunciari existentiam pro statu futuritionis; ex eo scilicet quod licet esse reipsa futurum pugnet cum statu possibilitatis, non tamen pugnat esse futurum enunciativè, ut per se patet: Ergo non repugnat fieri propositiones contradictorias de futuro contingenti pro statu possibilitatis rerum : Ergo si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent etiam veræ pro statu possibilitatis rerum : Ergo si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, daretur pro statu possibilitatis rerum aliquid futurum : Ergo hoc ipso quod pro statu possibilitatis rerum nihil est futurum; [quod est tertium præmissum principium] nec sunt hoc ipso præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ.

Notaȝ.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, propositio quæ est de objecto determinato non potest non esse determinatè vera vel falsa: sed propositiones contradictoriæ de futuro contingenti sunt de objecto determinato, etiam pro omni rationis signo. Ergo etiam pro omni rationis signo sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ. *Major* patet ex terminis, cum enim dicatur objectum propositionis id quod enunciat propositio, non potest consequenter objectum esse determinatum quin sit ipsa etiam

Videantur alia fundamenta in solutionibus objectorum.

propositio determinatè vera vel falsa. *Probatur Minor*: objectum seu id quod enunciatur in præfatis propositionibus non est futurum aut non futurum quomodocumque, sed futurum aut non futurum pro tali temporis differentia ; verbi gratia pro die crastinâ ; atqui pro tali differentiâ temporis non potest non esse determinatè futurum aut determinatè non futurum : Ergo sunt præfatæ propositiones de objecto determinato. *Probatur minor*: hoc ipso quod pro tali differentia temporis non remanet indifferens ad esse futurum vel non futurum, debet esse pro tali tempore determinatè futurum vel non futurum : sed prò tali differentia temporis, pro qua enuntiatur, non remanet indifferens ad esse futurum vel non futurum, ut per se patet; cum pro illo tempore ponatur de facto vel non ponatur: Ergo pro tali differentia temporis non potest id quod enunciatur non esse determinatè futurum aut non futurum.

Respondeo Negando Minorem, cujus quidem falsitas abundè patet ex dictis supra in probationibus conclusionis, præcipuè in prima, ubi ostensum fuit, quod pro omni rationis signo non extat causa futuritionis, cum pro omni rationis signo non supponatur causa rei quæ dicitur futura (etiam loquendo de causa prima) determinata ad dandum esse pro tali temporis differentia, quæ tamen causa prout determinata est & dicitur absolutè causa futuritionis; ad probationem verò respondeo primò Negando Majorem si sumatur præcisè & ut sonat in terminis : vel Concedo si cum hoc sumatur addito, puta quod objectum in præfatis propositionibus est futurum aut non futurum pro tali temporis differentia *verificandum pro illo signo pro quo enuntiatur propositio* : & in hoc sensu intellectâ (ut intelligi debet) præfatâ majori Nego Minorem, puta quod pro tali differentiâ temporis non possit non esse determinatè futurum vel non futurum, *verificandum tale prò omni illo signo pro quo enuntiatur propositio.* Notandum ergo & quidē setiò & diligenter (cum ex hoc tota ferè pendeat resolutio difficultatis) notandū inquam in hoc decipi adversarios, quod putent sufficere ad determinatam veritatem vel falsitatem propositionum quod res pro tali temporis differentiâ sit determinatè futura aut non futura, ex eo inquiunt, quod hoc est totum hujusmodi propositionum objectum, seu id totum quod per illas enunciatur: in hoc inquam decipiuntur, non advertentes quod cum illud enuntietur futurum pro tali temporis differentiâ ab eo tempore quo fit & enunciatur propositio, non sufficit per consequens

sequens ad determinationem objecti enunciati per propositionem quod illud futurum sit aut non futurum determinatè pro tali temporis differentia, sed præterea requiritur quod sit futurum aut non futurum determinatè pro tali temporis differenrentia,& simul verificandum tale ab eo tempore, ab illo tunc, ab illo signo, pro quo & in quo fit propositio, cum, ut dictum fuit, ita enuncietur futurum ab eo tempore sive ab eo signo in in quo fit propositio.

Cum igitur res illa, licet sit futura determinatè, vel non futura pro illa temporis differentiâ, ex eo scilicet quod pro illâ supponitur causa determinata ad dandum esse, non tamen sit futura determinatè vel non futura, verificanda talis ab eo tempore, sive ab eo signo in quo fit & enunciatur propositio, ut etiam concedunt adversarii, aut certè coguntur concedere, sed solum ab eo tempore & ab illo signo in quo incipit causa esse determinata, consequenter fit quod objectum hujusmodi propositionum, seu in totum quod per illas enunciatur non sit determinatum pro omni signo, nec consequenter quod pro omni signo pro quo fiunt hujusmodi propositiones, sint determinatè veræ vel falsæ.

Instabis: Ideò ergo non sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ pro omni signo, quia futuritionis causa non supponitur pro omni signo determinata: sed quod sit causa ita determinata hoc non requiritur ad determinatam propositionem de futuro: Ergo falsum est quod non sint præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ pro omni signo. *Probatur Minor*: propositiones istæ, causa se determinabit, causa non se determinabit, sunt propositiones de futuro; sed non potest requiri determinata causa, ut fiant determinatæ: Ergo ad determinatam propositionem de futuro non requiritur quod sit causa determinata. *Probatur Minor*: non potest prærequiri causa determinata ad seipsam ut determinandam: sed si ad præfatas duas propositiones prout determinatas prærequireretur causa determinata, prærequireretur determinata causa ad seipsam ut determinandam; cum præfatæ duæ propositiones sint de causa determinanda, ut patet ex terminis: Ergo non potest requiri determinata causa, ut fiant propositiones de futuro contingenti determinatæ.

Respondeo Negando Minorem: ad cujus probationem nego similiter minorem: Quod enim causa sit potiùs se determinatura, quam non se determinatura, vel è contra, cum hoc non habeat ex se & ab intrinseco, aliàs non contingenter sed de necessitate esset potiùs se determinatura, quam non se de-

determinatura: debet hoc consequenter habere ratione alicujus causæ extrinsecæ, quæ quidem non alia in hoc casu assignari potest quam prima causa: jam sic est quod prima causa non potest esse causa, quod causa secunda, de quâ est sermo, sit potius se determinatura, quam non se determinatura, vel è contra, quamdiu se habet ad hoc indifferenter, nec supponitur determinata: Cum ab indifferenti ut tali nihil exeat determinatum, nec exire possit, sicut nec ex calido ut tali exire potest frigidum: Ergo falsum est quod non prærequiratur determinata causa, ad hoc ut præfatæ duæ propositiones de futuro, puta: *causa se determinabit*: *causa non se determinabit*, fiant & sint determinatæ, seu determinatè veræ vel falsæ.

Ad ultimum verò respondeo primò Negando Minorem; cum enim causa quæ prærequiritur determinata supponat pro causâ primâ; & causa quæ supponitur determinanda supponat pro causâ secundâ consequenter fit, quod quamvis requiratur determinata causa ad veritatem hujus propositionis; *Causa se determinabit*, non propterea sequatur quod prærequiratur determinata causa ad seipsam ut determinandam. Vel respondeo secundo distinguendo Majorem sic: non potest prærequiri determinata causa ad seipsam determinandam, si sermo sit de causâ determinatâ formaliter, & formaliter determinandâ Concedo; si autem sermo sit de cauâ solum virtualiter determinatâ, & de eadem ut formaliter determinanda Nego: nec enim est inconveniens, quod aliquid ut virtualiter tale prærequiratur ad se ipsum ut formaliter tale: Iam sic est, quod quamvis ad præfatas duas propositiones prout determinatas, *causa se determinabit*, *causa non se determinabit*, prærequireretur causa etiam secunda determinata, solum tamen prærequireretur ut determinata virtualiter, cum ad hoc sufficiat quod sit determinata in causa prima, & ex vi determinationis causæ primæ, quod est esse virtualiter determinatum: Ergo reputari non debet tanquam absurdum, quod requiratur causa etiam secunda determinata ad verificationem & determinationem harum propositionum: *Causa se determinabit*, *causa non se determinabit*.

Vrgebis: Non tantum de causa secunda, sed etiam de causa prima fieri potest hoc contradictorium de futuro: *se determinabit*, *non se determinabit*; atqui ad veritatem hujus determinatam nulla potest tunc prærequiri causa determinatâ, nec virtualiter, nec formaliter: Ergo fieri possunt pro-

propositiones contradictoriæ de futuro, ad quarum veritatem determinatam nulla prærequiratur determinata causa. *Minor* est certissima: cùm enim hoc ipso quod de causa prima dicitur: *se determinabit, non se determinabit*, ipsa non supponatur tunc determinata, nec alia dari possit ante illam determinata, consequenter fit quod ad verificationem & determinationem hujus contradictorii nulla possit requiri determinata causa. *Probatur major*: de causa quæ non supponitur pro omni signo determinata, potest hoc fieri contradictorium de futuro: *se determinabit, non se determinabit*: sed causa prima non supponitur pro omni signo determinata; cum non nisi liberè sit determinata, & signum liberorum non sit primum quod intelligitur signum: Ergo non tantum de causâ secunda, sed etiam de causa prima fieri potest hoc contradictorium de futuro: *se determinabit, non se determinabit*.

Respondeo Negando Majorem: ut enim notat Divus Thomas actus liber, puta determinatio ad effectus ad extra non concipitur in Deo ut egressurus, sed ut egrediens: sicut à causa agente in actu secundo, & sub ratione principii actualis non concipitur effectus egressurus, sed actu egrediens: unde sicut principium actuale operationis in nobis; licet sit prius operatione prioritate naturæ & instantis *à quo*, non tamen propterea operatio est aut concipi potest ut futura respectu illius, quia scilicet talem habet cum illo simultatem existentiæ, ut non detur instans aut signum *in quo* sit principium actuale, & non sit operatio; [non enim prioritas *à quo* est prioritas durationis & existentiæ, sed causalitatis tantum & naturæ:] Ita similiter cum determinatio libera in Deo sit tantum posterior necessariis secundum instans *à quo*, & non secundum instans & signum *in quo*; cum pro omni instanti in quo existunt necessaria, existat etiam determinatio illa libera Dei, aliàs non esset Deus actus purus, consequenter fit quod respectu talis determinationis fieri non possint in veritate & cum fundamento propositiones de futuro; nec consequenter contradictorium illud: *causa prima se determinabit; causa prima non se determinabit*: ad probationem verò Distinguo Majorem: de causa quæ non supponitur pro omni signo determinata potest hoc fieri contradictorium de futuro: se determinabit: non se determinabit, si non supponatur determinata pro omni instanti & signo reali Concedo: si autem signum pro quo supponitur non determinata sit tantum signum rationis ut in præsenti contingit: Nego.

ſtare poſſit prioritas aliqua in divinis, quæcumque illa ſit; unde & illam omninò reſpuendam docui olim in tractatu de Trinitate, nec prioritatem, ſed ſolùm ordinem originis admiſi cum angelico præceptore inter divinas perſonas.

Dico 3. quoad poſtprædicamentum ſimultatis, quod tribus modis dicuntur aliqua eſſe ſimul, ſcilicet ſimul tempore, ut quæ in eodem temporis inſtanti generantur; & ſimul naturâ, ut cum aliqua mutuo ſe inferunt, nec tamen unum eſt cauſa alterius; & tertio dicuntur aliqua eſſe ſimul ſimultate diviſionis ſeu diviſiva, qua quidem ſimultate gaudent differentiæ, quæ ex æquo immediatè dividunt idem genus, ut terreſtre, aquatile, volatile reſpectu generis animalis, & quamvis hæc videantur comprehendi ſub ſecundo membro ſimultatis, cum unum non ſit cauſa alterius, hunc tamen addidit ſimultatis modum Ariſtoteles, ad denotandum, quod quamvis inter has differentias una ſit nobilior aliâ, ut tamen dividunt genus ſunt ſimul natura.

Dico 4. pro quarto exponendo poſtprædicamento ſcilicet motu, quod cum ſit motus tendentia & via ad terminum, eſt conſequenter aliquid incompletum; ac proinde ad nullum prædicamentum directè pertinet, ſed eſt poſtprædicamentum, & reductivè pertinet ad prædicamentum ſui termini. Sex autem aſſignat Ariſtoteles hic ſpecies [illegible]tus, juxta differentiam terminorum, videlicet ad ſubſtantiam, generationem & corruptionem, licet iſti non ſint propriè motus, ſed mutationes inſtantaneæ; ad quantitatem, augmentationem & diminutionem, ad qualitatem motum aſſignat alterationis; & ad ubi motum localem.

Dico ultimò pro ultimo exponendo poſtprædicamento, quod eſt habitus, ſeu modus habendi, quod hic non accipitur habitus ſeu modus habendi pro diſpoſitione ſubjecti; ſic enim acceptus habitus eſt ſpecies qualitatis, ut alibi diximus; nec etiam accipitur hic habitus pro habere aliquid, prout inter habens & rem habitam mediat aliquid per modum actionis vel paſſionis; ſic enim ſumptus habitus unum conſtituit prædicamentum, ſcilicet ultimum, ut ſupra vidimus; ſed ſumitur hic habitus, pro habere aliquid quomodolibet alio modo. Hos autem diverſos habendi modos qui ad hoc pertinent poſtprædicamentum reducit Ariſtoteles 5. *Metaph. textu* 28. ad quatuor primo, inquit, dicitur aliquid rem aliquã habere, quam ſcilicet trahit ad ſuã diſpoſitionem, quomodo dicitur febris habere infirmũ. Secundo dicitur aliquid aliud habere, ſicut ſubjectũ

ha-

habet formam, videlicet subjectivè. Tertio ut continens habet contentum, quo modo dicitur vas habere aquam. Quarto dicitur aliquid aliud habere per violentiam, sicut columna habet trabem: quibus habendi modis addit Philosophus quintum, quo scilicet dicitur aliquis habere amicum.

LIBER V.

De enunciatione, seu propositione super libros Perihermenias.

CUm superior prædicamentorum liber, à quo exordium sumit Aristotelica sive peripaterica doctrina, simplicia rerum genera consideret, ea scilicet disgregando & discernendo, subindeque & de iis tractet secundis intentionibus, quarum notitiâ dirigitur prima mentis operatio, seu simplex objecti apprehensio, jam postulat ordo doctrinæ, ut ad enunciationem, seu propositionem discutiendam progrediamur, quæ ad secundam pertinet operationem mentis; & ideò ad libros perihermenias progredimur, in quibus scilicet agitur à Philosopho de propositione & aliis ad ipsam spectantibus, quarum notitiâ dirigitur secunda mentis operatio; unde & inscribuntur libri perihermenias, ac si dicas; de interpretatione, quia scilicet propositio, quæ in iis consideratur tanquam proprium eorum objectum, est veluti nostra mentis interpres, cum illa sit qua conceptus nostros aliis aperimus & manifestamus. Quia verò in his libris tractari solet de signis, de nomine, verbo, oratione, & deinde de ipsa enunciatione, propterea quod ipsa propositio quæ hic expenditur, constat nominibus tanquam partibus, quæ ideo termini appellantur, constat & verbo tanquam copulâ partes hujusmodi uniente; oratio verò se habet ut genus ad illam; & insuper hæc omnia conveniunt in ratione signi; quia inquam de iis tractari solet in his libris, eaque singula tractavimus nos in introductione ad Logicam, ubi de nomine, verbo, oratione & signis; & insuper quid & quotuplex sit propositio & quænam ejus proprietates suffi-

sufficienter ibi explicuimus, unum tantum hic superest resolvendum, magni tamen ponderis, & his præcipuè temporibus controversum; unde sit

QUÆSTIO UNICA.

Vtrum propositiones contradictoriæ de futuro contingenti, sint determinatè veræ vel falsæ?

PRæmittendum primò, Quod quamvis sub his terminis proponi soleat præsens difficultas, non tamen est sensus tituli, an propositiones quæ verè sunt de futuro contingenti, sive de contingenti aliquo verè futuro, sint determinatè veræ vel falsæ; cum enim non sit contingens verè futurum nisi per causam verè determinatam ad dandum illi esse pro futuro tempore; & supposità causâ ita determinatâ fit tunc propositio de futuro omnino certa; cum sit tunc omninò certum, quod futurum quod enunciat est verè futurum, seu determinatum ad habendum esse pro futuro tempore, eo quod ly determinatum ad dandum esse sit correlativum ad ly determinatum ad habendum esse, consequenter fit, quod si sensus tituli esset iste, an scilicet propositiones contradictoriæ de contingenti aliquo verè futuro sint determinatè veræ vel falsæ, esset tunc difficultas ex ipsis terminis evacuata, nec nisi frustra controverti posset. Non ergo hunc facit sensum titulus; sed sensus quem facit est iste: an propositiones contradictoriæ quæ enunciantur de aliquo contingenti pro futuro tempore, vel quæ enunciant futuritionem & non futuritionem de contingenti, adeò ut dicatur contingens illud futurum non per determinatam futuritionis causam, sed per enunciationem de futuro aut profuturo, utrum inquam propositiones illæ contradictoriæ sint determinatè veræ vel falsæ, sive determinatè conformes vel difformes rei quam enunciant; ita ut non tantum verificetur sub disjunctione & indeterminatè, quod una vel altera debet esse vera, sed præterea quod hæc præ altera vera sit, sitque assignabilis ratio quare hæc vera sit potius quam falsa.

Affirmativam tenent præcipuè Molinistæ, hoc scilicet convicti futili & puerili fundamento, quod tam verè & determinatè,

natè futuru m est illud, quod de facto fiet, quam verè & determinatè futurum olim fuit illud quod modo fit; unde cum id quod modo actu fit, verè & determinatè esset futurum, ita à pari & id quod de facto fiet, verè & determinatè est futurum, ac proinde propositio illa, Petrus peccabit, est determinatè vera, cum de facto eventurum sit quod Petrus peccabit. Hoc autem fundamentum futile dixi & puerile, cum non minus vertatur in dubium & controvertatur, quam id quod fundat: Habet enim hoc fundamentum, quod tam verè & determinatè futurum est illud *quod de facto fiet*, quam verè & determinatè futurum olim fuit illud, quod modo fit: Ergo veritas propositionis de futuro fundatur in eo, quod id quod enunciat de facto fiet, sicut de facto fit, quod olim fuit futurum; atqui hoc est de quo dubitatur, & quod præcipuè controvertitur, quare de illo de quo enunciatur futuritio, seu quod enunciatur pro futuro tempore, dicatur potiùs *quod de facto fiet, quam quod non fiet*, cum pro illo tunc pro quo enunciantur propositiones illæ contradictoriæ de futuro, non supponatur futuritionis causa determinata, ut infra demonstrabo: nec dicantur propositiones de futuro nisi enunciativè, seu quia enunciant pro futuro tempore, vel quod in idem redit, quia enunciant futuritionem de contingenti. Merito ergo puerile dixi ac futile hoc affirmativæ sententiæ fundamentum; unde ad expositionem negativæ, quam omnes sequuntur Thomistæ, & declarationem principiorum super quæ nititur, **Nota.**

Præmittendum secundò, Hæc tria esse apud omnes communiter recepta, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, putà quod *propositiones contradictoria de futuro contingenti esse non possunt determinatè vera vel falsa, nondum extante causa veritatis vel falsitatis*: Quod *propositiones contraria de futuro contingenti non sunt determinatè vera vel falsa*: Quod *pro statu possibilitatis rerum nihil est futurum*. Primò quidem receptissima est & verissima prima illa propositio, putà quod propositiones contradictoriæ de futuro contingenti esse non possunt determinatè veræ vel falsæ, nondum extante causâ veritatis vel falsitatis; cujus ratio est, quia cum ex eo quod res est vel non est, propositio dicatur vera vel falsa, ut dicit axioma, ex eo scilicet quod tunc solum est propositio conformis vel difformis rei quam enunciat, in quo ejus consistit veritas, vel falsitas, consequenter fit, quod cum res non habeat esse, quodcumque illud sit, sive

causâ veritatis vel falsitatis, nec sunt absolutè loquendo determinatè veræ vel falsæ. *Probatur antecedens :* non alia est causa veritatis in præfatis propositionibus de futuro, quam ea, quæ causa est futuritionis : sed si essent determinatè veræ vel falsæ, essent tales nondum extante futuritionis causa : Ergo & essent tales nondum extante causa veritatis vel falsitatis. *Major* est certissima, cum enim ex eo quod res est vel non est propositio dicatur vera vel falsa, consequenter fit, quod ex eo, quod est causa futuritionis vel non futuritionis dici debeant propositiones de futuro veræ vel falsæ. *Probatur Minor* : causa futuritionis rerum est causa rei prout determinata ad dandum esse : sed si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, essent tales nondum extante causa etiam prima determinata ad dandum esse : Ergo & essent tales nondum extante futuritionis causa. *Major* est certissima. Cum enim causa futuritionis rerum non sit causa rei, prout solum potens producere; sic enim causare dicitur possibilitatem ; nec sit etiam causa rei prout actu producens, sic enim causare dicitur præsentiam sive existentiam rei, sequitur esse tantum posse eamdem rei causam prout determinatam ad producendum, quod quidem mediat inter ly potens producere, & ly producens, sicut & mediat futuritio inter possibilitatem rei, & ejusdem existentiam. *Probatur Minor* : si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent tales pro omni etiam rationis signo : sed causa etiam prima non est determinata pro omni signo ad dandum esse contingentibus : Ergo si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent tales nondum extante causa determinata ad dandum esse. *Minor* est certissima, pro signo enim pro quo concipiuntur necessaria in Deo, non supponitur Deus determinatus liberè ad dandum esse, aliàs necessaria non præintelligerentur liberis, quod à Theologis communiter rejicitur. *Probatur Major* : in qua sita est vis argumenti, si essent propositiones præfatæ contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent hoc ipso tales pro omni signo, pro quo essent propositiones contradictoriæ : sed quod sint propositiones contradictoriæ verificatur de illis pro omni signo, cum quod sint ita contradictoriæ sit veritas omninò immutabilis & necessaria: Ergo si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent hoc ipso tales pro omni rationis signo : Ergo & essent tales, nondum extante causa etiam prima determinata ad dandum esse : Ergo & essent tales nondum extante causa futu-

futuritionis? Ergo & essent tales nondum extante causâ veritatis vel falsitatis: Ergo hoc ipso quod non possunt propositiones præfatæ esse determinatè veræ vel falsæ nondum extante causa veritatis vel falsitatis [quod est primum præmissum principium] nec sunt hoc ipso præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *propositiones contrariæ de futuro contingenti non sunt determinatè veræ vel falsæ:* Ergo neque propositiones contradictoriæ. *Probatur consequentia*: non addunt propositiones contradictoriæ super contrarias nisi vim contradictionis; sed ex vi contradictionis non possunt esse determinatè veræ vel falsæ; Ergo hoc ipso quod propositiones contrariæ de futuro contingenti non sunt determinatè veræ vel falsæ contradictoriæ. *Major* est evidens. *Probatur Minor* : vis contradictionis salvari non potest sine [illegible], quod ex vi contradictionis habetur: atqui salvatur in præfatis propositionibus vis contradictionis, absque eo quod sint determinatè veræ vel falsæ: Ergo non possunt ex vi contradictionis esse determinatè veræ vel determinatè falsæ. *Major* est evidens. *Probatur Minor*; salvatur in præfatis propositionibus vis contradictionis etiam quantum ad veritatem & falsitatem, quamdiu salvatur per quod distinguantur sufficienter à contrariis; ut per se patet : atqui sufficienter distinguuntur à contrariis, absque eo quod sint determinatè veræ vel falsæ, sed indeterminatè solum & sub disjunctione, cum contrariæ nec etiam indeterminatè & sub disjunctione sint veræ vel falsæ, ut conceditur, & ut patet in exemplis supra in præmissis allatis: Ergo salvatur in præfatis propositionibus vis contradictionis, absque eo quod sint determinatè veræ vel falsæ: Ergo non sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ ex vi contradictionis: Ergo cum non addant super propositiones contrarias nisi vim contradictionis : hoc ipso quod contrariæ non sunt determinatè veræ vel falsæ, [quod est secundum præmissum principium] nec etiam sunt determinatè veræ vel falsæ propositiones contradictoriæ.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio : *pro statu possibilitatis rerum nihil est futurum*: Ergo non sunt propositiones contradictoriæ de futuro contingenti determinatè veræ vel falsæ : *Probatur consequentia*: si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, daretur futurum pro statu possibilitatis rerũ: Ergo hoc ipso quod pro tali statu nihil est futurũ, non sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ,

Pro-

Probatur antecedens: non possunt præfatæ propositiones de futuro contingenti esse determinatè veræ, & non dari aliquid futurum: sed si essent determinatè veræ, essent tales etiam pro statu possibilitatis: Ergo si essent determinatè veræ, daretur pro statu possibilitatis rerum aliquid futurum. *Major* est evidens, cum ex eo quod res est ut enunciatur, dicatur propositio vera. *Probatur Minor:* si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent tales pro omni illo tunc pro quo fierent propositiones contradictoriæ: sed non repugnat fieri & concipi propositiones contradictorias de futuro contingenti pro statu possibilitatis rerum: Ergo si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, essent etiam tales pro statu possibilitatis rerum. *Major* est evidens, cum pro omni illo tunc esset ratio unde sint veræ, puta quia sunt propositiones contradictoriæ, & non solum contrariæ. *Probatur Minor:* propositiones dicuntur in præsenti de futuro, hoc ipso & per hoc præcisè, quod enunciant futuritionem; atqui non repugnat enunciari futuritionem de aliquo pro statu possibilitatis rerum, sicut nec repugnat enunciari existentiam pro statu futuritionis; ex eo scilicet quod licet esse reipsa futurum pugnet cum statu possibilitatis, non tamen pugnat esse futurum enunciativè, ut per se patet: Ergo non repugnat fieri propositiones contradictorias de futuro contingenti pro statu possibilitatis rerum: Ergo si essent præfatæ propositiones contradictoriæ determinatè veræ vel falsæ, essent etiam veræ pro statu possibilitatis rerum: Ergo si essent præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ, daretur pro statu possibilitatis rerum aliquid futurum: Ergo hoc ipso quod pro statu possibilitatis rerum nihil est futurum; [quod est tertium præmissum principium] nec sunt hoc ipso præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ.

Nota.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, propositio quæ est de objecto determinato non potest non esse determinatè vera vel falsa: sed propositiones contradictoriæ de futuro contingenti sunt de objecto determinato, etiam pro omni rationis signo. Ergo etiam pro omnitationis signo sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ. *Major* patet ex terminis, cum enim dicatur objectum propositionis id quod enunciat propositio, non potest consequenter objectum esse determinatum quin sit ipsa etiam

Videantur alia fundamenta in solutionibus objectorum.

propositio determinatè vera vel falsa. *Probatur Minor*: objectum seu id quod enunciatur in præfatis propositionibus non est futurum aut non futurum quomodocumque, sed futurum aut non futurum pro tali temporis differentia ; verbi gratia pro die crastinâ ; atqui pro tali differentiâ temporis non potest non esse determinatè futurum aut determinatè non futurum : Ergo sunt præfatæ propositiones de objecto determinato. *Probatur minor* : hoc ipso quod pro tali differentia temporis non remanet indifferens ad esse futurum vel non futurum, debet esse pro tali tempore determinatè futurum vel non futurum : sed pro tali differentia temporis, pro qua enuntiatur, non remanet indifferens ad esse futurum vel non futurum, ut per se patet; cum pro illo tempore ponatur de facto vel non ponatur: Ergo pro tali differentia temporis non potest id quod enunciatur non esse determinatè futurum aut non futurum.

Respondeo Negando Minorem, cujus quidem falsitas abundè patet ex dictis supra in probationibus conclusionis, præcipuè in prima, ubi ostensum fuit, quod pro omni rationis signo non extat causa futuritionis, cum pro omni rationis signo non supponatur causa rei quæ dicitur futura (etiam loquendo de causa prima) determinata ad dandum esse pro tali temporis differentia, quæ tamen causa prout determinata est & dicitur absolutè causa futuritionis; ad probationem verò respondeo primò Negando Majorem si sumatur præcisè & ut sonat in terminis : vel Concedo si cum hoc sumatur addito, puta quod objectum in præfatis propositionibus est futurum aut non futurum pro tali temporis differentia *verificandum pro illo signo pro quo enuntiatur propositio* : & in hoc sensu intellectâ (ut intelligi debet) præfatâ majori Nego Minorem, puta quod pro tali differentiâ temporis non possit non esse determinatè futurum vel non futurum, *verificandum tale pro omni illo signo pro quo enuntiatur propositio.* Notandum ergo & quidē seriò & diligenter (cum ex hoc tota ferè pendeat resolutio difficultatis) notandū inquam in hoc decipi adversarios, quod putent sufficere ad determinatam veritatem vel falsitatem propositionum quod res pro tali temporis differentiâ sit determinatè futura aut non futura, ex eo inquiunt, quod hoc est totum hujusmodi propositionum objectum, seu id totum quod per illas enunciatur: in hoc inquam decipiuntur, non adverrentes quod cum illud enuntietur futurum pro tali temporis differentiâ ab eo tempore quo fit & enunciatur propositio, non sufficit per consequens

sequens ad determinationem objecti enunciati per propositionem quod illud futurum sit aut non futurum determinatè pro tali temporis differentia, sed præterea requiritur quod sit futurum aut non futurum determinatè pro tali temporis differenrentia,& simul verificandum tale ab eo tempore, ab illo tunc, ab illo signo, pro quo & in quo fit propositio, cum, ut dictum fuit, ita enuncietur futurum ab eo tempore sive ab eo signo in in quo fit propositio.

Cum igitur res illa, licet sit futura determinatè, vel non futura pro illa temporis differentiâ, ex eo scilicet quod pro illâ supponitur causa determinata ad dandum esse, non tamen sit futura determinatè vel non futura, verificanda talis ab eo tempore, sive ab eo signo in quo fit & enunciatur propositio, ut etiam concedunt adversarii, aut certè coguntur concedere, sed solum ab eo tempore & ab illo signo in quo incipit causa esse determinata, consequenter fit quod objectum hujusmodi propositionum, seu in totum quod per illas enunciatur non sit determinatum pro omni signo, nec consequenter quod pro omni signo pro quo fiunt hujusmodi propositiones, sint determinatè veræ vel falsæ.

Instabis: Ideò ergo non sunt præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ pro omni signo, quia futuritionis causa non supponitur pro omni signo determinata: sed quod sit causa ita determinata hoc non requiritur ad determinatam propositionem de futuro: Ergo falsum est quod non sint præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ pro omni signo. *Probatur Minor*: propositiones istæ, causa se determinabit, causa non se determinabit, sunt propositiones de futuro; sed non potest requiri determinata causa, ut fiant determinatæ: Ergo ad determinatam propositionem de futuro non requiritur quod sit causa determinata. *Probatur Minor*: non potest prærequiri causa determinata ad seipsam ut determinandam: sed si ad præfatas duas propositiones prout determinatas prærequireretur causa determinata, prærequireretur determinata causa ad seipsam ut determinandam; cum præfatæ duæ propositiones sint de causa determinanda, ut patet ex terminis: Ergo non potest requiri determinata causa, ut fiant propositiones de futuro contingenti determinatæ.

Respondeo Negando Minorem: ad cujus probationem nego similiter minorem: Quod enim causa sit potiùs se determinatura, quam non se determinatura, vel è contra, cum hoc non habeat ex se & ab intrinseco, aliàs non contingenter sed de necessitate esset potiùs se determinatura, quam non se

propositiones contradictoriæ de futuro, ad quarum veritatem determinatam nulla prærequiratur determinata causa. *Minor* est certissima: cùm enim hoc ipso quod de causa prima dicitur: *se determinabit, non se determinabit*, ipsa non supponatur tunc determinata, nec alia dari possit ante illam determinata, consequenter fit quod ad verificationem & determinationem hujus contradictorii nulla possit requiri determinata causa. *Probatur major*: de causa quæ non supponitur pro omni signo determinata, potest hoc fieri contradictorium de futuro: *se determinabit, non se determinabit*: sed causa prima non supponitur pro omni signo determinata; cum non nisi liberè sit determinata, & signum liberorum non sit primum quod intelligitur signum: Ergo non tantum de causâ secunda, sed etiam de causa prima fieri potest hoc contradictorium de futuro: *se determinabit, non se determinabit.*

Respondeo Negando Majorem: ut enim notat Divus Thomas actus liber, puta determinatio ad effectus ad extra non concipitur in Deo ut egressurus, sed ut egrediens: sicut à causa agente in actu secundo, & sub ratione principii actualis non concipitur effectus egressurus, sed actu egrediens: unde sicut principium actuale operationis in nobis; licet sit prius operatione prioritate naturæ & instantis *à quo*, non tamen propterea operatio est aut concipi potest ut futura respectu illius, quia scilicet talem habet cum illo simultatem existentiæ, ut non detur instans aut signum *in quo* sit principium actuale, & non sit operatio; [non enim prioritas *à quo* est prioritas durationis & existentiæ, sed causalitatis tantum & naturæ:] Ita similiter cum determinatio libera in Deo sit tantum posterior necessariis secundum instans *à quo*, & non secundum instans & signum *in quo*; cum pro omni instanti in quo existunt necessaria, existat etiam determinatio illa libera Dei, aliàs non esset Deus actus purus, consequenter fit quod respectu talis determinationis fieri non possint in veritate & cum fundamento propositiones de futuro; nec consequenter contradictorium illud: *causa prima se determinabit*; *causa prima non se determinabit*: ad probationem verò Distinguo Majorem: de causa quæ non supponitur pro omni signo determinata potest hoc fieri contradictorium de futuro: se determinabit: non se determinabit, si non supponatur determinata pro omni instanti & signo reali Concedo: si autem signum pro quo supponitur non determinata sit tantum signum rationis ut in præsenti contingit: Nego.

Cujus quidem distinctionis ratio est, quia cum instans & signum reale sit instans & signum existentiæ, & durationis, hoc ipso perconsequens quod aliquid est determinatum pro omni signo & instanti reali, est etiam quantum ad determinationem semper existens & semper durans, adeoque & omnē excludens futuritionē quantū ad illā: è contra vero cum signa rationis non multiplicentur penes existere & non existere, sed penes solū causalitatem, sive cum non esse pro aliquo signo rationis, hoc non propterea significet posterioritatem in existendo, sed verificetur per hoc præcisè quod unum est alio posterius posterioritate causalitatis, aut quasi causalitatis; ex hoc namque sufficiens habet ipsa ratio fundamentum ad distinguenda varia signa, & ad intelligendum pro uno signo prius, & pro altero signo posterius, consequenter fit quod cum omnimoda stet simultas in existendo cum præfata prioritate & posterioritate, ut patet in essentia & proprietatibus, inter quas est omnimoda simultas existentiæ, quamvis essentia sit præfato modo prior, & omnis excludatur futuritio unius respectu alterius, consequenter inquam fit, quod quamvis præfata Dei determinatio non intelligatur pro omni signo rationis, sive pro signo pro quo intelliguntur in Deo necessaria, non tamen propterea dici debeat futura respectu illorum, nec perconsequens sequitur quod possit istud verificari contradictorium de futuro: Deus sive causa prima se determinabit; Deus sive causa prima non se determinabit.

Objicies secundò: Quod reperitur verum ex eo etiam capite ex quo falsum reputatur, non potest non admitti ut verum: sed quod sint præfatæ propositiones de futuro contingenti determinatè veræ vel falsæ, reperitur hoc verum ex eo etiam capite, ex quo falsum reputatur: Ergo non potest tale quid non admitti ut verum. *Probatur minor*: ideo reputatur falsum, quod sint præfatæ propositiones de futuro veræ vel falsæ, quia pro signo antecedenti decretum pro quo fieri possimr, nihil est futurum: atqui ex hoc ipso verificatur quod sint præfatæ propositiones determinatè veræ vel falsæ: Ergo reperitur hoc verum ex eo etiam capite ex quo falsum reputatur. *Probatur minor*: propositio vera est quæ est conformis rei enunciatæ: sed hoc ipso quod in signo antecedenti decretum nihil est futurum propositio negativa seu quæ futuritionem negat est pro illo signo conformis rei enunciatæ; cum enunciet non futurum quod pro tali signo non est futurum: Ergo hoc ipso quod pro signo antecedenti decretum nihil est futurum, habetur ex hoc ipso

Nota.

ipso, quod præfatæ propositiones sint determinatè veræ vel falsæ.

Respondeo Negando minorem primi & secundi argumenti: ad tertium verò, in quo sita est difficultas, nego similiter minorem. Pro quo notandum est, & quidem seriò & diligenter quod ad hoc ut illæ propositiones negativæ de futuro contingenti, quales sunt: *Petrus non curret*, *Petrus non disputabit*, sint conformes rei per illas enunciatæ, debet disputatio, v.g. ita & taliter non esse futura, ut sit etiam non futura, sive non tantum debet non esse futura, quia est indifferens ad futuritionem non futuritionem, sed revera debet esse talis quia negat & excludit futuritionem; talis namque est sensus hujus propositionis negativæ: *Petrus non disputabit*: jam sic est, quod ex eo quod in signo antecedenti decretum nihil est futurum, verificatur quidem quod in tali signo disputatio Petri non sit futura, sive quod nondum sit futura, non tamen propterea verificatur, quod sit non futura, seu negans & excludens futuritionem: Ergo ex eo quod pro signo antecedenti decretum nihil sit futurum, non propterea præfata propositio negativa: *Petrus non disputabit*, est determinatè vera, cum sensus hujus sit, quod disputatio sit non futura & excludens futuritionem, & non tantum quod nondum sit futura.

Instabis: Hoc ipso quod pro signo antecedenti decretum nihil est futurum, est omnino falsum quod sit aliquid determinatè: atqui una ex præfatis propositionibus contradictoriis affirmat aliquid determinatè esse futurum: Ergo hoc ipso quod pro signo antecedenti decretum nihil est futurum, affirmativa ex præfatis propositionibus est determinatè & omnino falsa: atqui extante una ex propositionibus contradictoriis determinatè falsa, est altera determinatè vera: Ergo hoc ipso quod in signo antecedenti decretum nihil est futurum, negativa propositio est determinatè vera, quod est quod negat præcedens solutio.

Respondeo Distinguendo Majorem: hoc ipso quod in signo antecedenti decretũ nihil est futurũ, est omnino falsum, quod sit aliquid futurũ pro tali signo, Concedo: quod sit aliquid futurũ loquendo absolutè, id est, sive pro tali, sive pro alio signo Nego. Cujus ratio est evidens: sicut enim signũ antecedens decretũ non obstat nec impedit, quin in signo subsequenti possit esse decretum, ita & quod nihil sit futurum in signo antecedenti decretum non debet impedire quin pro alio signo, subindeque & absolutè loquendo possit esse futurum; unde cum sensus præfatæ propositionis affirmativæ non sit, quod res, verbi gra- *Nota.*

gratia disputatio sit futura pro tali signo antecedenti decretum, sed solum quod res sit futura absolutè loquendo, id est, pro aliquo signo, quodcumque illud sit, consequenter fit quod quamvis nihil sit futurum in signo antecedenti decretum, non propterea sequitur quod propositio affirmativa de futuro, & quæ enunciatur in tali signo sit juxta sensum quem facit, omninò & determinatè falsa.

Objicies 3. Esse propositiones determinatè veras vel falsas, est hanc nominatim esse veram & illam falsam: sed hoc ipso quod sunt contradictoriæ debet hæc nominatim esse vera, & illa falsa etiam in signo antecedenti decretum: Ergo hoc ipso quod sunt contradictoriæ esse debent determinatè veræ vel falsæ, etiam pro signo antecedenti decretum. *Probatur minor*: hoc ipso quod ex propositionibus contradictoriis una est vera & altera falsa, hoc ipso etiam & hæc nominatim debet esse vera & illa falsa: atqui ex vi contradictionis una est vera & altera falsa, etiam pro omni signo: Ergo etiam pro omni signo debet hæc nominatim esse vera & illa falsa, hoc ipso quod sunt contradictoriæ. *Minor* concedi solet & ex se patet; cum enim ex vi contradictionis non possint esse ambę simul verę, vel ambæ falsæ, una per consequens habet esse vera, & altera falsa, & quidem pro omni signo cum pro omni signo verificetur quod non possunt esse ambæ verę, & ambę falsę. *Probatur Major*: hęc dicitur vera propositio & illa falsa, hoc ipso quod datur hujus veritas, & falsitas illius: sed datur hujus veritas & falsitas illius, hoc ipso quod datur veritas unius & falsitas alterius; aliàs quādo hæc propositio fieret vera, daretur duplex veritas, sicut & duplex falsitas, veritas scilicet qua hæc esset vera, & non illa; & veritas, qua una esset vera & non altera: Ergo hoc ipso quod ex propositionibus contradictoriis una est vera & altera falsa, hoc ipso etiam & hæc nominatim debet esse vera & illa falsa.

Respondeo Negando minorem: quod enim hæc materialiter & in individuo sit vera propositio præ alia, hoc non provenit ex contradictione: sed vel ex materia, ut in propositionibus necessariis, vel ex determinatione præsentialitatis aut præteritionis; ut in propositionibus de præsenti & præterito; aut ex determinatione causarum ut in propositionibus de futuro contingenti: unde antecedenter ad decretum, quod quidem est determinatio causæ primæ, & virtualiter seu illativè determinatio causæ secundæ, dici non potest quod hæc nominatim sit vera & illa falsa. Ad probationem verò Nego Minorem, ut

in

in terminis sonat, & ut intelligenda venit in argumento: non enim petit vis contradictionis, quod una pro omni signo sit vera & altera falsa, sed solum exigit quod quando una erit vera, altera sit falsa, vel quod in idem redit, exigit solum quod si una sit vera, sit altera falsa, quod quidem patet ex eo, quod ad contradictionem salvandam sufficit quod ambæ non possint esse simul veræ vel simul falsæ, ad differentiam contrariarum propositionum, in quibus potest hoc reperiri.

Iam sic est quod nusquam ambæ erunt simul veræ, vel simul falsæ, quamdiu verificabitur, quod quando una erit vera, altera erit falsa: Ergo hoc solum exigit vis contradictionis, non autem quod una de facto sit vera pro omni signo & altera falsa. Vnde ad hoc quod dicit arguens, quod hoc concedi solet, respondeo quod vel conceditur in sensu ibi exposito, vel certè malè conceditur, ut ibidem probatum fuit; adeoque non propterea cogimur dicere quod quando hæc propositio sit deinde vera, & illa falsa, sit & detur tunc duplex veritas & duplex falsitas; veritas scilicet qua hæc est vera & non illa, & veritas qua una est vera & non altera, cum juxta responsionem non supponatur una vera & altera falsa, nisi quando & hæc fit vera & illa falsa.

Instabis, quando ex duabus contradictoriis propositionibus fit una propositio disjunctiva, illa est actu vera etiam pro omni signo; est enim actu verum dicere pro omni signo: *Petrus peccabit, vel non peccabit.* sed actualis illa veritas propositionis disjunctivæ provenire non potest nisi ex actuali veritate unius vel alterius ex partibus: Ergo ex duabus propositionibus contradictoriis debet esse una pro omni signo actu vera, & altera falsa, quod est quod negat præfata responsio.

Respondeo negando minorem: etenim ad actualem veritatem propositionis disjunctivæ sufficit incompossibilitas partium secundum veritatem aut falsitatem, id est, quod duæ ejus partes esse non possint ambæ veræ vel ambæ falsæ; unde cum ad hoc minimè requiratur quod una pars sit actu vera & altera falsa, sed sufficiat, quod quando una erit vera, altera debeat esse falsa, consequenter fit, quod ex actuali veritate propositionis disjunctivæ pro omni signo, non propterea sequatur pro omni signo actualis veritas unius ex partibus, & falsitas alterius; sicut nec sequitur quod aliqua ex partibus sit necessaria, quantumvis præfata propositio disjunctiva hoc ipso quod conflata ex partibus ita compossibilibus sit omnino necessaria.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo S. Doctorem omnino favere præfatæ nostræ conclusioni, quod quidem ex tribus omnino apertè & evidenter colligo, primo ex iis quæ habet super librum 1. *de interpretatione cap.* 8. ubi exponens hæc verba Aristotelis: *in iis igitur quæ sunt & fuerunt, necesse est affirmationem vel negationem veram vel falsam esse: in singularibus autem atque futuris non similiter se se res habet:* hæc inquam exponens S. Doctor sic habet: *in præteritis & præsentibus necesse est, quod altera oppositarum determinatè sit vera & altera falsa in quacumque materia: sed in singularibus quæ sunt de futuro, hoc non est necesse quod una sit determinatè vera & altera falsa: & hoc quidem dicitur quantum ad materiam contingentem.* Hæc D. Thomas, quibus, ut patet nihil expressius afferri potest in favorem præfatæ sententiæ.

Secundò hoc colligo ex his quæ habet S. Doctor *lib.* 1. *sentent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 2. ubi sic discurrit: *futurum contingens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causas determinatas.* Hæc ille ex quibus argumentor sic.

Intantum ex D. Thoma futurum contingens est determinatè futurum, sive determinatè verum, inquantum causas habet determinatas: sed propositiones contradictoriæ de futuro contingenti hoc ipso quod tales non supponunt causas determinatas: Ergo hoc ipso quod tales non sunt ex D. Thoma determinatè veræ vel falsæ. *Probatur Minor:* propositiones contradictoriæ de futuro contingenti enunciantur tales pro omni signo imaginabili, sive pro signo etiam antecedenti decretum, cum pro omni signo verificetur de illis contradictio: sed pro signo antecedenti decretum non sunt causæ futuri determinatæ ut per se patet, & ut ex dictis supra colligitur: Ergo propositiones contradictoriæ de futuro contingenti hoc ipso quod tales non supponunt causas futuri determinatas.

Tertiò tandem id colligo *ex lect.* 13. *super c.* 8. *perihermenias,* ubi cum Philosopho sic discurrit S. Doctor. *Si semper ponitur aliquid esse præsens, vel futurum, non potest non esse quin illud sit præsens vel futurum: sed quod non potest non esse, idem significat ac quod est impossibile non esse: quod autem impossibile est non esse, necesse est esse:* Hæc ille, ex quibus subsumo sic: atqui juxta principia adversariorum determinata veritas & futuritio con-

convenit contingentibus pro semper & pro omni signo rationis imaginabili, cum conveniat ex natura & vi oppositionis contradictoriæ, quæ habet vim in omni signo imaginabili: Ergo si locum haberet adversa sententia ita necesse esset quod esset futurum contingens, juxta doctrinam præfatam S. Doctoris, quod esset impossibile illud non esse futurum; subindeque qui se libertatis patronos profitentur adversarii, sunt in hac materia [quæ quidem est quasi aliarum fundamentum] ejusdem libertatis destructores & peremptores.

LIBER VI.

De demonstratione, in duos libros posteriorum.

QUia demonstratio, quæ inter logicalia opera primum & præcipuum tenet locum, utpote quæ discurrentem efficit certum de suo discursu tum ex parte formæ, tum etiam ex parte materiæ, quia inquam non tantum includit bonitatem consequentiæ seu formam syllogisticam, de qua propterea egit Philosophus in parte prioristica, sive in duobus libris priorum, nosque in introductione ad Logicam, sed etiam includit veritatem, & perseitatem præmissarum, ita quod debeant præmissæ, ex quibus suas deducit consequentias, esse necessariæ propositiones, & factæ in modis dicendi per se; de his propterea agit Aristoteles in duobus libris posteriorum, quos ideo appellat de posteriori resolutione, in quorum primo, qui in 27. dividitur capita, usque ad caput 23. agit de demonstratione, ejusq; divisionibus; à capite vero 23. usque ad 27. agit de scientia, quæ est demonstrationis effectus, & explicat à quo desumatur unitas & diversitas formalis scientiarũ, nec non & in quo scientia differat ab opinione; asseritq; opinionẽ & scientiam circa idem in eodem subjecto esse simul incompatibilem. In secundo autẽ libro posteriorũ, qui octodecim cõtinet capita, agit Aristoteles de mediis & principiis demõstrationis: & quidem in prioribus 17. capitibus agit de definitione; in ultimo vero de primis prin-

principiis & habitu primorum principiorum. Pro his ergo & clarè & breviter exponendis sit

QUÆSTIO I.

Vbi de primò sciendis circa demonstrationem.

SCiendum 1. Ex demonstrationibus aliam vocari demonstrationem ad sensum, quæ scilicet procedit à rei alicujus certa & evidenti experientia, alia autem est de qua maximè agit Aristoteles in his libris posteriorum, quæque idcircò appellatur posterioristica, & generans scientiam strictè sumptam, qualis in iisdem libris describitur; potestque in communi definiri, syllogismus constans ex præmissis certis, evidentibus & necessariis; aut syllogismus generans scientiam. At ex eodem Aristotele

Sciendum 2. Hujusmodi demonstrationem esse duplicem; alteram, quam vocat demonstrationem *propter quid*, quæ scilicet procedit à causa proxima: alteram verò quam vocat demonstrationem *quia*, quæ procedit ab effectu, vel etiam à causa remota: utramque autem ut magis explicem juxta mentem ipsius Aristotelis,

Sciendum 3. Demonstrationem propter quid esse syllogismum constantem ex præmissis veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis: dicitur autem primò præmissas esse debere veras; alioquin de falso daretur scientia, quod repugnat. Neque dicas quod ex falso potest etiam inferri vera conclusio, ut dum dicitur homo est lapis: Ergo est substantia: ad hoc enim respondetur ita quidem interdum sequi ex falso verum vi formæ; sed postulat præterea demonstratio, ut conclusio ex præmissis sequatur etiam vi materiæ, ut sic ei non possit subesse falsum, qua ratione, verum non sequitur nisi verum: dicitur secundo constare demonstratio ex præmissis primis, id est primo veris, quia scilicet debent esse propositiones per se notæ, id est quarum veritas pateat ex sola terminorum intelligentia, ita ut nullo alio medio probari seu demonstrari possint aut debeant, qua de causa dicuntur & immediatæ & indemonstrabiles, cujusmodi sunt prima principia, verbi gratia, rem aliquam non posse simul esse & non esse: quan-

quanquam necesse non sit ut præmissæ demonstrationis sint formaliter primæ, satis enim est ut sint virtualiter primæ & immediatæ, eo sensu, quod jam sint demonstranti evidenter notæ, & demonstratæ per alias priores & immediatas; alioquin nisi hoc pacto supponerentur notæ, cognitionem scientificam generare non possent; quantum verò ad alias particulas, puta quod sint causæ conclusionis, priores, & necessariæ,

Sciendum 4. Dici præmissas demonstrationis causas conclusionis, non modo in cognoscendo, cum ad ipsius cognitionem concurrant; sed etiam esse debent causæ illius in essendo, quia scilicet inferunt effectum per causam proximam, aut proprietates per essentiam quam continent. Sic Astrologus demonstrat lunam deficere, quia terra est inter ipsam & solem interposita; hæc enim est eclipsis causa proxima. Sic Physicus demonstrat hominem esse disciplinæ capacem, quia est rationis particeps: aut esse risibilem, quia est rationalis. Porrò causas illas in essendo esse debere etiam necessarias inde patet, quia demonstratio debet esse de objecto necessario, seu quod aliter esse non possit, cum scientiam de illo generet, quæ est notitia de illo omnino certa & invariabilis. Item inde consequens est, ut præmissæ illæ dicantur priores, quia causa de se prior est effectu: Item dicuntur & notiores, vel quia causa ex rei natura est notior effectu, quamvis per accidens & quoad nos effectus sint notiores suis causis; vel certè quia debent à fortiori esse notæ, cum inferant conclusionem: addo quod cum syllogismus omnis sit processus à noto ad ignotum, debent præmissæ ut sic & sub ratione præmissæ esse notiores conclusione quam inferunt; an verò causa quælibet veniat intelligenda per hanc particulam, *causa conclusionis*,

Sciendum 5. Nullam esse ex quatuor causis, quæ non possit esse medium demonstrationis, subindeque & ejus ingredi præmissas, patet de causa efficiente, ubi demonstratur lunaris eclipsis per interpositionem terræ inter solem & ipsam lunam. Patet etiam de causa finali, cum docent homini tenendam esse virtutis viam, quia creatus est propter cœlestem beatitudinem, quæ solum hac ratione obtinetur. Ita per causam materialem probant demonstrativè esse hominem animal corruptibile, quia constat ex quatuor elementis. Ac denique forma & essentia seu definitio est medium hujusmodi demonstrationis, ubi ostendenda est proprietas de subjecto aliquo; ut si probas hominem esse admirativum, aut risibilem, quia est animal rationale. Nec dicas, animal rationale idem est ac homo: Ergo

qui probat hominem esse risibilem, quia est animal rationale, idem facit, ac si diceret hominem esse risibilem, quia est homo, & sic in isto casu peteretur principium, probareturque idem per idem: ad hoc enim respondetur non esse idem, cum non supponat pro eodem nisi ut alio modo & clarius cognito.

Sciendum 6. Demonstrationem *quia* esse syllogismum certum & evidentem ab effectu, vel à causa remota. Sic enim ab effectu probant, v.g. lunam esse rotundam, quia paulatim & circulariter illuminatur. Sic autem per causam remotam probant lapidem non respirare quia non est animal. Alioquin per causam proximam juxta primum demonstrationis genus docerent non respirare, quia pulmones non habet. Addo quod etiam ratio animalis ut sic non est adæquata causa respirationis: nam & multa animalia, quia pulmone carent non respirant.

Sciendum 7. Demonstrationem omnem, propter quid vulgò etiam appellari demonstrationem à priori, cum fiat per causam, demonstratio autem, quia procedens ex effectu vocatur demonstratio à posteriori: Alioquin demonstratio quia procedens per causam remotam deber dici à priori, ac proinde non omnis demonstratio, quia est à posteriori, perfectior autem ex suo genere est demonstratio à priori, quamobrem vocari solet potissima: quanquam demonstratio à posteriori interdum ratione materiæ perfectior est, ut demonstratio de existentia divina. Cujusmodi vocari etiam solet demonstratio à signo, quia effectus ostendit causæ existentiam, tum & ejus perfectiones.

Sciendum 8. Quod prædicatum universale, ex quo constant ut plurimum propositiones in demonstrationibus, definitur ab Aristotele in hoc primo libro *cap.4.* id quod dicitur de omni, per se, & secundum quod ipsum. Pro cujus explicatione est advertendum, quod hæc tria de omni, per se, & secundum quod ipsum, habent se tanquam superius & inferius, omnis enim propositio, quæ est de prædicato secundum quod ipsum, est de prædicato per se, & omnis quæ est de prædicato per se, est etiam de omni, non tamen omnis propositio, quæ est de omni est de per se, nec omnis quæ est de per se, est de prædicato secundum quod ipsum: porrò tria hæc juxta præfatam definitionem requiruntur ad prædicatum universale ut in præsenti sumitur: primum est, quod sit de omni, quod quidem reperitur, quando nihil subsumitur sub subjecto, de quo vere & semper non dicatur prædicatum, defectu cujus risibile non est prædicatum universale respectu animalis. Secundum est quod sit per se, defectu cujus album non est prædicatum universale respectu nivis, quia licet

licet sit de omni, solum tamen convenit contingenter nivi: nec est in modo dicendi seu prædicandi per se, cum nec dicatur seu prædicetur ut definitio aut pars definitionis, nec etiam ut passio de suo subjecto; qui quidem duo dicendi modi, sunt modi per se prædicandi. Tertium tandem est quod conveniat subjecto secundum quod ipsum, id est, secundum quod tale est seu convertibiliter; defectu cujus sensibile non est prædicatum universale respectu hominis, quia licet sit prædicatum de omni & per se, non tamen convenit illi secundum quod ipsum, cum non conveniat sensibile homini secundum quod est homo, sed secundum quod est animal subindeque nec dicatur converti-biliter cum homine.

Sciendum 9. Omnem doctrinam, omnemque disciplinam, quæ quidem mediâ demonstratione habetur, fieri ex præcedente cognitione, neque enim potest quidquam per demonstrationem concludi, nisi prius sciatur de re ipsa *quid nominis*; ut si quid velimus probare de homine, prius oportet cognoscere quid illo nomine hominis intelligatur. Item oportet & de re præcognoscere, an sit vel actu vel potentia: frustra enim & ridiculè quis demonstraret proprietates rei falsæ, disputaretque de *blictri*, ubi tamen passio seu proprietas inquiritur de aliquo subjecto non prærequiritur illius præcognitio, an sit, quia illud frustra præcognosceretur ante demonstrationem, quod per illam indagatur, denique debet interdum præcognosci *quid rei sit*, ut quando probamus proprietates ipsius subjecti.

Sciendum ultimò, Demonstrationem quamtumvis perfectissimam, non esse tamen cuilibet demonstrationem, vixque interdum aliis apparere discursum probabilem, ut patet quotidianâ experientiâ; illudque oritur, vel ex defectu ingenii; quod vim alicujus demonstrationis satis non capiant: vel ex defectu sufficientis eruditionis & studii; rusticus enim demonstrationem physicam de existentia materiæ primæ vix comprehendet. Item oritur sæpè ex parte voluntatis, quando quis ita pertinaciter adhæret contrariæ sententiæ, ut aperire oculos mentis luci etiam clarissimæ abnuat; satisque habeat si specie aliqua probabilitatis vel levissimæ, doctrinam ab omnibus receptam possit eludere; quod quidem contingit ut plurimum iis hominibus, qui ex aliquo animi fastu volunt videri aliis acutiores, aut sapientiores. Quo pacto impii non pauci conantur traducere demonstrationes eas omnes, quibus aut animarum nostrarum immortalitas, aut Dei existentia vulgò confirmatur. Sic etiam hæretici motivis credibilitatis

tam

tam multis & evidentiæ rationum, quibus suadetur religionis veritas assentiri nolunt.

QUÆSTIO II.

Vtrum ex assensu præmissarum necessitetur intellectus etiam quoad exercitium ad assensum conclusionis demonstratæ.

PRæmittendum primò, Necessitari haud dubiè intellectum quoad specificationem ex ipso præmissarum assensu ad ipsum assensum conclusionis ejiciendum; ita ut supposito præmissarum assensu non possit duos diversæ speciei actus circa conclusionem elicere indifferenter, assensum scilicet vel dissensum; sed taliter determinetur ad hunc specie actum, putà ad assensum, ut si aliquem ex assensu præmissarum eliciat, non nisi hunc elicere possit; quod est necessitari quoad specificationem. Ratio autem hujus est, quia circa verum ut verum non potest dari dissensus, sicut neque assensus circa falsum; alioquin posset aliquis assentiri duabus contradictoriis, si æquè potest veritati assentiri ac dissentiri, & similiter falsitati: Jam sic est quod positis præmissis demonstrativis, veris scilicet & evidentibus, non potest conclusio non esse vera; aliàs dari posset antecedens verum & consequens falsum, subindeque & ex vero sequi falsum: Ergo talis conclusio non est capax dissensus, sicut nec falsitatis; ac proinde non potest intellectus non necessitari ad ejus assensum quoad specificationem, cum non possit contrarium specie actum putà dissensum circa eandem, ut ex assensu præmissarum illatam elicere; tota ergo versatur difficultas circa necessitatem quoad exercitium, quæ quidem accidit, quando potentia est ita determinata ad elicientiam alicujus actus, ut non possit illum non elicere, seu ejus suspendere exercitium; ac proinde tituli sensus iste est, an scilicet intellectus ex eo quod præmissis demonstrativis assentiatur, ita & taliter determinetur ad assensum conclusionis, ut non possit illum suspendere, adeò ut in procedendo tunc ad talem assensum non subdatur nutui & imperio voluntatis, neque possit tunc illum divertere voluntas ad aliam cognitionem.

Præmittendum secundò, Pro declaratione principiorum ad quæ

quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habituta principii respectu conclusionis inferendæ, putà quod *actu illuminatus intellectus circa objectum non potest non cognoscere actu*; quod *veritatem propositionis cognoscere & eidem assentiri sunt inseparabilia*; quod *voluntatis est applicare ad exercitium circa verum & ab exercitio retrahere.* Ratio primi est, quia cum intellectus sit potentia naturalis, & naturaliter, non autem liberè operans; & talis potentia positis omnibus ad agendum prærequisitis non possit non operari, sequitur non posse intellectum non cognoscere actu, hoc ipso quod sunt omnia ad actu cognoscendum prærequisita: jam sic est quod ponuntur omnia ad actu cognoscendum prærequisita, hoc ipso quod actu illuminatur intellectus circa objectum; cum actu illuminetur intellectus circa objectum, per hoc quod hoc potius quam illud sit ei manifestum, quæ quidē manifestatio est haud dubiè ultimum ad actu cognoscendum requisitum: Ergo verissimum est & receptissimum primum illud, putà quod actu illuminatus intellectus circa objectū non potest non cognoscere actu.

Jam verò quantum ad secundum, putà quod veritatem propositionis cognoscere & eidem assentiri sunt inseparabilia, ratio hujus est, quia actus circa veritatem propositionis elicitus, cum sit actus judicativus, esse tantum potest vel assensus vel dissensus: jam sic est quod circa veritatem ut talem haberi non potest dissensus, alioquin posset aliquis dissentiri duabus contradictoriis, cum dissentiatur veritati, & à fortiori ejus opposito scilicet falsitati: Ergo actus circa veritatem propositionis elicitus potest tantum esse assensus: sed elicitur actus circa illam, hoc ipso quod cognoscitur: Ergo receptissimum est, & verissimum secundum illud, putà quod veritatem propositionis cognoscere, & eidem assentiri sunt inseparabilia.

Demum quantum ad tertium, putà quod voluntatis est applicare ad exercitium circa verum & ab exercitio retrahere, ratio est, quia cum circa verum utpotè bonum quoddam particulare exerceatur libertas, nec tamen circa illud exerceatur libertas contrarietatis, ita quod possit circa illud elicere intellectus actus contrarios seu specie diversos, ut demonstratum fuit supra, consequenter fit quod circa verum exerceatur, & exerceri tantum possit libertas contradictionis, quæ consistit in hoc, quod procedere possit intellectus ad exercitium seu elicientiam sui actus vel ab ipso retrahi; cumque libertas illa ibi exercita derivari tantum possit à voluntate, quæ sola est po-

tentia per se & formaliter libera, sequitur de primo ad ultimum quod voluntatis sit applicare ad exercitium circa verum vel ab ipso retrahere. His ergo tribus præmissis tanquam certis & indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *Ex assensu præmissarum necessitatur intellectus quoad exercitium circa assensum conclusionis.*

Probatur 1. ex primo præmisso principio: *Actu illuminatus intellectus circa objectum non potest non cognoscere actu*: Ergo non potest intellectus posito præmissarum assensu non elicere actum circa conclusionem. *Probatur consequentia*, actu illuminatur intellectus circa conclusionem assentiendo præmissis: Ergo hoc ipso quod actu illuminatus circa objectum non potest non cognoscere actu, non potest etiam non elicere actum circa conclusionem posito assensu præmissarum. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens.* Illuminatio intellectus circa conclusionem est illuminatio illativa: sed fit illuminatio illativa in assensu præmissarum, seu in assensu minoris prout determinantis majorem: Ergo & actu illuminatur intellectus circa conclusionem assentiendo præmissis. *Major* est evidens; cum enim conclusio ut talis habet rationem illati seu inferēdi, non potest per consequens illuminatio seu manifestatio illius ut talis non esse illuminatio sive manifestatio illativa. *Probatur Minor.* Pro eodem instanti quo adest illuminans, fit illuminatio, ut patet in lumine corporali, licet non tam perfectum sit & efficax, ac est ipsum lumen spirituale, de quo est sermo: sed in assensu præmissarum adest ipsum illuminans illativè, cum tale non sit aliud quam assensus minoris prout determinantis majorem, in quo relucet inferenda conclusio: Ergo fit illuminatio illativa circa conclusionem dum ponitur præmissarum assensus, seu assensus minoris, prout determinantis majorem: Ergo actu illuminatur intellectus circa conclusionem in assensu præmissarum: Ergo hoc ipso quod actu illuminatus intellectus circa objectum non potest non cognoscere actu [quod est primum præmissum principium] nec potest etiam non elicere actum circa conclusionem ex assensu præmissarum, quod est necessitari quoad exercitium.

Probatur 2. ex secundo præmisso principio: *Veritatem propositionis cognoscere & eidem assentiri sunt inseparabilia*: Ergo posito præmissarum assensu non potest intellectus non assentiri conclusioni, quod est necessitari quantum ad exercitium. *Probatur consequentia*, assentiens intellectus præmissis verita-

tem

tem conclusionis actu cognoscit: Ergo hoc ipso quod veritatem cognoscere & ei assentiri sunt inseparabilia, non potest intellectus assentiendo præmissis non assentiri conclusioni. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, præmissæ demonstrationis non minus concurrunt ad actu cognoscendam veritatem consequentis, quod est conclusio, quam veritatem seu bonitatem consequentiæ: sed assentiens intellectus hujusmodi præmissis bonitatem consequentiæ actu cognoscit: Ergo & debet tunc actu cognoscere veritatem consequentis, quod est conclusio. *Major* est certissima. in præmissis namque demonstrationis non minus servatur ly *dici de omni posterioristicum*, ita quod nihil sit subsumere sub subjecto, de quo verè & semper non dicatur prædicatum, qua de causa constare dicitur demonstratio propositionibus necessariis, quam ly *dici de omni posterioristicum*, quod est dum ita prædicatum dicitur de subjecto, ut nihil sit subsumere sub subjecto, de quo sive verè sive falsè, sive necessariò sive contingenter non dicatur prædicatum; ac proinde cùm concurrat ly dici de omni posterioristicum ad veritatem consequentis, non minus quam ly dici de omni posterioristicum ad bonitatem consequentiæ, verissima est per consequens major adducta. *Probatur Minor.* Qui scit bonam esse consequentiam per certum quid, non potest non cognoscere actu hanc bonitatem, dum tale quid videt: sed assentiens intellectus præmissis supponitur scire bonam esse consequentiam per certam quandam præmissarum dispositionem: Ergo non potest non cognoscere actu consequentiæ bonitatem, dum hanc videt dispositionem: sed hanc actu videt dispositionem assentiendo præmissis, cum sit hæc in præmissis quibus assentitur: Ergo cognoscit actu intellectus consequentiæ bonitatem assentiendo præmissis: Ergo & cognoscit actu veritatem cõsequentis quod est conclusio, assentiendo præmissis: ergo hoc ipso quod veritatem propositionis cognoscere, & ei assentiri sunt inseparabilia, non potest intellectus assentiendo præmissis non assentiri conclusioni, subindéque & non necessitari quoad exercitium circa illam.

Nota.

Prob. 3. ex tertio præmisso principio: *Voluntatis est applicare ad exercitium circa verum, & ab exercitio retrahere*: Ergo retrahi non potest intellectus ab exercitio sui actus circa veritatem conclusionis posito præmissarum assensu. *Prob. consequentia.* Posito præmissarũ assensu nõ potest voluntas ab assensu conclusionis retrahere: Ergo hoc ipso quod voluntatis est applicare ad exercitiũ & retrahere, non potest tunc intellectus

 retrahi

retrahi ab exercitio assensus circa conclusionem. *Prob. Antecedens*: non potest voluntas intellectum retrahere ultimò applicatum: sed per assensum præmissarum intellectus ultimatè applicatur ad assensum conclusionis: Ergo posito præmissarum assensu non potest voluntas ab assensu conclusionis retrahere. *Minor* conceditur. *Prob. Major*. Instantanea & naturalis causa non potest ultimo applicata per voluntatē retrahi à suo actu: sed intellectus respectu assensus conclusionis est instantanea & naturalis causa: Ergo non potest voluntas intellectum retrahere ultimò applicatum. *Minor* per se patet: intellectus enim, cum non sit potentia formaliter libera est, consequenter naturalis causa, cumque sit causa spiritualium actuum, & consequenter indivisibilium, est perconsequens & causa instantanea. *Prob. Major*, pro eo instanti pro quo ponit causa suum actum, non potest impediri ne ponat; alias verificarentur tunc contradictoria, putà quod pro eodem instanti poneret & non poneret: sed instantanea & naturalis causa suum ponit actum pro illo indivisibili tunc, pro quo ultimate est applicata; cum pro tunc sit causa in actu secundo quæ prioritate solum naturæ, non autem temporis suum præcedit actum instantaneum: Ergo instantanea & naturalis causa non potest ultimò applicata per voluntatem retrahi à suo actu: Ergo non potest voluntas intellectum ultimo applicatum retrahere ab exercitio sui actus: Ergo posito præmissarum assensu non potest voluntas ab assensu conclusionis retrahere: Ergo hoc ipso quod voluntatis est applicare ad exercitium circa verum, & ab exercitio retrahere non potest hoc ipso intellectus posito præmissarum assensu retrahi ab assensu circa conclusionem, quod est necessitari quantum ad exercitium.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia conclusionis fundamenta in solutionibus objectorum.

Objicies 1. hoc ipso quod aliqua datur demonstratio non necessitans, nulla est demonstratio necessitans: sed una datur aut dari potest demonstratio non necessitans: Ergo nulla est demonstratio ad exercitium necessitans. *Major* patet, vis enim demonstrationis ex qua videtur oriri præfata necessitas, in omni reperitur demonstratione, hoc ipso quod demonstratio est. *Prob. Minor*: dari potest demonstratio ex qua expelli debeat assensus erroneus; sed talis demonstratio non potest esse necessitans: Ergo datur seu dari potest demonstratio non necessitans. *Major* patet: potest enim fieri quod habeat aliquis errorem circa aliquam conclusionem, qui quidem error expelli

non

non possit, nisi per demonstrationem convincentem de contrario. *Probatur Minor*, demonstratio ita necessitans affert assensum conclusionis pro eodem instanti, pro quo ponitur assensus minoris subsumptæ; cum hoc sit de ratione naturalis & instantaneæ causæ necessitatæ: atqui hæc demonstratio ex qua expelli debet erroneus assensus, afferre non potest assensum conclusionis pro eodem instanti pro quo ponitur assensus minoris, cum ad hoc expelli debeat assensus erroneus, qui cum aliquam faciat resistentiā non videtur posse in eodem instanti expelli: Ergo præfata demonstratio esse nō potest necessitans.

Respondeo negando minorem: ad cujus probationem nego similiter minorem: cum enim in præfatâ demonstratione actu illuminetur intellectus de veritate conclusionis per assensum minoris subsumptæ ut determinantis majorem, ex eo scilicet quod præfata illuminatio sit in eodem instanti, quo adest illuminatus, & dum adest assensus præfatæ minoris tale adsit illuminans, utpotè quod esse debet illuminans illativè. Cum, inquam, in præfatâ demonstratione actu illuminetur intellectus de veritate conclusionis per assensum minoris subsumptæ, consequenter fit quod cum non possit intellectus actu illuminatus circa objectum aliquod, non elicere cognitionis actum circa illud, debeat per consequens etiam in præfata demonstratione elicere conclusionis assensum pro illo etiam indivisibili tunc & instanti, pro quo adest assensus minoris subsumptæ; unde concessâ majori tertii argumenti nego similiter minorem, putà quod non afferat præfata demonstratio, ex qua expelli debet assensus erroneus assensum conclusionis pro eodem instanti pro quo ponitur assensus minoris.

Neque huic obest quod affertur in probationem, quod scilicet ad hoc expelli debet assensus erroneus, qui cum aliquam faciat resistentiam, non videtur posse in eodem instanti expelli: non inquam hoc obest: qua enim facilitate assentitur intellectus veritati ut tali & plenè cognitæ, eadem facilitate & dissentitur falsitati oppositæ; ac proinde dato & concesso quod posset error ille aliquam facere resistentiam respectu intellectus non plenè convicti & illustrati de ejus falsitate, non video quo jure posset resistentiam facere respectu intellectus per assensus præmissarum omnino & plenè convicti de ejus falsitate; atque ita dicendum est quod quantumvis expellendus sit præfatus error ab intellectu, adhuc tamen pro eodem instanti temporis quo adest assensus minoris subsumptæ elici possit & debeat assensus scientificus conclusionis, nec

non & expelli assensus erroneus,licet cum prioritate & posterioritate naturæ in diverso genere causæ ; adeo ut in genere causæ efficientis prius sit assensum elici scientificum,quam expelli erroneum; in genere vero materialis causæ prius sit expulsio erroris,quam elicientia assensus scientifici.

Instabis:Quantumcumque illuminetur intellectus de veritate conclusionis per assensum minoris, non propterea sequitur elicere posse cognitionis actum pro eodem instanti: Ergo ruit præcedens solutio.*Probatur antecedens*:non potest intellectus elicere pro eodem instanti duos actus cognitionis ad diversa terminatos:sed si pro eodem instanti quo elicit assensum minoris,eliceret conclusionis assensum, hoc sequeretur: Ergo quamtumcunque illuminetur intellectus de veritate conclusionis per assensum minoris, non propterea elicere potest conclusionis assensum pro eodem instanti. *Minor* per se patet.*Probatur Major*.Intellectus intelligendo rem fit res intellecta,ex Aristotele *in tertio,de Anima*,id est [inquit Divus Thomas *quodlibeto septimo*,] completè informatur specie rei intellectæ: ergo intellectum intelligere simul plura diversa, idem est ac si res una simul esset plura; sed videmus in materialibus quod res una numero esse non potest simul plura in actu:Ergo nec dici potest, quod possit unus intellectus plura simul intelligere , seu elicere pro eodem instanti duos actus cognitionis ad diversa terminatos.

Respondeo negando antecedens:ad cujus probationem distinguo majorem sic : non potest intellectus elicere pro eodem instanti duos actus cognitionis ad diversa terminatos,ita ut utrumque eliciat primò & principaliter concedo,quod hoc tunc non possit intellectus:ita ut unum eliciat primò & principaliter, & alterum ex consequenti Nego majorem ; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est , dici posse intellectum plura simul intelligere dupliciter,primo quidem primo & principaliter , quod quidem accidit,aut potius accideret,si duo aliqua nullam inter se habentia habitudinem aut connexionem ad tertium aliquod, simul objicerentur intellectui,simulque terminarent ejus cognitionem : secundò dici potest intellectus plura simul intelligere ex consequenti,quod accidit , quando intelligit per se primo unum quid,in quo plura illa relucent , ut quando terminat cognitionem ad totum,in quo partes ejus videntur, & quando intelligit similitudinem aut differentiam aliquorum,

in

in quâ & ea,quorum eſt ſimilitudo & differentia intelligit; vel etiam dum id, quod primo & principaliter intelligit,ſe habet ut ratio alterius; tunc enim plura intelligit, ſed ex conſequenti, in quantum eſt conſequentia unius ex alio.

Licet igitur non poſſit intellectus plura ſimul intelligere, loquendo de intellectione primò & principaliter ad utrumque terminatâ non tamen factâ & terminatâ ex conſequenti ſenſu expoſito; cujus ratio eſt quia cognitio fit mediâ repræſentatione, unde & intellectus intelligendo fit repræſentativè res intellecta; ac proinde cum non poſſint unâ aut quaſi unâ repræſentatione repræſentari, quæ nullam habent inter ſe habitudinem ſeu connexionem, qualia ſunt ea quorum utrumque principaliter terminat, benè vero quæ intelliguntur ex conſequenti,ut patet in exemplis adductis,conſequenter fit, quod poſſit intellectus ita plura ſimul intelligere ex conſequenti, licet non principaliter;atque ita cum eliciendo aſſenſum concluſionis pro eo inſtanti pro quo elicit aſſenſum minoris, ſequatur ſolum plura ſimul ex conſequenti intelligere,ut patet ex præfatæ diſtinctionis expoſitione, dicendum per conſequens non propterea ſequi inconveniens,ut prætendit arguens.

Nota.

Vrgebis: Intellectus aſſentiendo concluſioni, etiam ex conſequenti non aſſentitur niſi per diſcurſum: ſed ſi pro eodem inſtanti quo elicit aſſenſum minoris, eliceret concluſionis aſſenſum,non eliceret per diſcurſum: Ergo non aſſentitur intellectus concluſioni pro eodem inſtanti quo aſſentitur minori ſubſumptæ. *Probatur Minor*; ideo non diſcurrit Angelus in cognoſcendo,quia videt in principiis concluſiones:ſed in præfato caſu videret intellectus noſter concluſionem in minori, quæ etiam habet rationem principii: Ergo ſi pro eodem inſtanti,quo elicit intellectus aſſenſum minoris, eliceret concluſionis aſſenſum,non eliceret per diſcurſum.

Reſpondeo negando minorem; ad cujùs probationem diſtinguo majorem ſic:ideò non diſcurrit Angelus in cognoſcendo, quia videt in principiis concluſiones,præciſè Nego:quia videt in principiis concluſiones per actum unicum ſeu unicum intuitum Concedo, & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam Non ergo ad diſcurſum requiritur quod unus actus tranſeat poſt alium ſecundum ſucceſſionem temporis, ſed ſufficit quod tranſeat unus poſt alium ſecundum ſucceſſionem vel cauſalitatem cognitionum & objectorum, licet

cet utraque cognitio simul duret: hoc enim sufficit ut verificetur atque reperiatur illatio unius actus ex alio, adeo ut verum sit dicere quod non tantum cognoscit unum ex alio, quod quidem competit etiam cognitioni Angelicæ, sed etiam quod cognoscit verum ex cognitione alterius, quod ultimum cum distinguatur à cognitione Angelica, non potest non esse constitutivum discursus. Cum igitur in præfato casu de assensu conclusionis pro eodem instanti pro quo habetur assensus minoris, adhuc verificetur, quod cognoscat intellectus conclusionem nedum ex minori, sed etiam ex cognitione seu assensu majoris, consequenter fit, posse adhuc stare, & de facto stat, quod assentiatur intellectus conclusioni per discursum.

Vrgebis Iterum: Quamdiu potest voluntas non velle conclusioni assensum, tamdiu potest non elici: sed pro eo instanti in quo habetur assensus minoris subsumptæ, potest adhuc voluntas non velle conclusionis assensum: Ergo & potest pro eo instanti non elici talis assensus. *Probatur minor.* Quamdiu non habet aliquid sufficienter determinare voluntatem, tamdiù potest voluntas illud non velle: sed non habet conclusionis assensus aut veritas sufficienter determinare voluntatem ad volendum, etiam pro illo tunc quo habetur minoris assensus: Ergo etiam pro illo tunc potest illum voluntas non velle. *Probatur minor*: In tantum habet aliquid sufficienter determinare voluntatem, in quantum ejus impler & satiat passivam determinabilitatem: sed non habet conclusionis assensus aut veritas etiam posito præmissarum assensu quod expleat & satiet passivam voluntatis determinabilitatem: Ergo nec habet sufficienter determinare voluntatem ad volendum talem assensum. *Probatur minor*: passiva voluntatis determinabilitas extendit se ad omne bonum; est enim capax amoris boni infiniti: sed conclusio & ex parte assensus & ex parte veritatis est tantum bonum quoddam particulare, contentum sub universali bono ut patet: Ergo non habet conclusionis assensus aut veritas, etiam posito præmissarum assensu, quod expleat aut satiet passivam voluntatis determinabilitatem.

Respondeo 1. Negando majorem, licet enim ubi procedit sermo de actibus elicitis immediatè à voluntate, quæ est potentia libera, & quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest non agere, verum sit dicere, quod tamdiù potest aliquis ex iis actibus non elici, quamdiù potest voluntas illum non velle; ubi tamen procedit sermo de actibus elicitis à potentiis naturalibus, sive ab aliis potentiis à voluntate non est

sem-

semper verum dicere, quod tamdiu possint hujusmodi actus non elici quamdiu potest voluntas illos non velle, quia scilicet hujusmodi potentiæ licet in applicatione exercita ad suum objectum subdantur voluntati, & possint per voluntatem ab aliquo objecto diverti, nihilominus semel applicatæ non possunt non elicere actum suum; ac proinde dato quod pro eo tempore quo applicatæ sunt, possit voluntas adhuc non velle quod eliciatur hujusmodi actus, non propterea sequitur quod possit tunc non elici cum supposita tali applicatione non subdantur dominio voluntatis quantum ad elicientiam sui actus. Patet hæc solutio in potentia visiva, quæ quidem licet dependeat à voluntate quantum ad applicationem ad aliquod objectum, quia tamen est ex se potentia determinata & naturale agens, ideo fit quod stante applicatione ad objectum non potest non elicere visionem, nisi supernaturaliter ei desit ad visionem divinus concursus: Ita similiter in præsenti casu licet potentia intellectiva possit liberè à voluntate ad hoc vel illud objectum applicari, cum tamen ex vi assensus præmissarum convincatur, illuminetur, atque ultimò applicetur & determinetur ad assensum conclusionis, propterea fit quod stante tali applicatione & assensu præmissarum non possit non elicere conclusionis assensum, quantumcumque possit tunc voluntas non velle, nisi ei supernaturaliter desit divinus concursus ad conclusionis assensum.

Respondeo 2. Negando minorem, puta quod pro eo instanti quo habetur assensus minoris subsumptæ ut determinantis majorem possit voluntas non velle conclusionis assensum, cum enim nihil sit volitum quin præcognitum vel ut existens vel ut potens existere, sicut non potest voluntas non velle elicientiam visionis si semel velit oculos esse apertos, medium illuminatum & objectum sufficienter præsens, quia tunc negatio visionis apprehendi non potest, neque voluntati proponi ut possibile quid, ita similiter dicendum in præsenti casu. Unde ad probationem nego similiter minorem ob rationem statim afferendam; ad tertium verò in quo videtur sita vis argumenti nego majorem; puta quod in tantum solum habet aliquid sufficienter determinare voluntatem, in quantum ejus explet & satiat passivam determinabilitatem. Pro quo notandum est ex duplici capite fieri posse quod sufficienter determinetur voluntas ad aliquid volendum: primò quidem quando tale quid habet ex perfectione sua explere & satiare ipsam capacitatem passivā voluntatis; & hoc modo solus Deus clarè visus utpote ostendens omne bonum habet, quod sufficienter deter- *Nota.*

 minet

minet voluntatem; atque ita non habet assensus sive veritas conclusionis, utpote solum particulare bonum contentum sub universali bono, non habet inquam ex eo capite ita determinare sufficienter, sive necessitare voluntatem.

At nedum eo capite potest sufficienter determinari voluntas, sed habet præterea sufficienter determinari & necessitari, quando scilicet id quod determinat talis est naturæ, ut quamvis non includat in se omnem rationem boni, negat tamen in suo opposito omnem rationem boni, imo & omne fundamentum bonitatis & amabilitatis, quod quidem accidit, quando ejus oppositum, sive positivum sive privativum nullam præ se fert rationem possibilitatis; tunc enim haud dubiè sufficienter determinatur voluntas, cum respectu oppositi nullam possit habere passivam determinabilitatem: Iam sic est quod in præsenti casu assensus sive veritas conclusionis talis est naturæ posito præmissarum assensu; Etenim, ut non semel ostensum est, suspensio hujusmodi assensus in tali suppositione nec est, nec apparere potest possibilis, cum in eodem instanti eliciatur quo assensus minoris subsumptæ, ut supra toties probavimus: Ergo quamvis præfatus conclusionis assensus ejusque veritas solum rationem habeant particularis boni, non propterea sequitur, quod non possint sufficienter determinare voluntatem, eamque necessitare supposito præmissarum assensu, adeoquè nec sequitur quod possit voluntas non velle talem tunc elici assensum.

Colliges ita & taliter necessitari intellectum ad assensum conclusionis posito præmissarum assensu, ut pro eodem instanti pro quo assensum elicit minoris subsumptæ, & prout determinantis majorem, ipsum etiam eliciat conclusionis assensum, videatque pro tunc ipsam conclusionis veritatem, ut notat D. Thomas 1. *poster. lect.* 2. nec enim, ut dictum fuit, alio lumine manifestatur conclusio, quam lumine illativo, quod in præmissis continetur, an verò quod ita eliciat intellectus assensum conclusionis pro eodem instanti pro quo habetur minoris assensus, an, inquam, sit hoc necessarium, ut de facto necessitetur intellectus ad talem assensum, sub lite est, atque in dubium vertitur: probabilius tamen existimo, id esse necessarium ut de facto necessitetur intellectus, tum quia probationes singulæ, quibus probavimus necessitari intellectum ad talem assensum concludunt etiam, quod pro eodem instanti, quo habetur assensus præmissarum, eliciatur & assensus conclusionis, ut easdem consideranti patebit, tum etiam quia cum non

non possit intellectus elicere conclusionis assensum, ut conclusio est nisi attendens ad præmissas, ejsque assentiendo, si pro eo instanti pro quo attendit ad præmissas, ejsque assentitur non habeat elicere conclusionis assensum, nusquam eliceret, adeoque multo minus posset necessitati ad eliciendum. *Nota.*

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

*R*Espondeo D. Thomam favere omnino præfatæ nostræ nostræ conclusioni. quod evidenter colligo ex doctrinâ quam affert, & quidem multum suo more profundâ 1. 2. *quæst. 12. art. 6.* ubi discurrit sic: *actus rationis potest considerari dupliciter, uno modo quoad exercitium actus, ut cum indicitur alicui quod attendat & ratione utatur, & sic potest imperari actus rationis: alio modo quantum ad objectum, respectu cujus duo actus rationis attenduntur, primò quidem ut veritatem circa aliquid apprehendant, & hoc non est in potestate nostrâ; hoc enim contingit per virtutem alicujus luminis vel naturalis vel supernaturalis, & ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostrâ: alius autem rationis actus est: dum his quæ apprehendit assentit; si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, tunc assensus talium vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ: sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeò convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum & dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse vel dissensus in nostrâ potestate est.* Hæc D. Thomas, ex quibus duo eruo argumenta ad intentum. Primò: quandocumque apprehensa sunt talia quibus naturaliter assentiat intellectus, tunc non est assensus vel dissensus in potestate nostra ex D. Thomâ, idest, non est tunc ad libitum & nutum voluntatis impedibilis: atqui apprehensa in assensu præmissarum demonstrantium sunt talia, quibus & vi quorum naturaliter assentiat intellectus veritati conclusionis; vel certè nulla dabuntur talia apprehensa, cum nulla de facto sint magis convincentia intellectum discurrentem quam præfatæ præmissæ: Ergo prætendit D. Thomas quod posito præmissarum assensu impediri non possit intellectus ab assensu conclusionis, adeoquè & quod necessitetur quoad exercitium.

Secundò tunc solum assensus est ex D. Thomâ in potestate nostrâ etiam ut suspendendus, quando apprehensa non adeò con-

convincunt intellectum: sed nulla dari possunt, quæ magis intellectum convincant quam præmissæ demonstrationis respectu conclusionis demonstratæ, cum in his servetur principium illud generale & adeo per se notum nunirum, *Dici de omni*, & quidem tum ex parte formæ, tum ex parte materiæ, sive *Dici de omni tum prioristicum tum etiam posterioristicum*: Ergo non sentit D. Thomas quod possit intellectus assensum conclusionis suspendere posito præmissarum assensu.

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum præmissarum assensus concurrat, & quomodo ad assensum conclusionis.

RESpondeo, Assensum præmissarum concurrere de facto ad assensum conclusionis; nec nisi in genere causæ efficientis concurrere. Ratio primæ partis est, quia vel concurrit de facto assensus præmissarum aliquam exercens causalitatem erga assensum conclusionis, vel certè solum se habet ad assensum conclusionis per modum termini à quo, & secundum ordinem successionis præcisè: hoc autem secundum dici non potest, cum terminus à quo nullam tribuat activitatem ipsi mobili, ut acquirat terminum ad quem, nec ullibi verificetur, quod in vi termini à quo acquirat mobile terminum ad quem; cum tamen assensus præmissarum vim & virtutem tribuat intellectui ut assentiatur conclusioni, adeo ut in vi assensus præmissarum & propter talem assensum intellectus conclusioni assentiatur: Ergo aliquem ordinem causalitatis & causaliter concurrentis habet assensus præmissarum in assensum conclusionis. Jam verò quod non nisi in genere causæ efficientis concurrat, præter quam quod habetur expresse in D. Thoma 1. *posteriorum lect.* 3. & 5. *Metaph. lect.* 3. ubi habet S. Doctor, quod licet præmissæ quoad illarum terminos sint causæ materiales conclusionis, quoad virtutem tamen conclusionem causandi rationem habent efficientis causæ, potest præterea hoc idem suaderi ex eo quod intellectus, qui est causa efficiens respectu assensus conclusionis, licet secundum se sit potens ad cognoscendam conclusionem, non tamen potens est ex se & secundum se ad illam cognoscendam scientificè, & ut ex suis causis & principiis deductam,

ductam, sed ad hoc fit proximè potens medio assensu præmissarum, in quantum scilicet in assensu præmissarum continetur virtualiter conclusio, & per præmissas illa manifestatur intellectui: jam sic est, quod omne quod dat, aut complet virtutem intellectus efficienter concurrentis ad aliquid cognoscendum, concurrit etiam cum illo efficienter ad talem cognitionem; cum completivum inquantum tale reducatur ad genus illius, cujus est completivum: Ergo non nisi in genere causæ efficientis concurrit præmissarum assensus ad assensum conclusionis.

Dices 1. Quod nullus actus est alterius actus operativus & productivus, cum actus, ut ex termino constat, dicat potius rationem acti seu producti non productivi: atqui præfatus præmissarum assensus est actus ab intellectu elicitus: Ergo habere non potest rationem causæ, & concurrentis respectu assensus conclusionis.

Respondeo, Distinguendo Majorem; nullus actus est alterius actus operativus & productivus, quando per se non ordinatur ad alterum actum Concedo: si verò talis sit, quod per se ad alium actum ordinetur Nego, quod tunc esse non possit productivus, ut patet in actu intentionis, qui quidem quia ordinatur ad electionis actum & illum in virtute continet, ad illum etiam efficienter concurrit, & voluntati virtutem tribuit ut illum eliciat. Cum ergo assensus præmissarum ordinetur ad assensum conclusionis, illumque virtualiter contineat, ac intellectui ad eliciendum virtutem præbeat, ad cujus elicientiam intellectus absque tali assensu potens non erat, ut ostensum fuit in responsione ad quæsitum, propterea fit, quod talis præmissarum assensus quamtumvis actus elicitus intellectus adhuc ad prædictum conclusionis assensum causaliter concurrat.

Dices 2. Quod omnis causa efficiens vel est æquivoca, ut sol respectu effectuum sublunarium, vel est univoca, ut ignis respectu alterius ignis producti: atqui præmissarum assensus nec est causa univoca assensus conclusionis; cum sit diversæ speciei ab illo; iste namque est assensus scientificus, cum tamen præmissarum assensus ad lumen principiorum pertineat: sed neque est causa æquivoca, cum æquivoca causa sit causa universalis determinabilis per alias causas, assensus autem præmissarum quomodocumque sit causa conclusionis, semper sit causa particularis illius, cum in eo genere in quo causat, non mediet alia proximior causa: Ergo non potest præmissarum assensus concurrere ad assensum conclusionis in genere causæ efficientis

Respon-

Respondeo negando minorem: licet enim præmissarum assensus sit causa particularis assensus conclusionis, habet tamen adhuc, quod sit causa illius æquivoca; cujus quidem ratio est, quia id quod concurrit *ut quo*, & ut virtus agendi, etiam si sit causa particularis & proxima, potest esse causa æquivoca, & ad effectum concurrere diversæ rationis & speciei, sicut color in animali, quia est virtus agendi, licet particularis, est tamen causa æquivoca productionis sanguinis.

Nota.

Dices 3. quod si assensus præmissarum concurreret in genere efficientis causæ ad assensum conclusionis, posset Deus illius supplere concursum, & facere ut absque assensu præmissarum eliceret intellectus assensum conclusionis: sed hoc est impossibile, cum absque prævio præmissarum assensu non esset assensus conclusionis scientificus: Ergo ad illum non concurrit præmissarum assensus in genere causæ efficientis, sed in genere causæ formalis, vel in alio genere causæ, quod suppleri non possit à Deo.

Resp. negando sequelam. Pro quo notandum est, & quidem seriò & diligenter pro multis solvendis, difficultatibus, quæ concurrere solent, dum habetur sermo de supplemento concursus causæ efficientis per ipsum Dei concursum, notandum inquam, quod licet possit Deus supplere concursum causæ efficientis, non tamen potest propterea facere, quod effectus eodem modo procedat, sicut à causâ particulari efficienti procederet: sicuti potest quidem Deus producere animal sine generante, & supplere generantis concursum, non tamen illud producere ut genitum, quia ut sic dicit essentialem ordinem ad generans. Unde quia assensus conclusionis ut scientificus, scilicet ut ex præmissis illatus, dicit essentialem ordinem & dependentiam à præmissis sive principiis, nec non & ab eorumdem assensu, consequenter fit, quod etiam si ad illum conclusionis assensum concurrat præmissarum assensus efficienter, non propterea possit Deus talem in hoc supplere concursum, & facere quod absque præmissarum assensu intellectus assensum eliciat conclusionis formaliter ut scientificum, & ut ex principiis illatum. Restat igitur, concurrere efficienter præfatum præmissarum assensum ad assensum conclusionis: neque huic obest quod dicit Aristoteles *l. 1. posteriorum*, puta quod licet assensus minoris sit simul cum assensu conclusionis, assensus tamen majoris potest esse prius tempore ipso conclusionis assensu; ex quo videtur sequi quod non existat majoris assensus dum elicitur conclusionis assensus, quæ tamen

Nota.

ex-

existentia est conditio omnino requisita ad causalitatem causæ efficientis: non inquam id obest; quia scilicet etsi assensus majoris præcedat ita tempore, assensus tamen minoris quatenus determinat assensum præcedentem majoris, habet continere in virtute ipsum majoris assensum; ac proinde licet iste solum realiter existat, cum de facto elicitur conclusionis assensus, quia tamen ut in virtute continens assensum majoris causat efficienter conclusionis assensum, propterea fit, quod adhuc realiter existat id, quod efficienter causat.

QUÆSTIO III.

Vtrum primarius demonstrationis effectus, putà scientia possit simul stare cum opinione circa idem & in eodem subjecto ratione diversi medii.

PRæmittendum primò, Pro declaratione naturæ & quidditatis scientiæ, quod scientia sumpta habitualiter, & prout supponit pro habitu inclinante ad scientificè cognoscendum definiri solet: *Habitus verus, certus, evidens, ac per demonstrationem acquisitus.* Imprimis ergo dicitur habitus, quæ particula ponitur loco generis; imò & posset addi vel subintelligi intellectualis, tanquam genus proximum, in quo scientia cum aliis habitibus intellectualibus convenit. Secundò verò dicitur verus, quæ particula ponitur ad differentiam habitus erronei, qui est habitus inclinans ad falsum; dicitur tertiò habitus certus, quæ particula ponitur ad differentiam opinionis & fidei humanæ, ac suspicionis, vel aliorum [si qui alii sunt habitus vel assensus incerti & formidolosi] Pro quo notandum est; quòd certitudo [ut ex D. Th. *in 3. sentent. distinct. 29. quæst. 2. art. 4.* deducitur] est firma adhæsio intellectus suo intelligibili: per fidem autem humanam nec convincitur intellectus, nec firmiter adhæret objecto credito; & similiter nec per habitum opinativum assentitur quis firmiter conclusioni, quia vel ex principiis incertis deducitur; vel si ex certis & evidentibus, non tamen ut per certam & evidentem consequentiam ex illis illatam ad illam habitus opinativus inclinat: unde & differt scientia ab hujusmodi habitibus per esse habitū certum, utpote

per

per demonstrationem ex certis principiis, & per evidentem consequentiam genitus; dicitur quartò scientia habitus evidens, quæ quidem particula ut explicetur notandum est, quod in scientia non requiritur evidentia propter seipsam, sed propter certitudinem; unde si certitudo haberi possit absque evidentia, illa sufficiet ad substantiam & essentiam scientiæ; ut in Theologia nostra pro hoc statu, quæ cum innitatur principiis fide divinâ creditis, ex quibus per evidentem consequentiam deducitur assensus certus conclusionis, ideo fit, quod quamvis assensus ille non sit evidens, cum tamen sit assensus ex principiis per discursum acquisitus, est verè & quoad substantiam scientificus; non igitur hæc evidentia per se requiritur ad scientiam; requiritur tamen necessariò, cum absque illa non possit haberi certitudo: unde cum in scientiis naturalibus non possit haberi certitudo absque evidentia, propterea fit, quod in illis evidentia requiratur, & ita quia Aristoteles scientiam naturalem definiebat, ideo & illam asserit esse debere habitum certum & evidentem.

Tandem dicitur scientia habitus per demonstrationem acquisitus; per quod habet distingui scientia à lumine seu habitu primorum principiorum, qui licet sit certus & evidens, non acquiritur tamen per demonstrationem, nec inclinat ad veritates medio discursu, sed immediatè in seipsis attingendas; distinguitur etiam ab habitu fidei divinæ, qui non per discursum sed immediatè inclinat in sua objecta. Distinguitur & à prudentia & arte, quæ cum versentur circa singularia, quæ non possunt demonstrari, nec etiam haberi possunt per demonstrationem; distinguitur denique à scientia Dei & Angelorum, quæ quamvis possit aliqualiter dici, quod habeatur per demonstrationem, quatenus Deus & Angeli cognoscunt ex parte objecti unum esse propter aliud; tamen quia ex parte cognoscentis cognitio unius non est causa cognitionis alterius, siquidem unicâ & eadem cognitione principia & conclusionem attingunt, non convenit eis hæc definitio scientiæ, saltem ut ab Aristotele intellecta, qui cum omnem hanc suam doctrinam fundet in eo, quod omnis doctrina & disciplina ex præexistente fit cognitione, cum ait deinde esse scientiam habitum per demonstrationem acquisitum, intelligit per consequens de demonstratione propriissime & formaliter sumpta, qualis est, cum per proprium & formalem discursum generatur cognitio & assensus conclusionis ex assensu & cognitione præmissarum. Et hæc de quidditate habitualis scientiæ, ex quibus deducitur

facilè

facilè quid sit actualis scientia, seu ipsum scire: Quod quidem propterea definitur: rem per causam cognoscere, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non potest: hoc est rem cognoscere per præmissas, quæ rationem habeant causæ seu rationis formalis illius, & quæ cognoscantur illam habere; taliter quod res illa non solum ita sit per tales causas, sed nec aliter se habere possit; hoc enim requiritur ad rationem necessarii, quale est & esse debet objectum scientiæ.

Præmittend. 2. Pro intelligentiâ tituli, & quidem profundiori, quod medium illud probabile seu opinativum, de quo inquiritur in titulo, an scilicet ratione illius possit opinio simul stare cum scientiâ, hoc, inquam, medium potest considerari dupliciter: primò quidem sub ratione motivi præcisè, ex quo scilicet movetur & inducitur intellectus ad judicandum de re opinativè, seu cum formidine partis oppositæ: secundò vero potest considerari hoc idem medium, non sub ratione motivi præcisè, sed potius sub ratione objecti & terminativi cognitionis, quod quidem accidit, quando terminatur cognitio ad rem ut dubiam & formidolosam prout subest tali medio, scilicet probabili, est autem hoc discrimen notabile & maximè notandum in præsenti materiâ inter medium illud, prout se habet ut motivum præcisè, idemque ut præfato modo terminativum, quod ex medio probabili ut solum movente constituitur opinio, minimè vero ex eodem ut terminativo, quin immo ad id ut ita terminans habetur cognitio scientifica: cujus ratio est, quia judicium quod fit ex medio probabili ut præcisè ad illud movente est judicium omnino incertum & formidolosum, adeoque & opinativum; cum è contra judicium quod fertur de re ut incertâ & formidolosâ prout subest medio probabili, quale est id quod habetur ad medium ut terminativum, est judicium firmissimum & certissimum, subindeque & scientificum, cum res ut subest medio probabili, & cum reflexione ad tale medium non possit non esse incerta, subindeque nec aliter se habere possit, quam eo modo quo judicatur.

Porrò ex his infero, non multum laudabiliter vel utiliter hic insudare adversarios, dum rationes accumulant, ut probent, posse intellectum jam aliunde scientificè certum de re aliqua, de eadem judicare, quod sit incerta & dubia, prout subest diverso medio, sive medio probabili: non inquam multum utiliter insudant, cum hoc tantum probent quod nec controvertendum, neque controvertibile putamus. Quis enim dubitare potest quod intellectus, quamtumcumque certus de re ali-

quâ possit simul & semel judicare de eadem, quod sit incerta prout subest causæ incertæ, quale est medium probabile: alias ergo meditentur adversarii rationes, si velint agere & aliquid inferre contra Thomistas, qui quidem dum negant posse simul stare scientiam & opinionem circa idem, etiam ratione diversi medii, non nisi de medio ut præcisè movente intendunt loqui; adeo ut sensus & sententia sit, non posse intellectum qui ex medio necessario & scientifico supponitur certus de re aliqua, non posse inquam servata in eodem præfata certitudine actuali fieri ex medio probabili incertum circa idem, seu moveri & induci ex medio probabili ad ferendum judicium ex quo incertus relinquatur & dubius circa idem.

Præmittendum ultimò, pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii respectu conclusionis inferendæ, puta quod *non potest intellectus certus esse, absolutè de re, simul & absolutè incertus*, quod *non est respectu intellectus idem ubi est alia & alia considerata veritas*; denique quod *effectus formalis impediri non potest non impedita formali causâ.* Ratio autem primi est, quia unumquodque oppositorum, qualia sunt certum & incertum aliud negat & excludit oppositum à subjecto sub aliqua ratione; aliàs non servaretur oppositorum ratio, quæ consistit in hoc, quod ab eodem subjecto se expellant: jam sic est quod unum ex oppositis absolutè afficiens subjectum, idque denominans absolutè tale, non excludit aliud prout solum afficiens & denominans subjectum secundum quid aut comparativè; patet enim, quod subjectum simpliciter & absolutè calidum potest esse frigidum secundum quid & cum hoc addito: in gradu remisso: & quod homo, v.g. absolutè parvus, potest esse magnus comparativè ad alium minorem: restat ergo, quod unum ex oppositis absolutè afficiens subjectum, debeat aliud excludere oppositum, prout afficiens & denominans similiter absolutè; ac proinde quod non potest idem intellectus esse de re aliqua absolutè certus, simul & incertus absolutè.

Quantum verò ad secundum puta, quod non est respectu intellectus idem, ubi est alia & alia considerata veritas, ratio est evidens, id enim quod ab intellectu respicitur non aliud est quam verum: Ergo non est ibi idem ab intellectu respectum, ubi

ubi non est eadem,sed alia & alia considerata veritas. Denique ratio tertii est, quia effectus formalis non aliud est quam ipsa forma ut communicata; nec enim aliud est esse album formaliter, quam habere albedinem sibi communicatam: Ergo nisi impediatur formalis causa, seu forma,à qua causatur effectus, nec potest effectus formalis impediri. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis,jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *actualis scientia stare non potest cum actuali opinione in eodem intellectu circa idem, etiam ratione diversi medii.*

Probatur primò,ex primo præmisso principio: *non potest intellectus esse absolutè certus de re,simul & absolutè incertus:* Ergo non possunt scientia & opinio simul in eodem stare intellectu circa idem etiam ratione diversi medii. *Probatur consequentia*: effectus scientifici & opinativi medii est certum reddere absolutè [quantum ad scientificum,] & absolutè incertum[quantum ad opinativum] Ergo hoc ipso quod non potest intellectus esse certus absolutè simul & absolutè incertus,nec potest esse scientia simul cum opinione, etiam ratione diversi medii.*Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*:effectus opinativi medii [& idem dic cùm proportione de medio scientifico] vel est reddere intellectum absolutè incertum, vel incertum tantum de re comparativè, seu de re prout subest opinativo medio: sed hoc secundum dici non potest: Ergo effectus opinativi medii est reddere intellectum absolutè incertum.*Major* patet. *Probatur Minor.* judicium quod fertur ex effectu opinativi medii esse non potest judicium firmissimum & necessarium: sed judicium quod fertur de incertitudine rei,prout subest medio opinativo, seu comparativè ad medium incertum, est judicium firmissimum & necessarium; cum res ut subest incertæ causæ non potest non esse incerta:Ergo effectus opinativi medii non est reddere intellectum incertum tantum de re comparativè ad medium opinativum,seu prout subest medio probabili: Ergo effectus opinativi medii,qua talis, seu ut constituentis opinionem est reddere intellectum absolutè incertum: Ergo hoc ipso quod intellectus esse non potest absolutè certus de re,simul & absolutè incertus(quod est primũ præmissũ principiũ)nec possunt

Nota.

ſcientia & opinio ſimul in eodem ſtare intellectu circa idem.

Probatur ſecundò, ex ſecundo præmiſſo principio: *non eſt reſpectu intellectûs idem, ubi eſt alia & alia conſiderata veritas*: Ergo non poſſunt ſcientia & opinio verſari in eodem intellectu circa idem. *Probatur conſequentia*: non habent ſcientia & opinio ſimul ſtare, niſi ubi eſt alia & alia conſideranda veritas: Ergo hoc ipſo quod non eſt reſpectu intellectus idem, ubi eſt alia & alia conſiderata veritas, non habent ſcientia & opinio verſari poſſe circa idem. *Conſequentia*, eſt evidens. *Probatur antecedens*: ex ipſa adverſariorum doctrina non habent ſcientia & opinio ſimul ſtare, niſi inquantum veritatem reſpiciunt prout ſubeſt diverſo medio: ſed cōſiderata veritas prout ſubeſt diverſo medio non eſt eadē ſed alia & alia veritas: Ergo nō habent ſcientia & opinio ſimul ſtare, niſi ubi eſt alia & alia conſiderāda veritas. *Prob. Minor*: illatio veritatis à diverſo medio nō eſt eadem, ſed alia & alia illatio: ſed hoc ipſo quod conſideratur veritas prout ſubeſt diverſo medio, conſideratur ſecundum illationem quam habet ab illis: Ergo conſiderata veritas prout ſubeſt diverſo medio eſt alia & alia conſiderata veritas: Ergo non habent ſcientia & opinio ſimul ſtare ex ipſa adverſariorum doctrina, niſi ubi eſt alia & alia conſideranda veritas: Ergo hoc ipſo quod non eſt reſpectu intellectus idem, ubi eſt alia & alia conſiderata veritas, [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] non habent ſcientia & opinio verſari poſſe in eodem intellectu circa idem.

Probatur tertiò, ex tertio præmiſſo principio: *effectus formalis impediri non poteſt niſi impediatur formalis cauſa*; Ergo non poteſt opinio non eſſe incompoſſibilis cum ſcientia circa idem, non obſtante diverſitate medii. *Probatur conſequentia*: non tollit diverſitas medii formalem cauſā talis incompoſſibilitatis: Ergo hoc ipſo quod effectus formalis impediri non poteſt non impeditâ formali causâ, non poteſt opinio non eſſe incompoſſibilis cum ſcientiâ, non obſtante diverſitate medii. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: formalis cauſa incompoſſibilitatis eſt oppoſitio & contrarietas formarum; ſed non tollit diverſitas medii oppoſitionem ſcientiæ & opinionis: Ergo nec tollit formalem cauſam earumdem incompoſſibilitatis. *Probatur Minor*: non magis eſt efficax diverſitas medii ad tollendam oppoſitionem ſcientiæ & opinionis in eodem intellectu, quam diverſitas cauſæ ad tollendam in eodem ſubjecto oppoſitionem effectuum, ut per ſe patet, cum ly medium

um induat ibi rationem causæ; sed diversitas causæ sufficiens non est ad tollendam oppositionem effectuum in eodem subjecto; aliàs nulli & nullibi essent effectus oppositi & repugnantes, cum hoc ipso quod oppositi procedere debeant à diversis causis saltem formalibus: Ergo non tollit diversitas medii oppositionem scientiæ & opinionis in eodem intellectu respectu ejusdem: Ergo non tollit diversitas medii formalem causam incompossibilitatis scientiæ & opinionis respectu ejusdem: Ergo hoc ipso quod effectus formalis impediri non potest, nisi impediatur formalis causa [quod est tertium præmissum principium] non potest hoc ipso opinio non esse incompossibilis cum scientiâ circa idem.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, ideò non potest intellectus habere scientiam simul & opinionem circa idem; quia esse non potest certus simul & incertus: sed non repugnat esse intellectum certum simul & incertum procedendo per diversum medium: Ergo nec repugnare debet, quod habeat scientiam simul & opinionem circa idem. *Probatur Minor*: non magis repugnat esse intellectum certum simul & incertum ut procedit per diversum medium, quam esse rem sive objectum in se certum simul & incertum, ut procedit à diverso medio: sed non repugnat esse objectum in se certum simul & incertum, ut procedit à diverso medio: Ergo nec repugnare debet esse intellectum certum simul & incertum procedendo per diversum medium. *Major* videtur evidens; non enim minus contrariantur certitudo & incertitudo in objecto cognito, quam in intellectu cognoscente *Probatur Minor*: res sive objectum certum est ut procedit à causa necessaria & certa; & est incertum ut procedit à causa fallibili & contingenti: sed non repugnat rem sive objectum duas habere vel plures causas, quarum una sit fallibilis & alia necessaria, ut per se patet: Ergo non repugnat esse objectum in se certum simul & incertum, ut procedit à diverso medio.

Videantur alia fundamenta in solutionibus objectorum.

Respondeo negando minorem: neque enim per diversa media potest intellectus esse simul certus & incertus de aliquo objecto, sicut neque per diversa media potest illud cla-

rè & obscure videre; cujus ratio est; quia si ego, verbi gratia, per medium scientificum certitudinem habeo, quod homo est risibilis, accedente ad probationem ejusdem veritatis medio probabili, cum illud non destruat medium scientificum, nec facit per consequens me tali veritati cum formidine opinionis assentiri, aut judicare quod tale objectum aliter se habere potest; sicuti me evidenter sciente aliquid, aut illud clarè experimentaliter cognoscente, si accedat aliquis dicens id ita esse, cum talis authoritas dicentis non destruat medium quo jam id agnosco scientificè, aut notitiam experimentalem, quam illius habeo, nec consequenter facit, me id clarè non cognoscere: Ergo neque per idem nec per diversum medium potest aliquis simul esse de aliquo objecto certus & incertus, sicut nec illud clarè & obscurè cognoscere. Nego igitur præfatam minorem, ad cujus probationem nego Majorem quamtumvis supponatur ab adversariis evidens, puta, quod non magis repugnet esse intellectum certum simul & incertum de objecto procedendo per diversum medium, quam esse objectum in se certum simul & incertum, ut procedit à diverso medio sive à diversa causa, cujus disparitatis ratio est, quia certitudo illa & incertitudo, quibus dicitur objectum certum & incertum ut procedit à diverso medio, non habent afficere & denominare objectum secundum idem, sed secundum diversa, sive secundum diversam illationem quam habet ex diverso medio; esse enim objectum certum ut procedit à medio necessario, nihil aliud est quam illationem talis objecti à tali medio certam esse & necessariam; ac proinde cum dicatur objectum certum ratione unius illationis, & incertum ratione alterius, consequenter fit quod ibi certitudo & incertitudo non afficiant objectum secundum idem, adeoque quod non sibi in objecto contrarientur.

E contra vero si diceretur intellectus certus & incertus de objecto, etiam procedendo per diversum medium, tunc certitudo illa & incertitudo intellectum afficerent secundum idem; siquidem quamtumvis procedat intellectus per diversum medium, hoc ipso tamen quod dicitur certus & incertus de objecto, ly objectum sumitur ibi absolutè, & non comparativè & cum reflexione ad suum diversum medium; aliàs non esset certus & incertus intellectus de eodem objecto, contra intentum arguentis; cum sit

om-

omnino evidens, quod objectum sumptum cum reflexione ad unum medium, non sit idem formaliter objectum cum eodem sumpto cum reflexione ad aliud medium, ex eo scilicet quod tunc diversum illud medium non se habet præcisè ut motivum, sed ingreditur etiam ipsum objectum cognitum, adeoque & illud variat in ratione objecti, sicut & ipsum medium varium & diversum supponitur: Non ergo potest intellectus esse certus simul & incertus de objecto, etiam procedendo per diversum medium, quamvis ipsum objectum ut & secundum quod à diverso procedit medio esse possit certum simul & incertum. Nota.

Instabis: intellectus certus dicitur scientificè, vel incertus opinativè per hoc, quod apprehendit objectum certum vel incertum; sed non repugnat intellectum ratione diversi medii apprehendere objectum certum simul & incertum: Ergo nec repugnat quod ratione diversi medii sit intellectus certus scientificè, simul & opinativè incertus. *Probatur Minor*: quamdiu apprehensio est objecti ut est in se, non potest intellectui repugnare: sed objectum ut est in se potest ratione diversi medii esse certum simul & incertum: Ergo non repugnat intellectum apprehendere objectum certum simul & incertum ratione diversi medii. *Probatur Minor*: quale est objectum in causâ tale est objectum in se, cum nihil habeat in se quod non sit à causâ participatum & derivatum: sed potest objectum ratione diversæ causæ, seu diversi causalis medii esse certum simul & incertum in causa; cum ex causis possit una esse certa & incerta altera: Ergo & potest objectum ut est in se esse ratione diversi medii certum simul & incertum.

Respondeo triplici aut quadruplici responsione, ex quibus singulis & colligitur decipi adversarios, & in quo decipiantur detegitur: igitur respondeo primò negando majorem: non enim est intellectus incertus opinativè per hoc præcisè quod apprehendit rem incertam, cum apud omnes indubitatum sit posse demonstrativè cognosci quod sit res incerta, in quo casu non est haud dubiè intellectus opinativè incertus, & hoc quidem accidit in præsenti, ubi volunt adversarii quod intellectus scientificè certus de objecto sit etiam ratione diversi medii opinativè incertus, quia, inquiunt, adhuc cognoscit objectum illud posse aliter se habere prout subest incerto seu probabili medio, non advertentes

quod cognitio illa , qua cognoscit intellectus rem esse incertam & potentem aliter se habere prout subest incerto medio, est omnino certa & scientifica ac demonstrabilis; adeoque quod ex tali cognitione nequaquam dici potest intellectus opinativè incertus, nec consequenter habere opinionem simul cum scientia vel

Respondeo secundò, Distinguendo Majorem: intellectus certus dicitur scientificè vel incertus opinativè, per hoc, quod apprehendit objectum certum vel incertum, si apprehendat objectum certum vel incertum prout absolutè spectatum, Concedo: si vero solum apprehendat objectum certum vel incertum sumptum comparativè ad medium cui subest, Nego Majorem; & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam. Ratio autem hujus est, quia, ut nuper dicebamus, cognitio quâ apprehendit intellectus objectum incertum non absolutè sed comparativè ad medium incertum cui subest, est tunc cognitio certa de incertitudine rei, non autem cognitio incerta de re ipsa, qualis esse debet opinativa, & qualis esset si ex eà diceretur intellectus opinativè incertus: ac proinde cum intellectus hoc ipso quod scientificè certus de aliquo, subindeque & absolutè, non possit hoc idem apprehendere ut incertum, prout absolutè spectatum, ut demonstratum fuit in præmissis, & ut ipsi etiam concedunt adversarii, sed solum possit ipsum ut incertum apprehendere sumptum comparativè ad medium incertum & probabile cui subest, consequenter fit quod in hoc etiam decipiuntur adversarii, dum ex tali inferunt apprehensione, quod sit intellectus tunc opinativè incertus: vel

Respondeo tertiò, Distinguendo Minorem: sed non repugnat intellectum objectum apprehendere ut certum simul & incertum ratione diversi medii, ly medio se tenente solum ex parte motivi cognitionis, Nego Minorem: ly medio se tenente ex parte potius objecti terminativi cognitionis, Concedo; sed exinde nihil contra intentum conclusionis, ut statim patebit, pro quo notandum est, & quidem seriò & diligenter, hæc duo toto cœlo differre, putà moveri intellectum ex medio probabili ad cognoscendam rem incertè & ferendum incertum judicium [quod est rem cognoscere medio se tenente ex parte motivi præcisè;] & cognoscere intellectum rem incertam prout subest medio probabili, terminando scilicet cognitionem suam ad totum illud, puta ad rem incertam prout subest tali medio [quod est rem cognoscere, medio se tenente ex parte objecti terminativi cognitionis] est inquam magnum

discri-

discrimen inter hæc duo; siquidem per primum cognoscendi modum cognoscit intellectus ipsam rem incertam; & per secundum ipsam potius cognoscit incertitudinem rei: per primum terminat intellectus cognitionem suam ad rem ex medio illatam; & per secundum non tam ad rem illatam quam ad illationem rei terminatur demum per primum cognoscendi modum, medio scilicet se tenente solum ex parte motivi constituitur opinio sive opinativa cognitio, cum motus intellectus ex medio incerto ad suum ferendum judicium, non nisi judicium omnino incertum subindeque & opinativum ferre possit: Econtra verò per secundum cognoscendi modum, medio se tenente ex parte objecti, seu terminativi cognitionis constituitur potius cognitio scientifica, cum non sit minus certum quod res ut subest medio probabili est incerta, quam quod est certa prout subest medio necessario: est enim probabilitas medii propria incertitudinis causa, sicut medii necessitas est propria causa certitudinis. Quapropter & in hoc iterum decipiuntur adversarii, quod hæc duo confundant, puta moveri ex medio probabili ad cognoscendum objectum incertè, & cognoscere rem incertam prout subest medio probabili; adeo ut inferre soleant stare posse opinionem cum scientia, ex eo quod intellectus scientificè certus de objecto adhuc possit cognoscere esse objectum incertum prout subest medio probabili, non advertentes quod hæc postrema cognitio dici non potest opinativa, cum sit potius omnino certa, scientifica & habita de re per propriam causam.

Objicies secundò, Par est ratio de scientia actuali & actuali opinione, ac de habituali scientia & opinione habituali: sed habitus scientiæ stare potest simul cum ipso habitu opinionis: Ergo & actualis scientia seu cognitio scientifica, de qua procedit in præsenti sermo, stare poterit cum cognitione opinativa, seu actuali opinione. *Major* videtur evidens: cum enim habitus sit quasi semen actus, sitque ex actu relictus, ut scilicet actu transacto ejus suppleat locum & vices gerat, consequenter fit, pari modo philosophandum esse de actu & de habitu. *Probatur Minor*: potest habitus scientiæ cum habitu stare opinionis, si stare possit cum ipso actu opinionis: sed potest habitus scientiæ stare cum ipso actu opinionis: Ergo & stare potest cum ipso opinionis habitu. *Major* videtur evidens, cum enim habitus generetur per actum, hoc ipso quod stare potest habitualis scientia cum ipso opinionis actu, debet similiter & stare posse cum ipso habitu opinionis. *Probatur Minor*: oppositio

est ratio & causa cur simul stare non possint scientia & opinio: atqui inter habitum scientiæ & ipsum actum opinionis nulla est oppositio, neque privativa, cum extrema sint positiva; neque contraria, cum extrema, puta actus & habitus, non sint sub eodem genere: Ergo habitus scientiæ debet posse compati cum actu opinionis.

Respondeo Negando Minorem; si nimirum procedat naturaliter loquendo & non de potentia absoluta; cum enim habitus scientiæ & habitus opinionis inclinent in assensus quasi privativè oppositos, puta ad judicandum, rem aliter se habere non posse, & non judicandum de re quod aliter se habere non possit, sed potius ad manendum in dubio, consequenter fit, quod licet ipsi habitus non dicant actualem oppositionem privativam, quatenus tamen inclinant ad actus sic oppositos, opponuntur quasi contrariè, ac proinde sint naturaliter incompatibiles. Contrariè namque opposita licet possint in gradibus remissis & in esse suo imperfecto simul naturaliter in codē subjecto compati, minimè tamen, cum alterum illorum est in esse perfecto, qualiter in præsenti est quilibet scientiæ habitus.

Neganda Ergo præfata illa minor: ad cujus probationem Nego Majorem, quam supponit arguens ut evidentem, puta quod possit stare habitus scientiæ cum ipso habitu opinionis, si possit stare cum ipso opinionis actu, cujus disparitatis ratio est, quia inter habitum & actum, utpote diversorum generum seu prædicamentorum non est per se oppositio, sed solum ratione habitus quem generat actus; jam sic est quod unico actu opinionis non generatur opinativus habitus, ob ejus debilitatem, sed solum per actus opinionis frequentatos: Ergo debet posse habitus scientiæ naturaliter compati cum uno vel altero actu opinativo minime tamen cum ipso habitu ob rationem supra expositam. Dixi autem supra negandam esse minorem puta quod possit habitus scientiæ stare cum ipso habitu opinionis, si procedat naturaliter loquendo, non autem de potentia Dei absoluta: cum enim habitus scientiæ & opinionis sit uterque positivus, nec unus dicat actualem privationem alterius, cum talem privationem non dicant nisi in ipsis actibus & assensibus quos eliciunt, non est per consequens cur supernaturaliter & de potentia Dei absoluta unus simul cum altero in eodem subjecto conservari non possit, maximè cum contraria etiam in esse perfecto & intenso simul possint supernaturaliter compati.

Instabis: Si posset opinionis habitus stare cum actu scientiæ, posset

posset & stare cum ipso scientiæ habitu: Ergo idem dicendum de habitu scientiæ, quod scilicet stare poterit cum opinionis habitu, si stare possit cum ipso actu opinionis. *Consequentia* videtur evidens. *Probatur Antecedens:* ideo videtur repugnare opinionis habitus cum habitu scientiæ, quia inclinat scientiæ habitus ad actus seu assensus privativè oppositos; sed etiam actus scientiæ inclinat ad actus seu assensus oppositos; cum semel demonstratâ una proprietate de objecto (quod quidem fit per actum scientiæ) facilè demonstremus & cæteras proprietates: Ergo hoc ipso quod hac non obstante repugnantiâ posset opinionis habitus stare cum actu scientiæ, posset & similiter stare cum ipso scientiæ habitu.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam: ideo namque negatum fuit in superiori responsione, posse habitum scientiæ stare cum habitu opinionis, quamvis stare possit cum uno vel altero opinionis actu, quia per unum vel alterum opinionis actum non generatur habitus, ex quo consequenter fit non esse incompatibilitatem inter habitum scientiæ, & unum vel alterum opinionis actum; cum inter ea utpote diversorum generum seu prædicamentorum non sit per se oppositio; sed fit solùm oppositio ratione habitus quem generat actus; & quem in hoc casu non generat nec generare potest unicus opinionis actus: jam sic est quod per unicum scientiæ actum generatur scientiæ habitus; cum per quemlibet scientiæ actum, utpote demonstrativum proprietatis alicujus per ipsam rei definitionem manifestetur ipsa rei quidditas & natura, quâ quidem cognitâ facile inclinamur ad alias demonstrandas proprietates, adeoque & inducitur habitus ad hujusmodi demonstrativos actus inclinans: Ergo peculiaris est ratio cur non possit opinionis habitus stare cum actu scientiæ, quamvis concessum fuerit posse scientiæ habitum stare cum actu opinionis.

Objicies tertiò pari modo philosophandum est de scientia respectu opinionis, quantum ad repugnantiam vel compossibilitatem, ac de scientia respectu fidei humanæ: sed scientia compossibilis est cum fide humana: Ergo & est compossibilis cum opinione. *Major* est certa, conveniunt enim fides humana & opinio in incertitudine; adeo ut qui tenet aliquid ex fide humana non minus teneat cum formidine partis oppositæ, quam qui tenet ex opinione, ad differentiam fidei divinæ quæ est omnino indefectibilis & infallibilis. *Probatur minor:* quod omnibus & singulis asseverantibus creditur, tenetur fide

humana

definitione supra exposita : sed fieri potest, quod id, quod omnes & singuli asseverant aliter se habeat ; cum omnis homo mendax : Ergo assensus ille, quo creditur aliquid, eo quod omnes & singuli asseverent, non pertingit ad certitudinem scientiæ.

Respondeo Negando antecedens : ad cujus probationem distinguo Majorem : certitudo scientiæ esse debet de re non potente aliter se habere, in aliquo gradu & genere Concedo : non potente aliter se habere in ullo gradu & genere, Nego : aliàs omnes scientiæ essent æqualis certitudinis, contra tamen communem sententiam asserentem , esse gradus certitudinis in scientiis, & unam esse certiorem alia ; dico igitur , varios esse certitudinis gradus in scientiis, nec omnes esse æqualis certitudinis, sed alias esse de objectis, quæ nec naturaliter nec supernaturaliter se habere possunt, ut quod triangulus habeat tres angulos : aliæ verò sunt de objectis quæ naturaliter loquendo aliter se habere non possunt, ut quod homo sit risibilis : aliæ sunt de his quæ loquendo moraliter aliter se habere non possunt, seu quæ saltem regulariter non possunt aliter se habere, ut est hæc propositio : quod omnes & singuli sine contradictione alicujus se vidisse testantur, id verè & de facto fuit. Cum ergo præfatus assensus, de quo supra, ad hanc pertingat certitudinem, consequenter fit, quod pertingat ad scientiæ certitudinem , consequenter fit, quod pertingat ad scientiæ certitudinem, nec sistat intra limites fidei humanæ, ut ibidem ostensum fuit.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo Expositam sententiam esse omnino consonam menti S. Doctoris ; quod quidem ex tribus colligo locis, iisque expressissimis. Primo quidem id colligo ex quæstionibus disputatis *quaest.* 14. *de verit. art.* 9. *ad* 6. ubi sic loquitur D. Thomas : *non videtur possibile, quod aliquis de eodem habeat scientiam & opinionem, quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit* : Hæc S. Thomas.

Secundò hoc idem colligo *ex* 1. *posteriorum lect.* 44. ubi hæc habet : *manifestum est, quod non omnino contingit simul idem scire & opinari, quia simul homo haberet existimationem, quod posset aliter se habere, & quod non posset aliter se habere.* Hæc ille

Ter-

Tertiò demum id colligo *ex 2. 2. quæst. 1. art. 5. ad 4.* ubi discurrit sic: *de eodem secundum idem non potest in homine esse simul scientia, neque cum opinione, neque cum fide, alia tamen & alia ratione: scientia enim cum opinione simul esse non possunt simpliciter de eodem, quia de ratione scientiæ est, quod id quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione verò opinionis est, quod id quod est opinativum existimetur possibile aliter se habere.* Hæc S. Doctor ex quibus singulis arguo sic ad intentum.

Negans D. Thomas in præfatis locis stare posse simul scientiam cum opinione, de iis haud dubiè loquitur ut procedentibus scientificè & opinativè; aliàs nihil in illis resolveret S. Doctor: sed processus scientificus & opinativus est processus per diversum medium, ut per se patet, puta per medium probabile & necessarium: Ergo negat D. Thomas stare posse simul scientiam & opinionem, etiam ratione diversi medii; quod est quod supra in conclusione asseruimus.

Dices D. Thomam oppositum docere *in 3. p. quæst. 9. art. 3. ad 2.* ubi hæc habet: *similiter opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, quæ tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam:* Ergo ex Divo Thoma cognitio opinativa, quæ habetur per syllogismum dialecticum non excluditur per cognitionem scientificam ejusdem objecti: quod quidem clarius adhuc habetur *in 3. sent. dist. 3. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 2. ad 4.* ubi constituit S. Doctor differentiam inter scientiam ex una parte, & scientiam & fidem ex alia, quod hæ, quia non sunt per diversum medium non possunt esse simul in eodem circa idem objectum, bene tamen scientia & opinio, quia sunt per diversum medium.

Respondeo Negando, quod in præfatis testimoniis intendat D. Thomas cognitionem verè opinativam cum cognitione scientifica circa idem objectum posse simul in eodem subjecto compati: aliàs esset sibi contrarius S. Doctor, cum oppositum expresse asserat in testimoniis pro conclusione nostra adductis; sed quod in istis intendit, est, quod cum per syllogismum dialecticum per diversum probetur medium de aliquo objecto, quod de illo aliquando per demonstrationem alio medio ostenditur; tunc cum cognitione scientifica per demonstrationem habitâ manet; non quidem ipsa cognitio opinativa, siquidem manere non potest cum formidine talis veritatis, & abs-

absque formidine non est cognitio ita essentialiter opinativa, sed manet ex syllogismo dialectico seu probabili ipsa cognitio scientifica cum majori extensione, quam si ad illam sola demonstratio concurreret; quia scilicet cognoscit saltem in actu signato, quod tale objectum quod per demonstrationem attingitur; non solum habet necessariam connexionem cum causa per quam demonstratur, sed probabilem etiam connexionem cum causa, per quam in syllogismo dialectico probatur. Quod autem sit hæc doctrina & expositio ad mentem Divi Thomæ colligitur ex 1.2. *quæst*. 67. *art*. 2. in corpore, ex quo fuit hæc deprompta doctrina: unde & hoc est quod intendit D. Thomas in altero testimonio, & in hoc constituit differentiam inter scientiam & opinionem ex una parte, & scientiam & fidem ex alia, quod cum per fidem seu testimonium dicentis solum asseveretur objectum, nullaque illius veritatis assignetur causa, non solum cum cognitione scientifica evidenti incompatibilis est cognitio obscura fidei, sed nec ex testimonio dicentis aliquid relinquitur per quod cognitio scientifica vel extensivè augeatur, quia ex eo non habetur nova aliqua connexio objecti cum aliqua sui causa: in quo sensu verificantur verba S. Doctoris, puta quod cognitio fidei & scientiæ non est per diversum medium aliquam afferens connexionem objecti cum aliqua sui causa, ad differentiam syllogismi probabilis seu dialectici, qui quidem affert diversum medium à demonstratione, eo quod novam aliquam, vel probabilem affert connexionem objecti cum aliqua ipsius causa.

COROLLARIUM.

In quo varia de scientia quæsita expenduntur & resolvuntur.

Quæres primò, In quo consistat subalternatio scientiarum.

Respondeo, Quod ratio propria & essentialis subalternationis scientiarum, in eo consistit, quod una scientia per se & universaliter in omnibus suis principiis dependeat ab altera, pro cujus intelligentia notandum est, quod proprium est scientiæ non attingere veritates immediatè in seipsis, sed prout ex principiis deductas: unde cũ non sit dabilis processus in infinitũ deve-

devenieadum est ad aliquod principium per se notum; cumque sic attingere & cognoscere talia principia, non sit illud cognoscere scientificè, nulla propterea scientia potest per se cognoscere principia sic immediata; ac proinde cum aliunde dependeat omnis scientia à cognitione talium principiorum, dependet etiam à lumine per quod talia cognoscuntur principia; & in hoc sensu dici potest quod omnis scientia subalternatur lumini primorum principiorum Quia tamen non omnis scientia immediatè conjungitur cum lumine primorum principiorum, quia scilicet nec suas reducit conclusiones usque ad principia per se nota, sed principia alicujus scientiæ sunt ipsæ conclusiones demonstratæ alterius scientiæ superioris, consequenter fit, quod sicut scientia subalternatur lumini primorum principiorum, quia ab illo sua accipit principia; ita & illa scientia quæ per seipsam sua non potest reducere principia ad principia per se nota: sed ejus principia sunt conclusiones demonstratæ alterius scientiæ, huic etiam propriè subalternetur: Restat igitur quod in præfata dependentiâ quoad principia consistat essentialiter subalternatio, adeò ut etiam si aliquæ desint conditiones accidentales ad subalternationem requisitæ, adhuc tamen verificetur subalternatio, si talis adsit dependentia; ut patet in nostra Theologia quæ quidem teste Divo Thoma 1. *p. quæst. 1. art.* 1. verè & propriè subalternatur scientiæ Dei & Beatorum, quia scilicet principia nostræ Theologiæ non sunt in illâ nota, sed evidenter solum cognoscuntur per scientiam Dei & Beatorum, quamvis non concurrant ad hanc subalternationem aliæ accidentales conditiones, quæ requiri solent; siquidem objectum nostræ Theologiæ non addit differentiam aliquam accidentalem supra objectum scientiæ Dei & Beatorum.

Quares secundò quid regulariter requiratur ad præfatam subalternationem scientiarum.

Respondeo, regulariter exigi quod objectum scientiæ subalternatæ addat supra objectum scientiæ subalternantis aliquam differentiam accidentalem illi extraneam; propterea quod si addat differentiam essentialem, tunc non constituet scientiam formaliter distinctam, sed partem ejusdem scientiæ, quia ad eandem scientiam pertinet agere de ratione generica, & illius speciebus: si verò addat differentiam accidentalem non communem: sed propriam, nec etiam constituet diversam scientiam, quia ad eandem scientiam pertinet agere de aliquo objecto & de ejusdem proprietatibus. Ut igitur scientia subalter-

alternata talis sit, sitque distincta à subalternante debet aliquam addere supra hujus objectum accidentalem differentiam illi extraneam, sed quæ sit talis ex qua oriantur diversæ passiones: defectu cujus linea verbi gratia alba per albedinem, licet sit differentia accidentalis lineæ quæ est objectum Geometriæ, non tamen propterea constituitur objectum scientiæ alicujus quæ sit Geometriæ subalternata, quia scilicet ratione albedinis non habet linea speciales passiones ad ipsam lineam non omnino materialiter pertinentes, quæ possint de linea alba per scientiam aliquam Geometriæ subalternatam demonstrari. Si igitur supra objectum alicujus scientiæ addatur aliqua differentia illi extranea, ratione cujus à tali objecto cum prædicto additamento aliquæ oriantur passiones, quæ ab illo secundum se sumpto non oriebantur, tunc scientia quę versatur circa tale objectum complexum, verè dependebit in suis principiis à conclusionibus scientiæ, quæ circa objectum, cui talis additur differentia, versatur; ac proinde & erit illi subalternata.

Neque propterea sequitur fore objectum scientiæ subalternatæ ens per accidens, quia scilicet ex rebus constabit diversorum generum: non inquam hoc sequitur: quia licet ex rebus diversi generis ex æquo concurrentibus non possit resultare unum per se, bene tamen si non ex æquo, sed una in recto & altera in obliquo ad illius compositionem concurrant: quomodo concurrunt ad compositionem objecti scientiæ subalternatæ differentia, quam illa addit supra objectum scientiæ subalternantis, & ipsius scientiæ subalternantis objectum: Non quidem (ut aliqui existimant) ita ut objectum scientiæ subalternantis omnino materialiter se habeat ad id quod supra illud addit subalternata; si enim ita esset, objectum verbi gratia perspectivæ solum esset visuale in concreto, non autem linea visualis, siquidem licet dicat visualitatem connotando subjectum, omnino tamen illi accideret in illo casu, quod tale visualitatis subjectum esset linea, vel quodlibet aliud: Non ergo sic dicamus concurrere objectum scientiæ subalternantis ad objectum scientiæ subalternatæ seu ad differentiam accidentalem, sed volumus, quod quamvis in obliquo concurrat, per se tamen; id est, ita ut objectum illud subalternantis sit principium, ut differentia accidentalis illi addita & conjuncta specialem habeat essentiam & passiones, quas non haberet si alteri subjecto conjungeretur.

Quæres tertiò utrum in non habente scientiam subalternantem, possit subalternata verè esse scientia.

Respondeo primò quod si quis non habens scientiam subalternantem, illius tamen conclusiones quæ sunt principia scientiæ subalternatæ fide divina accipiat & credat, potest ex illis per evidentem consequentiam deducere conclusiones scientiæ subalternatæ, adeoque & hanc verè habere scientiam; licet non cum omni perfectione accidentali, quam talis haberet scientia, si in eodem subjecto conjungeretur cum scientia subalternante: patet hoc totum in Theologia nostra seu viatorum, quæ quidem est verè scientia, saltem quoad essentiam & substantiam scientiæ; estque scientiæ Beatorum subalternata: licet enim in nobis pro hoc mortali statu cum tali scientia subalternante non conjungatur; quia tamen ipsas conclusiones quæ sunt notæ in scientia Beatorum per fidem divinam accipimus, & licet obscurè, certissimè tamen illis assentimur, atque ex illis per evidentem consequentiam conclusiones deducimus theologicas, consequenter fit quod veram de hujusmodi conclusionibus habeamus scientiam in absentia subalternantis: propterea quod assensus ille quem illis præstamus ita deductis, licet non sit evidens, utpote ex principiis non evidenter cognitis deductus, cum tamen sit certus & per demonstrationem & discursum acquisitus, habet consequenter distingui per certitudinem ab opinione & fide humana; & per ipsum discursum habet distingui à fide divina & lumine primorum principiorum, quorum utrumque immediatè & sine discursu sua attingit objecta: Ergo Theologia nostra quamtumvis subalternata adhuc habet esse verè scientia in absentia subalternantis eo quod sua accipiat & teneat principia fide divina.

Neque huic obest definitio tradita ab Aristotele de scientia qua scilicet definitur habitus certus & evidens per demonstrationem acquisitus: ideo namque ita definiit Aristoteles, quia nec cognovit nec cognoscere potuit quod possit habitus certus per demonstrationem acquisitus [qui quidem est constitutivus & distinctivus scientiæ] sine evidentia haberi; eo quod scilicet certitudo habitus per demonstrationem acquisiti haberi tantum possit vel per evidentiam principiorum seu præmissarum conclusionis, vel per fidem de illis indefectibilem, quam quidem non cognovit Aristoteles, qui aliam non cognovit nisi humanam, subindeque & fallibilem: non ergo debet apud nos evidentia ingredi rationem constitutivam scientiæ, quamvis ex Aristotele ingrediatur, cum nobis nota sit fides illa indefectibilis, ex qua haberi potest præfata certi-

tudo

tudo habitus per demonstrationem acquisiti etiam seclusâ evidentiâ.

Resp. 2. quod si quis non habens scientiam subalternantem, illius conclusiones quæ sunt principia subalternatæ accipiat per fidem humanam, pervenientem tamen ad certitudinem moralem, ad modum quo sic ad certitudinem moralem posse pervenire explicuimus supra in responsione ad ultimam objectionem, tunc ex talibus principiis potest per evidentem consequentiam deducere conclusiones scientiæ subalternatæ, adeoque & illarum habere assensum & habitum quoad substantiam scientificum; licet non cum tanta perfectione accidentali, ac si haberet scientiam subalternantem; & illius conclusiones sciret resolvere usque ad prima sua principia. Ratio autem hujus est, quia quando ita habetur moralis certitudo veritatis talium principiorum, potest consequenter ex illis haberi similis certitudo conclusionis, quæ quidem, dato quod sit aliqualiter inferior ad evidentiam & certitudinem Metaphysicam; est tamen sufficiens ad speciem & substantiam scientiæ, siquidem habet excludere omnem hæsitationem & formidinem: ac proinde cum talis assensus & sit certus, & per verum discursum & demonstrationem acquiratur, habet per consequens quidquid requiritur ad speciem & substantiam scientiæ, licet in gradu inferiori ad scientias habentes certitudinem & evidentiam Metaphysicam, desumptam scilicet ex ipsa rei naturâ. Unde existimo ego posse in absentia subalternantis dari scientiam subalternatam, licet ex fide humana solum teneat & accipiat sua principia, modo illa accipiat à pluribus, seu singulis quos interrogat peritis viris; propterea quod certitudo illa humanæ fidei fundatur tunc super hunc discursum omnino moraliter certum: id quod singuli periti asseverant revera & de facto ita est: sed singuli quos interrogo periti asseverant conclusiones illas scientiæ subalternantis, quæ quidem sunt principia subalternatæ esse omnino certas: Ergo tales ut omnino certæ haberi debent, adeoque & omnino certæ habendæ sunt conclusiones scientiæ subalternatæ, ex illis per evidentem consequentiam deductæ.

Respondeo 3. quod qui semel habuit scientiam subalternantem, & oblitus illius demonstrationum, jam non scit illius conclusiones resolvere ad sua prima principia; si tamen evidentem habeat notitiam quod aliquando easdem conclusiones verè demonstraverit, habetque per consequens evidentiam, quoad an est, veritatis talium conclusionum, & ex illis potest deducere conclusiones scientiæ subalternatæ, earumque

 habere

habere assensum & habitum quoad substantiam & speciem scientificum, licet non cum omni perfectione accidentali quam habere potest. Etenim si ut habeat quis scientiam subalternatam sufficit evidentia moralis ejusdem principiorum, sive conclusionum subalternantis, ex eo scilicet habita, quod periti viri asseverent communiter tales conclusiones verè in scientia subalternante demonstrari, ut dictum fuit in superiori responsione, sufficit in quam moralis illa evidentia ad hoc ut ex illis per evidentem consequentiam conclusiones deducat scientiæ subalternatæ: debet ergo à fortiori ad id sufficere, quod ipse evidenter recordetur, se aliquando ejusdem conclusiones scientiæ subalternantis verè demonstrasse; cum haud dubiè ex hoc majorem, ne dicam æqualem evidentiam moralem habeat veritatis prædictarum conclusionum subalternantis, ex quibus scilicet conclusiones deducit subalternatæ.

Respondeo ultimò. Quod qui habet scientiam subalternantem, per id solum, quod uno vel altero Magistro ejus accipiat & teneat conclusiones, quæ sunt principia scientiæ subalternatæ, tunc non potest ex illis ita conclusiones scientiæ subalternatæ deducere, ut illarum habeat assensum, subindeque nec habitum quoad substantiam ac verè scientificum. Ratio hujus est, quia ut assensus & habitus sit quoad speciem & substantiam scientificus, debet ita esse certus, ut omnem excludat formidinem & hæsitationem: jam sic est, quod ex præmissis sic solum ab uno vel altero Magistro acceptis non potest acquiri assensus aut habitus ita certus: certitudo namque conclusionis derivatur ex certitudine præmissarum, quæ quidem ob id solum, quod sic quis ab uno vel altero Magistro teneat non propterea habere possunt certitudinem omnem excludentem formidinem quantumvis Magister ille habeatur communiter ut peritus & doctus in tali scientia, & ille asserat, sed id ut scientificum in tali scientia asseverare; ex eo scilicet quod hoc non obstante non possum non habere dubius, an re vera ita ut scientificus id asserat an verò ex malitia vel ex alio fine me fallat: Ergò assensus ille qui ex præmissis seu conclusionibus subalternantis, ita ex uno vel altero Magistro acceptis elicitur non est verè scientificus, adeoque neque in illo casu habetur scientia subalternata in absentia subalternantis.

Quæres 4. Unde desumant scientiæ unitatem & diversitatem specificam.

Resp.

Respondeo primò, Desumere scientias suam unitatem & diversitatem specificam ab unitate vel diversitate specifica objectorum. Ratio hujus est, quia scientia quælibet est tendentia in suum objectum, ad modum, aut quasi ad modum quo quilibet motus est tendentia in suum terminum: jam sic est, quod quælibet tendentia & motus ab unitate vel diversitate specifica sui termini unitatem accipit specificam vel diversitatem; ex eo scilicet quod terminus alicujus tendentiæ comparatur ad illam ut illius finis ad quem per se ordinatur, subindeque & ut illius specificativum; cum quodlibet ab eo suam desumat speciem & unitatem, ad quod per se ordinatur, cum sit suum esse propter illud. Ergo ab unitate vel diversitate specifica sui objecti debent similiter scientiæ suam accipere unitatem specificam, & diversitatem.

Respondeo secundò, Unitatem vel diversitatem specificam objecti scientiarum, à qua scilicet scientiæ suam sumunt specificationem, ut diximus, non supponere pro unitate vel diversitate specifica objecti in esse entis, sed formaliter in esse objecti. Patet hoc evidenter exemplo & ratione: exemplo quidem in objectis sensuum. Color enim quamvis in esse entis & in genere qualitatis non sit species atoma, cum dividatur in plures species coloris, tamen in ratione visibilis & formaliter in ratione objecti potentiæ visivæ est species atoma; & propterea potentia visiva est una specie atomâ, quod ita non esset si speciem acciperet à suo objecto in esse entis: eodem ergo modo non accipiunt scientiæ unitatem vel diversitatem specificam ab unitate vel diversitate objecti in esse entis, sed formaliter in esse objecti, & in esse scibilis idque etiam ratione probatur, quia scilicet diversæ specificè scientiæ circa objectum idem & ejusdem prorsus speciei in esse entis versantur, sub diversa tamen ratione formali in esse objecti & in esse scibili illud attingentes, ut consideranti patebit: Ergo non sumunt speciem ab objecto in esse entis, sed formaliter in esse objecti. Pro quo

Resp. 3º. Quod ratio formalis sub qua constituitur objectum formaliter in esse objecti scientiarum, à cujus prout talis unitate vel diversitate specifica suam desumunt scientiæ unitatem vel diversitatem specificam, ut dictum fuit, hæc inquam formalis ratio, sub qua distinguuntur formaliter objecta scientiarum est certa abstractio à materia. Quod autem res ita sit, præter quam quod deducitur ex Aristotele 6. *Metaph. text.* 2. & docetur à D. Thoma pluribus in locis, specialiter 1. *poster.*

lectione 41. ubi sic habet : *genera scibilium distinguuntur secundum diversum modum cognoscendi, sicut alio modo cognoscuntur qua definiuntur cum materia, & ea qua sine materia ; unde aliud genus scibilium est corpus naturale , & corpus mathematicum, & utrumque horum generum distinguitur in diversos modos & rationes cognoscibilitatis*; potest prætereа hoc idem probari ex eo quod in tantum aliquid est cognoscibile, in quantum est immateriale. materialitas enim obest cognoscibilitati activæ & passivæ, ut colligitur ex D. Thoma 1. *p. qu.* 14. *articulo* 1. Ergo formaliter constituitur aliquid in esse cognoscibilis inquantum abstrahit à materia ; subindeque & formaliter distinguitur in esse objecti scibilis, talis vel talis penes diversam, seu majorem vel minorem abstractionem à materia. Sed pro majori intelligentia.

Dices Abstractio illa à materia, quam dicimus esse rationem formalem objecti scientiarum , vel est ipsa abstractio actualis passiva proveniens in objecto, per id quod actum terminet scientiæ, vel est abstrahibilitas objecti, quatenus est considerabilis absque consideratione materiæ , etiam si realiter illam concernat : sed neutrum istorum potest objectum constituere formaliter in esse objecti & scibilis : non quidem primum ; talis enim abstractio actualis passiva objecti non potest illud constituere in ratione objecti specificativi scientiæ , eo quod jam supponatur illa specificata & in elicientiam actus prorumpens, cum proveniat & supponatur provenire , ex eo quod ipsum objectum jam terminet actum scientiæ : sed neque secundum dici potest, cum idem objectum eodem modo abstrahibile à materia possit à diversis formaliter scientiis attingi, ut Deus sub eadem abstrahibilitate à materia attingitur à Theologia & à Metaphysica : Ergo talis abstractio à materia esse non potest formalis ratio constitutiva & distinctiva objecti scientiarum in esse scibilis.

Resp. Negando Minorem quoad secundam partem : ad cujus probationem dico, quod non quælibet immaterialitas & abstrahibilitas objecti à materia constituit illud in ratione scibilis & specificativi scientiarum ; sed prout cum tali abstrahibilitate est attingibile sub tali vel tali medio ; atque ita non solum idem objectum in esse entis, sed etiam eandem habens immaterialitatem sive abstrahibilitatem à materia ex parte sui , potest à diversis scientiis formaliter attingi , dummodo per diversum attingatur medium ; quia scilicet tunc diversitas illa medii refunditur in ipsum objectum, & facit quod objectum

quod

quod ex parte sui eamdem habet abstrahibilitatem respectu hujus & alterius scientiæ, ut tamen subest huic & illi medio aliam & aliam habeat abstractionem atque immaterialitatem, quatenus scilicet ratione unius medii abstrahit objectum abstractione formali ab aliquo, à quo non abstrahit secundum se vel prout subest alteri medio; atque ita semper verificatur abstractionem à materia distinguere objectum scientiæ in esse talis. Cur vero ab objecto potius, prout sic abstrahente, quam à mediis concurrentibus ad talem constituendam abstractionem à materia dicatur unitas specifica scientiarum formaliter desumi, ratio est quia media se habent ut principia sciendi, objectum vero ut terminus scientiæ, ac proinde cum scientia sit tendentia in objectum, consequens est quod à medio sumatur quidem unitas illa aut diversitas specifica scientiarum causaliter, sed ab objecto formaliter desumi debeat: sicut eadem ratione motus aliquando à termino à quo suam causaliter accipit unitatem specificam vel diversitatem specificam, licet formaliter loquendo illam semper accipiat à termino ad quem.

Dices 2. Si per diversam abstractionem à materia diversificarentur objecta scientiarum in esse scibilis, cum triplex tantum sit materia, à qua objectum scientiæ naturalis possit abstrahere, materia videlicet singularis, sensibilis, & intelligibilis, triplex tantum daretur species aroma scientiæ naturalis: sed hoc est falsum, cum intra abstractionem à materia sensibili plures assignentur Mathematicæ scientiæ specificè distinctæ: Ergo non distinguuntur scientiæ penes diversam abstractionem à materia, nec consequenter penes eamdem constituitur vel distinguitur formaliter objectum in esse scibilis.

Resp. Negando sequelam: licet enim triplex tantum sit genericè loquendo abstractio à materia, penes triplicem tantum terminum à quo; ac proinde & triplex sit gradus scientiarum naturalium, physicæ scilicet, Mathematicæ, & Metaphysicæ: nihilominus intra eumdem immaterialitatis gradum dantur diversæ scientiarum species, quatenus intra hujusmodi gradum objectum unius scientiæ abstrahit ratione diversi medii, abstrahit inquam abstractione formali ab aliquo, à quo non abstrahit idem objectum prout est objectum alterius scientiæ: qua de causa intra gradum abstractionis à materia sensibili distinctæ assignantur in Mathematicis scientiæ, & diversæ specificè.

Quares 5. Utrum scientia sit unus simplex habitus.

Resp. Quod scientia etiam prout ad omnes suas conclu-

siones terminatur est omninò simplex, non autem composita ex pluribus partialibus habitibus, quorum singuli ad singulas conclusiones inclinent. Ratio autem hujus est quia scientia quælibet omnes suas conclusiones, quamtumvis materialiter & in esse entis specificè distinctas sub eadem ratione formali specifica scibilis attingit; alias in scientia qualibet tot formaliter specie distinctas scientias deberemus admittere, quod essent conclusiones, ad quas se extenderet: Ergo scientia ad omnes illas conclusiones ut omninò simplex & absque aliqua sui vel materiali compositione terminatur. *Probatur consequentia:* Idem omnino simplex intellectus absque aliqua sui vel materiali compositione, omnia sua quamtumvis inter se distincta attingit objecta, quia ad omnia illa sub eadem ratione formali specifica ipsius potentiæ terminatur: Ergo & habitus scientificus ad omnia, quæ sub unica ratione formali attingit debet omnino simplex & absque aliqua sui compositione terminari: antecedens patet. *Probatur consequentia:* Habitus est perfectio potentiæ: Ergo & ipsi debet proportionari in eo quod, sicut potentia, quia universalior est & pluribus distinctis habitibus perfectibilis; omnia prædictorum habituum objecta sub unica attingit ratione formali specificativa ipsius potentiæ, nimirum sub abstracta & universali ratione veri, ad omnia illa absque aliqua sui compositione terminatur: ita & quilibet scientiæ habitus, non ad omnia in universum intellectus objecta, sed ad omnia quæ sub speciali ipsius habitus ratione formali attinguntur, possit habitus omnino simplex & absque aliqua sui compositione terminari.

Dices: Secunda quæ fit in scientia demonstratio ejusdem est speciei; imò & ejusdem efficaciæ & activitatis ad producendum habitum, ac prima quæ primo fit demonstratio; quando quidem si illa quæ secundo fit prius & primo fieret, de facto non minus quam prima produceret habitum: Ergo cum secunda hæc demonstratio non producat totalem habitum, debet saltem producere partialem, subindeque & cum altero partiali per alteram demonstrationem producto scientiam componere.

Resp Negando consequentiam: licet enim secunda demonstratio ex se non minus, quam prima sit sufficiens ad habitum generandum scientificum, quia tamen illum invenit & supponit per primam demonstrationem productum, nihil propterea de novo producit, sed solum habitum perficit præexistentem, faciens scilicet ut ad novam materiam, novasque conclusiones

clusiones se extendat,& in hoc ejus tunc consistit effectus,non enim omnis actio etiam ex se productiva alicujus termini, oportet semper quod illum de facto producat, quod quidem patet in actione conversiva, quæ licet ex se sit productiva sui termini,illum tamen de facto non producit, quando supponitur terminus præexistens; & ideo quia Christus qui est terminus conversionis sacramentalis, præexistens supponitur ad ipsam conversionem, nullatenus per illum juxta probabiliorem sententiam producitur. Quod autem jam per primam demonstrationem,adepto habitu,novam aliquando experiamur difficultatem in assensibus aliarum conclusionum; non propterea sequitur novum partialem requiri habitum,quia scilicet nova hæc difficultas non est formalis aut essentialis, cum non proveniat ex defectu rationis formalis & inclinationis ad objectum formale habitus seu virtutis, sed est solum materialis & accidentalis,quæ scilicet provenit ex defectu applicationis ad materiam,aut ex defectu exercitii, atque ita ad hanc vincendam difficultatem sufficit præexistentis habitus nova applicatio. *Nota.*

Quæres ultimò quomodo acquirantur scientiæ,

Resp. Præmonendo,Platonem,multosque ex antiquis æstimasse animas fuisse creatas ante corpora, jam ab ipso mundi exordio; scientiisque omnibus tanquam naturalibus quibusdam instructas: dum autem infunduntur in corpora, oblivisci inquiebant rerum omnium: Sed postea tamen si laborem ac studium adhibuerint,eorum quæ oblitæ sunt recordari; & sic denuò per solam ejusmodi reminiscentiam fieri scientes. Porro horum hoc erat fundamentum,quia aliàs non posset homo desiderare aliquid scire; propterea quod si illud actu sciret, non posset desiderare illud scire: si verò illud omnino ignoraret,nec unquam habuisset notitiam illius, nec etiam habere posset appetitum ad illud sciendum. Ut autem hunc errorem,ejusque fundamentum rejiceret Aristoteles hoc in principio libri posteriorum statuit Theorema, quod scilicet *omnis doctrina & disciplina ex præexistente fit cognitione*: cujus quidem Theorematis sensus germanus est, quod omnis cognitio quæ habetur per discursum,sive scientifica, sive opinativa est ex præexistente alia cognitione; ita ut deveniatur ad aliquam cognitionem,quæ non habeatur per discursum,sed immediatè per lumen principiorum. Porrò inde sequitur confutatio erroris Platonis & responsio ad ejus fundamentum. Non enim oportet,quod omnia quæ cognoscimus,prius antea cognoverimus; *Nota.*

rimus: nec tamen inde sequitur quod non possimus desiderare talia scire, propterea quod in aliquo principio quod cognoscimus, licet non actu cognoscamus ac in particulari & explicitè conclusionem de qua habetur vel habendum est desiderium; illam tamen cognoscimus in communi, virtualiter & implicitè, atque ita inde in nobis oritur desiderium illam in particulari & explicitè cognoscendi. Et hæc de libris posteriorum, quæ propterea & logicalibus finem imponeat.

Nostræ ergo Logicæ hic finis esto, cui perlegendæ dum dabit operam studiosus lector, secundus quã primum prælo mandandus sequetur Tomus, Metaphysicæ scilicet, in quo celebriores de ente creato & increato quæstiones [eadem semper servata methodo] pertractablmus. In his interim quoad illa quæ sunt insufficienter dicta, auctori indulgeatur: si quæ vero bona & perutilia sunt, huic reddantur gratiarum actiones, qui est vivificans ad sentiendum; afficiens ad appetendum; dilatans ad capiendum; justificans ad promerendum; accendens ad zelum; fœcundans ad fructum; promovens ad bonum; dirigens ad justum; roborans ad virtutem; formans ad benevolentiam; modificans ad scientiam; moderans ad sapientiam; illuminans ad cognitionem; perpetuans ad immortalitatem; implens ad felicitatem; circumdans ad securitatem: amans ut charitas; noscens ut veritas; sedens ut æquitas; revelans ut lux; regnans ut Deus, cui honor & gloria in sæcula.

FINIS

635

636